HISTORIA
RITUUM
Sanctæ
ECCLESIÆ ANGLICANÆ.
Ex omni antiquitate eruta.

Nec non
DE JURE EPISCOPATUS,
Et de origine, progressu & rebus
gestis sectarum
PRESBYTERIANÆ
Et
INDEPENDENTIUM.

Authore
JOHANNE DURELLO,
Ecclesiæ Anglicanæ Presbytero, Regiæ Majestati à Sacris.

LONDINI,
Typis *Guliel. Godbid*, prostant apud *Guliel. Wells* & *Rob. Scott*,
ad Insignia Principis, in vico Little Britain dicto.
MDCLXXII.

IMPRIMATUR.

Tho. Tomkius R. R^{mo} in Chriſto Patri ac Domino Dom. *Gilberto* divinâ Providentiâ Archi-Epiſcopo *Cantuarienſi* à Sacris Domeſticis.

Ex Ædibus Lambethanis, *Maii* 19 1669.

Ad Reverendiſſimos in Chriſto Patres ac Dominos, Fratreſque colendiſſimos Eccleſiarum Reformatarum extra Angliam cujuſcunq; Confeſſionis, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Seniores, Superintendentes, Inſpectores, Antiſtites, Præpoſitos ac Paſtores, quocunque tandem Nomine ac Titulo inſigniantur.

PRÆFATIO.

A Me aliiſq; plurimis, *Reverendiſſimi in Chriſto Patres ac Domini, Fratreſq; colendiſſimi,* *diu multúmque obſervatum eſt gentem illam hominum, qui ab aliquot annis* Presbyteriani *dici voluerunt, quique ab aliis eo nomine vulgò indigitati ſunt, cùm antea ubique gentium, odiosâ appellatione,* Puritani *dicerentur, in hoc nervos omnes intendiſſe, ut plebi Britannicæ perſuaderent, omnes Eccleſias Reformatas quæ vulgò apud nos* Tranſmarinæ *appellantur,* Anglicanam *perinde atque ipſi faciunt, averſari; iiſque Politiam Eccleſiaſticam ac Sacram Liturgiam Eccleſiæ noſtræ, non improbari modò, verùm etiam tanquam Tyrannidis ac Superſtitionis affines planè damnari. Quin eò audaciæ provecti ſunt, ut aſſerere cum Pontificiis non dubitaverint;* [a] Tranſmarinas Reformatorum Eccleſias, plenariam communionem cum Anglicanâ huc uſque nec coluiſſe, a Smectymnuus Sect. 2.

¶

luisse, nec porro culturas, quamdiu in eâ Sacræ nostræ Liturgiæ usus obtineret, *b* Ideoque se, earum Ecclesiarum votis ac flagitationibus annuentes, *omnes certas Precum, statasque Sacramentorum Administrandorum Formulas, ut & Beati* Athanasii *& Concilii* Niceni *Symbolorum imò ipsius etiam Symboli Apostolici in publico fidelium cœtu recitationem, ab hac Ecclesiâ prorsus exterminasse*, quò ad Optimè Reformatarum Ecclesiarum modulum, (*in quibus scilicet nihil ejusmodi obtineat*) propius accederet, *sicque perficeretur omnibus numeris apud nos, huc usque manca atque imperfecta Religionis emendatio. Hæc licet falsissima, toties tamen tantâque confidentiâ asseverarunt boni illi viri, ut plerisque in gente Anglicanâ, nunquam non satis superque credulâ, digna visa sint, quibus fides adhiberetur. Hinc Puritani ad Schisma quod diu meditati fuerant, audendum, horrendamque in Ecclesiâ Anglicanâ dissipationem faciendam partim animati, & in Schismate obdurati confirmatique; Hinc in Reverendos Ecclesiæ Antistites & inferioris Cleri longè majorem longèque potiorem partem, quæ Schismaticorum furoribus assentiri renuebat, barbarè per multos annos sævitum; Hinc denique multorum è Clero Anglicano animi exacerbati & à fratribus Transmarinis, quod per omnia Schismaticis nostris similes putarentur, abalienati. Quæ cum ita se habere animadverterem* παρωξύνετο τὸ πνεῦμα μου ἐν ἐμαυτῷ *vehementerque sanè quidem doluit, mendacia mera, merasque imposturas in Ecclesiæ perniciem fabricatas, tantùm utrinque potuisse. Quemadmodùm igitur dum inter gentes exteras, Regis Ecclesiæque causâ, exularem, in illud semper incubui, ut quantùm à Transmarinis Reformatorum Ecclesiis distarent Schismaticorum nostrorum mores atque instituta; quàmque Ecclesia Anglicana alia esset ab eâ quam Schismatici calumniis suis effinxerunt, pro datâ occasione, ostenderem; sic in Patriam, Deo propitio, reversus, Popularibus meis, seu Schisma sequutis, seu Ecclesiæ Dei (prout apud nos superiore sæculo à Reformatoribus nostris Sanctis Christi Martyribus atque Confessoribus constituta est) morigeris patefacere*

b *In Decreto utriusq; Consessus Parlamenti pro abolendâ Liturgiâ & in Præfatione Directorio præfixâ.*

c Hæc omnia in Directorio cultus publici à Presbyterianis in locum Liturgiæ Ecclesiis Britannicis obtruso, desiderantur.

facere, quâ ratione Transmarinorum Ecclesiæ Reformatæ & regantur à Pastoribus suis & Divini Numinis cultum celebrare soleant, meum esse duxi. Nam hoc pacto futurum speravi, primò, *ut, quos Schismaticorum Primipili, aliarum Ecclesiarum Reformatarum mentitâ authoritate, ad partes suas ab Ecclesiâ Anglicanâ avulsos traxerant, ii agnitâ veritate, ut decet homines minimè malos, licet aliquâ veritatis specie deceptos, seductoribus relictis, ad Ecclesiam à quâ desciverant, læti reverterentur. Quæ quidem spes non omnino vana extitit. Deinde nullus dubitavi quin Transmarinorum Ecclesiæ Reformatæ nobiscum in gratiam rediturae essent, postquam liquidò constaret eas neque verbo, neque exemplo, neque voto* Presbyterianorum *nostrorum nefario Schismati præivisse; Quinimò in plerisque & Politiam nostræ similem obtinere Ritusque planè eosdem qui apud nos, & in nonnullis multò plures ejusdem generis, observari: Eas verò in quibus quid diversum obtinet, cùm sciant,* in unâ fide nihil officere Sanctæ Ecclesiæ consuetudinem diversam, *nostra non improbare, nedum ut impia aut superstitiosa & à Christianâ Religione aliena damnare: Et quamquam suis fortè ut nos nostris (quod fieri solet) magis delectantur, aureæ tamen B.* Augustini *sententiæ, scilicet,* Disciplinam nullam esse in his meliorem gravi prudentique Christiano, quàm ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam ad quam fortè devenerit. Quod enim neque contra fidem neque bonos mores injungitur, indifferenter habendum, & pro eorum inter quos vivitur, societate servandum; *aureæ, inquam, hujus sententiæ memores, sanctam in fide & charitate nobiscum communionem colere, eamque publicè testatam facere, cùm & Sacris nostris Lubentes intersint, & Cœnam Domini, ritu nostro, ultro percipiant in Angliam adventantes vel ipsi Fratres Ecclesiarum Reformatarum* Galliæ, Beligii et Genevenses, *quorum Ritus, quàm cæterorum Protestantium, à nostris longiùs absunt: In hoc denique omnes omnium Confessionum Ecclesias Reformatas, ne unâ quidem exceptâ, cum Anglicanâ unanimes conspirare adversus*

Gregor. Ep. l. 41

August. Epist. 118. ad Januar.

 Presby-

Presbyterianos, *quod Liturgiis quæ constant certis statisque Precum & Administrationis Sacramentorum, ut & Matrimonii celebrandi Formulis, publicè utantur utendumque sentiant, atque omnes & singulos Christi Ministros ad uniformem cultus Divini celebrandi rationem unaquæque intra suam gentem, Provinciam ac districtum obligent. Arrepto igitur calamo protinus meipsum ad opus accinxi. Et duarum quidem Sectionum, quibus constat totus Tractatus,* Priore, *cæterarum Ecclesiarum Reformatarum Conformitatem cum* Anglicanâ *in iis quæ spectant ad Politiam & Numinis cultus externi Formam & Ritus, de quibus litigant* Presbyteriani, *partim ex earum praxi & iis quæ omnibus vulgò nota sunt; partim ex earum constitutionibus Ecclesiasticis & libris Ritualibus annotavi;* Posteriore *verò, variis Argumentis manifestum feci,* Anglicanam *à nullâ earum omnium damnari in iis in quibus ab illis diversa abit, quemadmodùm eæ omnes in rebus ejusdem generis invicem differunt. Sed priusquam ad Epilogum venio, omnium Ecclesiarum Reformatarum per* Europam *quasi Concilium convoco; ad quod delegantur tum primæ Reformationis Heroes, & proximi eorum successores, tum viri celeberrimi Ecclesiarum Reformatarum Pastores, & Theologiæ Professores quorum alii nuper vitâ functi, alii etiamnum vivunt ac florent, qui omnes secundum Ecclesiam* Anglicanam *contra Presbyterianos, sententiam dicunt. Sequente autem Epilogo finem scribendi tandem facio. Eum enim integrum latinitate donatum hîc exhibere operæ pretium videtur quo melius & scribendi consilium & methodus & stylus quibus usus sum, vobis appareant.* Initio dixi, hoc Tractatu maximè mihi propositum, ut eos omnes quarumcunque partium errore liberarem qui instituta nostra quæ à nonnullis apud nos improbantur, non modò abesse à Transmarinis Reformatorum Ecclesiis, sed ab iis etiam rejici, ac damnari arbitrabantur. In eo autem errore versantes in duas Classes partitus sum; eorum scilicet, qui Ecclesiæ Anglicanæ filios morigeros se præstant, atque eorum qui abhinc annos plurimos, matrem

trem optimam, in cujus utero Chriſto geniti ſunt, contumelioſè habuerunt, ac tandem deſeruerunt, ob illius ornatum, & vocem & alia ejuſmodi, quæ ipſis minùs arridebant. Illos hic diu non morabor, cùm vix quicquam occurrat quod iis addatur quæ ſuperiùs in eorum gratiam annotata ſunt; nulluſque dubitem quin læto gratoque animo ea percurrerint. Vident amicos apud exterorum Eccleſias ſibi numero longè plures, longéque faventiores eſſe, quàm multi ipſis perſuaſum vellent. Quod ut grato erga Deum animo recolant, utque Fratribus illis noſtris mutuâ dilectione rependant, æquum eſt, idque unum ab iis hic petitur. Cum iſtis verò, cùm non ſint unius generis, nec ſit eorum peccatum unum, pluribus agendum eſt. Quidam eorum ab aliis decepti ſunt, quidam ſeipſos deceperunt, quidam decepti ſimul & deceptores, πλανῶντες ϗ πλανώμενοι, & quidam (quos charitas jubet ut numero paucos eſſe credamus) aliorum deceptores meri fuerunt. Nihil eſt quod hujus poſterioris generis homines hoc loco moneam, cum nihil hic à me annotatum ſit, quod non ipſis æquè ac mihimet anteà compertũ fuerit. Tantùm Deum Optimum Maximum τὸν καρδιογνώστην ſupplex rogo ut eorum corda convertat, & ab iis deceptionem omnem auferat. Vos verò reliqui, quotquot eſtis Fratres, ſeu ab aliis ſeu à vobiſmetipſis decepti, ſinite ut ad vos mea ſeſe convertat oratio, utque vobis offeram *Supplicationem pro Pace*, loco illius *pro Pace petitionis* (ſic dictæ) quam quidam veſtrum nonnullis Reverendorum Præſulum noſtrorum, aliiſque Theologis obtulerunt. Si eſtis Chriſtiani, quod profitemini, quodque jubet charitas ut credamus, hujuſmodi ſupplicatio ad aures veſtras non poteſt non grata pervenire. Deus eſt *Pacis Deus*, Chriſtus eſt *Princeps Pacis*, qui ex hoc mundo ad Patrem migraturus, Diſcipulis ſuis *Pacem* legavit. Non alia eſſe ad hujus Eccleſiæ Pacem via vobis videbatur, quam ut ſingulis Miniſtris in Sacris peragendis, quoad formam & circumſtantias, quicquid liberet, liceret. Parlamento eoque

que non mutilato aut coacto, sed pleno, omnibusque numeris perfecto atque libero, aliter visum est; A quo scilicet Decreto solenni declaratum est optatissimam illam hujus Ecclesiæ Pacem atque unitatem, non aliâ, quàm Uniformi publici cultus divini celebrandi ratione, obtineri posse: Unde omnibus Uniformitas cultus imperata est, pœnæque in eos omnes decretæ qui Ecclesiæ constitutionibus morem gerere detrectaverint. Vobis enixissimè supplico, ut propter Pacem, propter Deum, isti humanæ Ordinationi, quod jubet Apostolus, subjiciamini. Scio hoc esse ejusdem Apostoli effatum, oportere obedire, Deo magis quàm hominibus. Absit verò ut ego aut alius quisquam, vobis authores simus, ut Deo sitis inobsequentes, ut hominibus placeatis. Videte autem ne ea Deo imputetis, quæ sua esse Deus nunquam declaravit, præconceptas opinationes vestras pro lege Dei habentes. Quod quid aliud est quam authoritatem Divinam vendicare & unumquemque vestrum seipsum Deum sibi constituere? Mihi ac plerisque hujus gentis hominibus id facere videmini. At vobis aliter videtur; imò asserere non dubitastis Transmarinas Reformatorum Ecclesias idem Vobiscum sentire; *Atque adeo plerarumque earum Pastores quemadmodum nonnulli è Theologis Nostratibus, conformitatem quæ jam vobis imperatur, habere pro peccato*; eo inter præcipua argumenta allegato, cur æquum sit, ut vobis liceat hac in parte animo vestro morem gerere. Hoc verò illud est quod fuit à plurimis illis Testibus quos in contrarium produximus, refutatum; Ab iisdem Testibus explosa quoque sunt omnia argumenta quibus nitimini, ut Vobis persuadeatis, nefas esse constitutionibus Ecclesiasticis Politicisque legibus apud nos sancitis de rebus ad externi cultus circumstantias spectantibus, obsequi. Res est Facti, quod aiunt, ad quam demonstrandam multò plura allata argumenta, multóque plures Testes producti sunt, quàm quisquam ad rei cujuscunque probationem afferre jure tenetur. Videtis re & nomine Episcopatum, vel

1 Petr. 2. 13. Act. 5. 29.

4 *Baxterus in Petitione pro Pace.*

velquid æquivalens ſub aliis nominibus, aut apud eas omnes obtinere, aut ſi eâ Politiâ Eccleſiaſticâ nonnullæ deſtituuntur, id ab illis neceſſitati imputari; Eaſque propenſas paratáſque eſſe ad eam admittendam, ſi tanta illis felicitas contingeret, ut ſalutari illâ Politiâ gauderent ſub Epiſcopis Reformatis; atque Eccleſiæ Anglicanæ Præſules ſummâ reverentiâ obſervare; nec non optare ut locum & dignitatem in Eccleſia ſemper teneant. Videtis ab iis injungi ut Epiſcopis aliiſque ſuperioribus inferiores Miniſtri obedientiam Canonicam jurejurando promittant, & confeſſionem fidei ſubſcriptâ manu approbent. Videtis ab iis præſcriptas *Precum & Adminiſtrationis Sacramentorum, Matrimonii celebrandi, Mortuos Sepeliendi, Gratiarum Actionis Mulierum poſt partum, Dedicationis Eccleſiarum, &c.* Formulas, decretis pœnis in contentioſos omnes, ſeu Sacrorum Miniſtros, ſeu homines Privatos, qui turbas in Eccleſiâ excitaverint circà Politiam aut Præſcriptas Liturgiæ Formulas. Videtis eas omnes, ſingulos ad uniformem externi cultus Numinis rationem obligare. Videtis omnes eaſdem Ceremonias, eoſdemque Ritus, qui in Eccleſiâ Anglicanâ uſurpantur, ad *auditum nomen Jeſu Inclinationem; in percipiendâ cœna Domini Genuflexionem; Crucis Signaculum in Adminiſtratione Baptiſmi, & alias ſignificativas Ceremonias; Dies Feſtos, Stata Jejunia, Organa Pneumatica aliaque Inſtrumenta Muſica*, & alia multa ejuſdem generis apud earum plurimas obtinere. A cæteris autem Reformatorum Eccleſiis, quæ ejuſmodi ritibus non utuntur, in Synodorum Nationalium Actis publicis declaratum videtis, *nullam eſſe in iſtis omnibus ſeu Idololatriam ſeu Superſtitionem.* Videtis earum Miniſtros Sacris noſtris lubentes intereſſe; eorum rationem impenſiſſimè commendare; Et pro ægris & delirantibus habere quotquot opinantur, fideles non poſſe illæſâ conſcientiâ Politiæ noſtræ Eccleſiaſticæ ſubeſſe & Sacram Liturgiam noſtram uſurpare. Videtis apud ipſos Fratres veſtros *Frankofurtenſes* conſtitutum fuiſſe, ut in fidelium cœtu certâ Pre-

Eccl. Reformat. Gall. National. Synod. Carenton. 1631. de admiſſionee Lutheranorum ad Sponſiones Baptiſmales. Vide Hiſtor. Diſſidii Frankofurt.

cum

cum Formulâ ſemper uteretur ipſe *Knoxus* aliique, utut precationes ex tempore fundendi dono præditi. Videtis denique ipſum *Calvinum* (quem non minoris fuiſſe ſcientiæ, aut conſcientiæ, aut minus ardentis zeli in Regno Chriſti propagando, & verâ in Eccleſiis Reformatis pietate promovendâ, quam veſtrum quemquam credi par eſt) licet Sacræ Liturgiæ noſtræ icon atris depicta coloribus ipſi exhibita fuerit, teſtari tamen nihil in eâ ſe reperiſſe, *non tolerabile*; in hacque ſe eſſe ſententiâ, *certam ſtatamque eſſe oportere Precum publicarum Formulam, à quâ Paſtoribus in functione ſuâ diſcedere non liceat; Uniformemque eſſe debere externi cultus rationem.* Quæ cum ita ſe habeant, ante omnia æquum eſt, ut agnoſcatis ingenuéque confiteamini vos in errore fuiſſe, cùm credidiſtis Tranſmarinas Reformatorum Eccleſias viroſque doctos apud eas, Politiam Sacrumque cultum Eccleſiæ Anglicanæ non ſecus ac vos ipſos averſari; Deinde fateamini etiam oportet, vos inter eos omnes qui Religionem Reformatam profitentur, ſectam eſſe ſingularem cui alia ſimilis ſub cœlo nullibi exiſtat, taleſque habitum iri ab omnibus Proteſtantibus quibus principia & axiomata veſtra perſpecta fuerint, quamdiu iis adhæſuri eſtis. Ex quibus hoc *Tertium* conſequitur, nempe ſi in ullâ aliâ Reformatorum Eccleſiâ viveritis, fieri non poſſe quin ex præconceptis opinationibus veſtris, in eâ, quemadmodùm in hâc noſtrâ eſſetis *Non-Conformiſtæ*, & quin turbas & confuſiones apud eos inveheretis, ad conſtitutum ordinem evertendum, veſtramque Diſciplinæ rationem, ſi per vires liceret, conſtituendam; aut ſi non liceret, quin eos ut *Tyrannos*, *Superſtitioſos*, & *Formaliſtas*, ob impoſitos vobis ritus, & præſcriptas Precum Formulas, proſcinderetis. Hanc tertiam concluſionem, quia nonnullis veſtrum mira videri poterit, exemplo *Johannis Welchii* Miniſtri Scoto-Presbyteriani in Scotiâ atque Galliâ probè noti confirmare lubet. Is regnante *Jacobo* Rege, cùm non modò Epiſcopis adverſarium, ſed etiam erga Regiam Majeſta-

tem

tem ſeſe contumacem præbuiſſet, in exilium pulſus in Galliam ſe recepit ubi Sacros Reformatorum cœtus frequentavit; & cum linguæ Gallicæ uſum eouſque ſibi comparaſſet, ut Gallicè poſſet concionari, admiſſus eſt ad Miniſterium Eccleſiæ Reformatæ, quæ *Angeriaci* apud *Santones* colligitur. At quamvis ſubſcriptâ manu, pro more, antequam admitteretur, promiſiſſet ſe Eccleſiarum Reformatarum Galliæ Diſciplinam obſervaturum, præſcriptamque Liturgiæ Formulam uſurpaturum; eæ tamen illius palato non magis arriſerunt quàm Eccleſiæ Anglicanæ inſtituta, aut *Articuli Perthenſes*. Nolebat ſtantibus, ſed diſcumbentibus tantùm, cœnam Domini adminiſtrare; neque præſcriptis Precum & adminiſtrationis Sacramentorum formulis utebatur, ſed extemporaneas precationes fundebat; ob quæ cum ad Claſſicalem primùm, deinde ad Provincialem Synodi conſeſſum, tandemque ad Synodum Nationalem apud Sancti Maxentii celebratam citatu eſſet, juſſus eſt ſe Ordini apud illius Regni Eccleſias conſueto conformem præſtare. Sed Eccleſiam alteramque Patriam relinquere maluit quàm Synodi Decreto obtemperare. Repetitâ itaque *Magnâ Britanniâ* in *Angliâ* privatus diem ſuum obiit. Sed en adhuc aliud ἀκολούθημα, unde liquet quàm maximè interſit ad omnium Eccleſiarum Reformatarum conjunctionem, ut Regi & Eccleſiæ debitum obſequium præſtetis; nempe ſi obſtinato animo renueritis ſolenni illi totius Regni Ordinum Decreto morem gerere, & conſueto Eccleſiæ Ordini ſubjici, factâ potiùs ſeceſſione & Schiſmate; eâ ratione vos in æternum *Auguſtanæ* Confeſſionis Eccleſiis nuncium remittere, cum apud illas Eccleſias, uti jam ſæpius obſervatum eſt, non modò iidem Ritus ſed alii plures ejuſdem generis obtineant, ob quos ab Eccleſiâ, quæ vos Chriſto peperit, diſceditis. Idque eo ipſo tempore quo cæteræ Eccleſiæ Chriſti Reformatæ in illud ſedulò incumbunt, iis Ritibus nequaquam obſtantibus, & eorum uſu legitimo ne in dubium quidem vocato, ut fraternam Chriſtique membris

Synode de St. Maixant an. 1609. Articl. 36. des Appell. Il eſt enjoint au Sieur Welch *de ſe conformer à l'ordre accouſtumé es Egliſes de ce Royaume.*

 dignam,

dignam communionem cum iis colant. Jam si pergatis in Schismate, palam est illi optimo atq; à bonis omnibus optatissimo operi obicem quem nemo tollere poterit; à vobis poni, si imitatores nacti fueritis, quod vobis in votis fuisse ante aliquot annos [a] professi estis. Fateor à quibusdam eorum qui tollendis Reformatorum dissidiis operam impendunt, scribi, Ministris Londinensibus in votis esse, ut in destinatâ reconciliatione ipsi quoque comprehendantur, & eam pro viribus promoveant: cujus rei testem laudant *Johannem Duraeum*. Quod si verum est, quale futurum putatis omnium de vobis judicium, cum res easdem à vobis simul probari & damnari viderint? An non judicabunt vos, non unius conscientiæ ductu agi, si domi adeò morosi & rigidi fueritis eo ipso tempore, quo vos foris adeo faciles & flexibiles præbetis? Sed verum, an falsum sit, quod de vobis hac in parte refert *Duræus*, perindè est. Si recta atque legitima sunt fundamenta quibus nitimini, ut hujus Ecclesiæ nostræ instituta observare renuatis, ex eo sequitur nullam esse posse reconciliationem & Fraternam communionem inter Augustanæ Confessionis Ecclesias, & eas quæ non utuntur iisdem Ceremoniis & Ritibus. Quæ omnia ingentia incommoda, Nempe 1. *Ab omnibus Ecclesiis Reformatis, &c. doctissimo pientissimoque quoque apud eas, damnari*; 2. *Sectam singularem constituere*: 3. *Ubique Christi Ecclesiarum*, GENEVÆ, *imo* FRANKOFURTI *æque ac* CANTUARIÆ *aut in æde* PAULINA, *Londini, Non-Conformistas agere*. 4. *Æterni inter Protestantium dissidii semina spargere, &c.* Vitabuntur, si modò hujus Ecclesiæ nostræ constitutionibus patriisque legibus debitum obsequium præstiteritis. Et quod vestrâque nostrâque omnium magis interest, infelicia deplorandaque nostra dissidia domestica eâ ratione feliciter componentur: unde non modò apud universam gentem & Ecclesiam nostram gaudium inenarrabile exorietur, & commoda innumera emergent, sed & apud reliquas omnes tum gentes, tum Ecclesias Reformatas;

[a] *In Westmonasteriensium Theologorum Epistola ad Ecclesias Reformatas datâ. Vide Joh. Mellet de medio concordiæ Frankofurti, 1661.*

matas; quæ cum tot neceſſitudinis arctiſſimæ vinculis nobis conjunctæ ſint, vix ſe tutas & ſecum ſatis unitas putabunt, quamdiu nos inteſtinis diſſidiis adeo incompoſitos adeoque ſciſſos viderint; Et Communis omnium noſtrum hoſtis, qui nobis jam à longo tempore inſidiatur, in omnes rei gerendæ occaſiones intentus, ſpe omni decidet. Ubi autem ita conjuncti fuerimus ut omnium noſtrum ſit quaſi ἡ καρδία καὶ ἡ ψυχὴ μία, & ſimus quotqnot in hac gente vivimus προσκαρτεροῦντες ὁμοθυμαδὸν ἐν τῷ ἱερῷ καὶ ἐν τῇ διδαχῇ τῶν Ἀποστόλων καὶ τῇ κοινωνίᾳ καὶ τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου καὶ ταῖς προσευχαῖς, Deus ille Pacis & Ordinis, Spiritum ſuum de Cœlo in nos omnes affatim effundet; omnes replebimur Spiritu Sancto, & deinceps loquemur, non minutiora illa (qualis olim fuit apud Judæos *mentæ* & *rutæ & omnis oleris* decimatio) licet non ſint negligenda & prorſus omittenda, ſed μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ, idque non prolubitu, ſed καθὼς τὸ πνεῦμα δίδωσιν ἡμῖν ἀποφθέγγεσθαι. Sicque tandem, quamvis antea domi foriſque, ſcandaloſis diſſidiis noſtris & bellis pluſquam civilibus bonos omnes offenderimus, felici hac noſtrâ conjunctione erimus *fragrantia Chriſti* per omnia Sæcula, apud omnes Eccleſias Chriſti, magni illius εἰρηνοποιοῦ. *Amen, Amen. Obſecro autem vos Fratres, per nomen Domini Jeſu Chriſti, ut idipſum dicatis omnes & non ſint in vobis Schiſmata: ſitis autem perfecti eâdem mente & eâdem ſententiâ.* 1 Cor. 1. 10.

§ *Jam verò quis fuerit ſuſcepti laboris ſucceſſus, paucis accipite. Noſtri quotquot librum à me editum perlegerunt, ingenuè agnoſcere Fratrum Tranſmarinorum Eccleſias Reformatas longè aliter comparatas eſſe quam putaverant, eoque nomine Deo gratias agere, atque mihi ſuſceptum laborem gratulari: Adverſariorum verò mentes diverſò agi: Nonnulli enim (licet numero pauci, quæ eſt iſtorum pervicacia atque obduratio) errorem non fateri modò, ſed etiam relinquere; alii vero Tranſmarinorum Reformatorum Eccleſias eâ, quâ ego affirmaveram, ratione conſtitutas præfractè negare; alii apertè dicere, quod licet ea ſit illarum Eccleſiarum ratio, iſque ſtatus, quem ſcribit* Durellus, *id nihil ad ſe, cum*

& laborent ipsæ multis defectibus, quos emendari oportuit, nec exemplis in Religionis negotio, sed Scripturâ niti pios debere; alii deniq; stylum adversus Tractatum meum stringere. At, quod nemo poterit non mirari, quamquam ego Anglicè *pro consilii mei ratione, scripsi, illi alio idiomate,* Gallico *scilicet* Latinoque *Responsiones suas ediderunt. (Quâ de re in Responsione ad Apologistæ Præfationem) Sicque controversias nostras, (quæ utinam nunquam extra* Magnam Britanniam, *utinam nusquam auditæ fuissent) transfretare voluerunt. Scriptiones suas* Apologiæ, *aliam pro Puritanis Anglis, aliam* Apologiæ pro Ejectis in Angliâ Ministris, vulgò Non-Conformistis, *titulo insignire placuit. Sed reverâ Satyræ sunt & famosi adversus Ecclesiam Anglicanam libelli; Unde & Anonymis Authoribus prodierunt.* Gallicæ *Puritanorum Anglicanorum* Apologiæ *scriptor nec mei nec alius cujusquam in libri titulo meminit. Qui autem* Latinè *scripsit, opus suum inscribit adversus* Argutiolas putidasque calumnias *D U-R E L L I,* Ellisii aliorumque. *Ille ex Independentium (quod multa indicant) licet Presbyterianorum causam agat; iste ex horum sectâ prodiit. Illum obiter tantùm cum vix dignus sit cujus à quoquam mentio fiat, nedum qui legatur perstringo; istum sequor κατ πόδα in his, non meis, sed* ECCLESIÆ ANGLICANÆ VINDICIIS. *Ea enim per meum latus petitur. Satis autem vindicatur Ecclesia nostra, si modò qualis revera est, non qualis à Puritanis esse fingitur, appareat. Satis itidem refutantur* Puritani, *si, dempto fuco, veris genuinisque coloribus depingantur. Quæ duo in hoc opere præstare conatus sum. Scilicet quemadmodum Reformatarum Christi Ecclesiarum extra Angliam, Politiam, Precum Formulas, Sacros Ritus, & de Politiâ Ecclesiasticâ, de Precum Formulis & Sacris Ritibus judicium priore libro Britannis meis exhibui; ita hocce posteriore, Ecclesiæ Anglicanæ Politiam, Liturgiam, Sacros Ritus, & de Politiâ Ecclesiasticâ, Liturgiâ & Sacris Ritibus sententiam & simul verum controversiarum nostrarum cum Puritanis statum, Fratribus Transmarinis ob oculos pono. Unde constabit* 1. *Adversario-*

rum

rum nostrorum placita circa Precum publicarum Formulas & Sacros Ecclesiæ Ritus in genere, non magis à nostrâ quam ab omnium aliarum Ecclesiarum Reformatarum doctrinâ (Idem enim hac in parte omnes sentimus) distare. 2. Eosdem homines etiam circa Ecclesiasticam Politiam ab omnibus Reformatis, non tantum ab iis qui nobiscum Episcopatum Divini, *sed ab iis quoque qui eum* Ecclesiastici *tantum* juris *esse sentiunt, diversos abire; cum omnes uno ore affirment Episcopis Reformatis (quos Presbyteriani ante lustra circiter quinque sedibus suis vi & armis pepulerunt, quibusque, Dei Regisque beneficio, restitutis Canonicam obedientiam etiamnum detrectant) subesse fideles debere. 3. Non hic unius Ecclesiæ Anglicanæ sed omnium Ecclesiarum Reformatarum causam agi, contra eam hominum sectam, Qui non minores circa Adiaphora Tragœdias excitare solent,* quam si de Trini Numinis (*ut verbis utar* Jacobi *Regis*) ὑποστάσει, digladiarentur; Et Regem, Legem, Gregem pedibus conculcari, quam ab ullâ præconceptarum opinationum suarum circa politiam Ecclesiasticam aut cultum externum recedere. *Quorumque adeo exemplum in Ecclesiis Reformatis periculosissimum est & maximopere metuendum; cum nulla omnino sit inter Reformatos Ecclesia, in qua quædam ejusdem generis instituta non obtineant, ob quæ isti in Anglicanâ Schisma fecerunt.* 4. *Ecclesiam Anglicanam Ritus, quibus utitur, nec abolere nec mutare posse quin multas offendat Ecclesias Reformatas; apud quas iidem Ritus observantur; & quod longè gravius est, quin Ecclesiæ Christi in Ritibus adiaphoris instituendis authoritatem, & Christianam in iis usurpandis fidelium libertatem infringat. Non enim Ritus nostros ut incommodos & multitudine laborantes, aut inutiles ac superfluos; sed ut impios, superstitiosos ac præter contraque Christi Domini Regis ac Prophetæ nostri, voluntatem institutos oppugnant & rejiciendos clamitant. Certè si eos, licet absque omni ratione, ut onerosos tantum ob multitudinem, aut superfluos ob inutilitatem removeri peterent,* quamquam semel institutos Ritus *nec* subindè nec levibus de causis, *ut Optimè* Calvinus, mutari

mutari expedit) *possit propter Ecclesiæ pacem aliquid iis hac in parte concedi. Sed quamdiu errorem suum de Rituum in Ecclesiâ Anglicana usu-receptorum naturâ, de Ecclesiæ Potestate circa adiaphora, & de fidelium libertate in adiaphoris usurpandis, retinebunt; si illis mos geratur, in errore confirmabuntur; cæteræ Ecclesiæ apud quas iidem Ritus obtinent, ut superstitiosæ & impietatis reæ damnabuntur; Nec erit hîc Ecclesiæ* Anglicanæ *peccatum minus, quàm si Ritus suos, non ut adiaphoros ex naturâ suâ, sed ut externi cultus Numinis partes essentiales absolutè & ex se observatu necessarias, urgeret. Utrinque enim superstitio eadem esse videtur, cum ritum naturæ mediæ, aut per se impium pronuncias; aut cultus divini partem essentialem simpliciter & necessariò observandam statuis. A quibus extremis longè semper abierunt ubique gentium, Ecclesiæ Reformatæ. Hinc denique constabit paucorum illorum Scriptorum è vestris temeritas (nequid dicam durius) qui quamvis tum Ecclesiæ nostræ, tum Controversiarum nostrarum cum Puritanis, statum ignorarent, non tamen dubitarunt, non modò rebus nostris sese immiscere, sed & Schismaticorum, contra Ecclesiam miserè ab illis dilaceratam, ausis Sacrilegis favere. Hos, cum non sint unius generis, nec de rebus nostris eodem animo scripserint, non eodem modo, sed pro meritis excipio. Qui utinam in posterum res suas agant, nostras nobis relinquant, nec sint in alienâ Republicâ plus æquo curiosi: aut si aliarum Ecclesiarum controversiis sese immiscuerint, sedulò caveant ne Schismata in quâcunque Ecclesiâ exoriantur, foveant, & Schismaticis animos addant, contra Ecclesiam cujus membra sunt. Atque utinam ex malis horum moribus bona hæc lex apud omnes Reformatos, sub pœnis gravissimis, sanciatur, scilicet,* Nequis ullam Ecclesiam ob diversam Politiæ, aut Liturgiæ, aut Rituum formam publicè sive Verbo sive scripto nominatim damnare audeto: Nequis adversus ullam Ecclesiam stylum stringito: sed sicujus pugnaturiat animus, Ecclesiam Romanam, communem, scilicet Reformatorum omnium hostem, totis viribus adoritor. Et siqui eò vecordiæ & impietatis devenerint, ut

illis

illis Ecclesiam, cujus membra sunt, ob res naturæ mediæ, quales sunt externi Ritus, scindere, non religio sit, in hos, omnes & singuli omnium Tribuum Israëlitæ, lapides undique conjiciunto. *Porrò, si cui Vestrûm,* Patres in Christo Reverendissimi, Fratresque colendissimi, *Schismaticorum Apologistam & unà ipsos Schismaticos nonnunquam acriore stylo castigare videar, id, quæso, imputetur justissimæ indignationi, cui calumniis suis putidissimis, atrocissimisque convitiis quibus venerandam Matrem Ecclesiam Anglicanam onerare ac proscindere non desinunt, ipsi causam præbuere. Ego quidem apud me constitueram eamdem moderationem servare, quâ toto priore Tractatu usus fueram. Sed non potui quandoque non vehementiùs commoveri, cùm nihil sincerum, nihil candidum, nihil verum, apud Apologistam & alios Schismaticorum* ὑπερασπιστὰς; *sed imposturas, fraudes, malam fidem, mendacia pellucida, & convitia perpetua ubique reperirem, ac præterea nihil; cúmque viderem eosdem homines, qui motuum nostrorum pars magna fuerunt, eo ipso tempore quo hæc scribebam, in Schismate perseverantes, in diesque magis magisque insolescentes atque magnis passibus eadem vestigia prementes quibus memoriâ nostrâ, Regna Ecclesiasque Britannicas impetu adeo violento concusserunt, ut post novennalem restitutionem, vix fundamentis suis firmiter innixæ etiamnum perstent; nec tamen verecundari Apologias scribere, ac quiritari, se ex Ecclesiis suis Ejectos. Cum reverâ non modò Reverendos Episcopos sedibus, sed alios innumeros Christi Ministros, Ecclesiis sediosè expulerint; ipsi verò Ecclesias suas nunc ultrò deserere maluerint, quàm communis Disciplinæ legibus subjici; pervicaciorum puerorum instar, qui dum ipsi nutricum ora unguiculis lacerare conantur, non secus vociferari solent ac si inclementiùs vapularent. Ut pro Ecclesia Anglicana Reverendisque illius Episcopis contra Presbyterianos appositissimè dici possint, quæ Synodi* Alexandrinæ *Patres tam pro se quam pro Magno* Athanasio *scripserunt contra* Athanasii *Adversarios in Epistola quæ inserta habetur in* Athanasii *Apologia secunda pro*

fugâ

fugâ suâ. * Sacra nostra ut semper, ita nunc etiam pura, non nisi Christi Sanguine & in eum pietate sanctificata. Neque Presbyter neque Diaconus ab *Athanasio* interfectus est, neque cædem ille aut exilium irrogavit. Utinam illi qui veram persecutionem induxerunt, nihil tale contra illum perpetrassent. Nullus enim operâ ejus patriâ excidit; ipse autem Athanasius Episcopus Alexandriæ ab istis in exilium actus est, quem nunc iterum, quia ab ea relegatione liber dimittitur, iisdem vel etiam gravioribus criminationibus irretire conantur, linguam suam ad omnia falsa & crudelia exacuentes. Quinimo ipsa Judicum acta in ipsum transferunt. *Perspectum jam habetis*, Reverendissimi Patres, Fratresq; colendissimi, *Tractatus Anglici scribendi consilium; Perspecta quoque vobis sunt quæ in eo Tractatu continentur; perspectus denique ex Epilogo, ipse scriptoris stylus. Successum autem expertus sum, qualem his verbis prædixerat Salomon;* Non amat Illusor increpantem se, ad sapientes non accedit. *Et alio loco*, ne increpes Derisorem, ne fortè odio habeat te, increpa sapientem & diliget te. *Videtis simile omnino in his* Vindiciis *scribendis consilum mihi propositum. Unam mihi, non Anglicanæ modò, sed omnium Ecclesiarum Reformatarum Pacem propono: unam voveo, spiro, ambio; unam pro viribus promoveo. Sed illius mihi spes admodum exigua, si ulla, affulserit, quamdiu* Puritani *aliive in errore hærebunt, circa adiaphora, & Uniformitatem cultus externi in quâlibet Ecclesiâ* Nationali, *ut sunt comparata hominum ingenia, observare, præfractè renuerint. Vobis Arbitris causam hanc Adversarii denuò agi voluerunt; Vobis Arbitris, vestrisque adeo ardentissimis ad Deum fusis precibus, quæ tamdiu Ecclesias Britannicas exercuit, lis nostra dirimatur. Tu verò* Domine, benignè fac in bonâ voluntate tuâ Sion, & ædificentur muri Jerusalem. *Valete in Domino.*

Johanne

* Τὰ παρ' ἡμῖν ἱερατεῖα, ὥσπερ ἀεὶ καὶ νῦν καθαρὰ, μόνῳ τετιμημένα τῷ αἵματι τοῦ Χριστοῦ, καὶ τῇ εἰς αὐτὸν Εὐσεβείᾳ· οὐ Πρεσβύτερος, οὐ διάκονος ἀνηρέθη παρ' Ἀθανασίου· οὐ φόνον οὐκ ἐξορισίαν ἔδρασαν ὁ ἄνθρωπος· ἀλλ' εἴθε μὴ δὲ ἐκεῖνοι κατ' αὐτοῦ τοῦτ' ἔδρασαν ἀληθείᾳ τὴν πεῖραν ἐπαγάγοντες· οὐδεὶς γὰρ ἐξόριστος ἐνταῦθα δι' αὐτὸν, πλὴν αὐτοῦ τοῦ ἐπισκόπου Ἀθανασίου Ἀλεξανδρείας παρ' αὐτῶν; ὃν ἀφεθέντα καὶ πάλιν τοῖς αὐτοῖς καὶ χείροσι περιβάλλειν ἐπιζητοῦσι πάντα πρὸς ψευδῆ καὶ θανατηφόρα ῥήματα τὴν γλῶτταν ἑαυτῶν ὀτρύνοντες· ἰδοὺ γὰρ λοιπὸν καὶ τὰς τῶν Δικαστῶν πράξεις ἐπ' αὐτὸν μεταφέρουσι.

JOHANNES DURELLUS,

Pyrgopolinici

Schismaticorum Anglicanorum

APOLOGISTÆ

CHRISTIANAM MENTEM.

EGo verò, Vir Egregie, ubi primùm famoſi Libelli tua Copia mihi facta eſt, horulas aliquot ſubciſivas in eo refutando impendere conſtitui; non quòd mihi vel cordato cuiquam, aut ipſis etiam Contribulibus tuis, reſponſione dignus videatur; ſed quòd facili operâ exiguoque temporis diſpendio illud, quicquid eſt negotii, abſolvi poſſit. Quippe ἀπροσδιόνυσα omnia, quæ ſanè multa effutiiſti, intacta omnino lubet præterire. Ad ea etiam omnia quæ tu, aut commotâ bile, aut indurato ſplene, aut delirâ mente, aut animo præ ſuperbia ferocience, cùm in me, tum in alios meque teque longè præſtantiores, parum ingenuè, ſed Schiſmaticorum, ideoque tuo more, deblateras, ne verbum quidem reponere animus eſt. Sic enim ego didici Chriſtum, qui *cùm malediceretur*, &c. 1 Petri 3. Hujus opem ſi tu purâ ſinceràque mente imploraſſes ab ea manſuetudine, modeſtiâ, charitate, atque veracitate, quarum Typum vivum ſe Diſcipulis ſuis in omnibus præbuit, non tam longè totâ Scriptiunculâ tuâ abiiſſes, ut Chriſti vix nominis, nedum ingenii vel exempli, vel præcepti, meminiſſe videaris; utque tuos, quibus aliquid pudoris relictum eſt, tui pudeat.

§. Plura

§. Plura sunt quidem, quod tecum agnosco lubens, errantium genera, qui non sunt unâ eâdemque ratione excipiendi, sed aliâ atque aliâ methodo, pro variis eorum ingeniis ac erroribus arguendi. Tunè verò adeo es infrunitus adeoque vecors atque Viribus tuis confisus, ut tibi persuadeas *Durellum*, Aliumve quemquam, siquidem à via abierit, in viam ideo revocatum iri, quòd ipsi, nescio quid, Thrasonicè miniteris, eumque verbis contumeliosis afficias. Alii fortè, injuriarum minùs patienti quàm sit *Durellus*, stomachum movisses, ut te modis dignis tractaret, ac probè defricaret. *Durellum* sanè tui *miseruit*, cùm videret te veritati pudorique atque bonis moribus nuncium planè remisisse. Hoc etiam apud illum te planè excusatum habuit; quòd, cùm sis ex eorum grege, *qui se primos omnium hominum esse putant, nec sunt tamen, ac cæteros præ se pro nihilo habent*, nihil à te profectum videat præter ingenium Sectæ tuæ, quodque à Schismaticorum Apologistâ expectari non debuerit. Hinc est quòd haud ægrè ferat abs te adeo contemptim haberi ut, veluti de sublimiore Cœlo, eum quasi vermiculum humi reptantem, ubique despicias. Quamquam itaque paginâ 41. ex eo quòd toto Tractatu suo cæterarum Ecclesiarum extra *Angliam* Reformatarum, solâ authoritate pugnet adversus *Presbyterianos* Schismaticos, satis temerè pronunciavisti, *Eum hoc unum potuisse*; haudquaquam de te similem sententiam feret. Ferret quidem si, quia præter loquacitatem, scurrilitatem, qualis *Servolorum* esse solet, maledicentiam, disputationes de lana caprina, vitilitigationem perpetuam ac insulsos Sarcasmos toto Libello tuo nihil prorsus continetur, ideo affirmaret te præter hæc nihil aliud potuisse. Absit verò ut sit tam iniquus tibi. Quin ingenuè agnoscit faterturque, te, quod unum susceperas, abuti ingenio tuo, pudorem omnem excutere, venerandam Matrem Ecclesiam Anglicanam inverecundis Calumniis onerare, Virorumque bonorum & de Ecclesia Christi optimè meritorum famam caninis dentibus lacerare, hoc egregiè sanè, & ut Virum strenuum decuit, præstitisse.

præstitisse. *Durello* pariter propositum fuit, Anglicanæ Genti Universæ, tum Schismaticis, tum etiam Protestantibus, quibus Schismatici imposuerant, palam facere, *Ecclesias Reformatas, quas Transmarinas solemus appellare, haudquaquam Ecclesiæ Anglicanæ adversari; sed ipsis cum ea optimè convenire: tantùm abest ut ipsam, quod faciunt* Presbyteriani, *eversam cupiant, & ab illius communione abhorreant*, quod allegatione testimoniorum ex *Libris Symbolicis* earum Ecclesiarum, tum etiam ex Virorum Doctorum, qui apud illas olim floruerunt, aut etiamnum florent, privatis scriptis petitorum; ut & ex Cultûs ac Politiæ Ecclesiasticæ, quæ in illis Ecclesiis obtinent, cum Ecclesia Anglicana Conformitate, fieri debuit. Idque à *Durello* factum, idque unum factum, quia id unum faciendum *Durello* incubuit.

§. *At vociferatur in Epilogo* Durellus, *Presbyterianos, ex omnibus qui Reformatam Religionem profitentur, Sectam esse singularem, cui similis sub sole non existit; Dicit etiam, si in ulla alia essent Ecclesiâ, necesse esse, modò principiis suis stare velint, ut sint non conformes & evertant omnem bonum ordinem illic constitutum.* At aliud est, mi homo, cur adeo succenses, quàm quòd sic vociferatur, sicque dicit *Durellus*; aliud est quod te urit, quodque bilem tibi adeo commovet, ut præ iracundia non sis apud te. Hoc scilicet quòd nihil in Epilogo concludit *Durellus* quod non in antecedentibus probatum dederit, rebusque addixerit planè necessariis, ut Legentibus videre est. Si quid enim hac in re *Durellus* alienum à vero affirmavit, quin tu nobis aliquam Ecclesiam Reformatam exhibes, in qua (cætera enim nunc omitto) Sacro-sancti Evangelii Ministri, quum legitimis Orthodoxisque subessent Episcopis, & Sacram Liturgiam haberent, non modò *ab omni Superstitione & Idololatriâ Papisticâ, sed ab iis etiam omnibus, quæ nimium onerosa & operosa erant, vel parum, aut nihil omnino ad ædificationem Ecclesiæ faciebant, repurgatam, Episcopos suos, quibus Canonicam obedientiam ultrò juraverant, omni Con-*

Vide *Thes. Salm. Thes.* 2. *de Liturg. & Amyrald. Paraphras. in Psalm. in Epist. Dedic.*

a 2 *tumeliarum*

tumeliarum genere affectos, sedibus suis pepulerint, atque in eorum munus involaverint; Liturgiam autem, reclamante licèt ac obnitente Principe, & cum eo longè majore longèque potiore Cleri parte, planè abrogaverint, nullâ aliâ in illius locum substitutâ. Si quos noveras hujus commatis inter Reformatos, operæ pretium fuisset, eos nobis indicasse. Nulli certè Clarissimo *Capello*, Scriptori diligenti, homines ejusmodi innotuerant. *Nuperrimè*, inquit, *exorti sunt in* Anglia *morosi, scrupulosi, & delicatuli nimium (ne Superstitiosos planè dicam) homines, quibus Ecclesiæ suæ hactenus usurpata Liturgia visa est multis, sed levissimis nulliusque penè momenti de causis, non improbanda solùm, verùm etiam planè abroganda, & penitus unà cum toto Episcoporum regimine abolenda & obliteranda, in cujus locum Directorium suum, quod vocant, substituerunt.*

Quis verò, inquis, *vel inter Ecclesiæ Anglicanæ Protestantes paulò cordatior, ferat tot Theologos à* Durello *damnari?* Quem verò, *inquam*, inter Reformatos (nisi res suas planè non intelligant & pacem Ecclesiæ susque deque habeant) *Durellus* sibi non demeruit; vel eo nomine, quòd Schismaticos Anglicanos falsi reos peregerit, qui abhinc viginti annis, & quod excurrit, Ecclesias extra *Angliam* Reformatas in omnibus, imo & in odio plusquam Vatiniano, quo flagrant in Ecclesiam Anglicanam, sibi ὁμοψήφους affirmare non erubuerunt, & etiamnum haud erubescunt: quod unum toto Tractatu sibi *Durellus* proposuit. *Tot verò Theologos inquis à* Durello *damnari!* Vix unus aut alter ab eo nominatim, idque obiter tantùm, perstrictus, *Mantonus* scilicet ac *Burgesius*. At Deus bone! quales Theologi, quos piaculum sit vel extremis digitis attingere! Hic Sacrilegâ Ædium R. *Decani* ac redituum Reverendi Episcopi *Wellensis* emptione à non Dominis, & immisso à justo Sacrilegiorum vindice in faciem ad os usque, quo etiamnum exeditur, fœdo carcinomate, per totam *Britanniam Magnam* jam famosus: Ille verò Parricidæ *Cromwelli* solemni in Aula *Westmonasteriensi* inauguratione (cui Sacerdos *Presbyterianus*

anus

anus præfuit) & ſceleratâ Oratione, quâ fauſta omnia, Principatum etiam diuturnum & in Nepotes derivandum, impio Tyranno comprecatus eſt, per totam Europam jam infamis.

Sed nec Authori *petitionis pro Pace pepercit* Durellus; *Animal ſcilicet gloriæ, ut magnis inclareſcat inimicitiis, cum Reverendo* Baxtero *audet in arenam deſcendere, ut cum tanto Theologo certaſſè feratur.* Primò *Baxteri* famæ aut debitæ laudi nihil detractum velim. Fuit ille diu Perduellium exercitui à Sacris, & fuiſſe utinam pœniteat. Pro mercede navatæ Perduellibus tam gnaviter operæ opimum adeptus erat Sacerdotium, ſed Paſtori legitimo non aliâ de cauſa ereptum, quàm quòd fidem Principi ac Eccleſiæ datam violare non auderet: quod quidem Sacerdotium à *Baxtero* poſſeſſum per annos complures (quâ Conſcientiâ ipſe viderit) &. ægrè tandem, CAROLO II. in Regna reduce, vero Poſſeſſori redditum. Sed non his modò, verùm etiam ſcriptis plurimis claruit Reverendus *Baxterus.* Scripſit Theologica multa, piè ſanè & doctè, imo & moderatè. At piget dicere Virum tantum, qui inter *Presbyterianos* familiam ducat, duo grandia volumina *Richardi Cromwelli* Sereniſſimæ Celſitudini, ſi Diis placet, binis Epiſtolis Dedicatoriis conſecraſſe, ridiculo Capiti indignis adulationibus litaſſe, eidemque fidem tamquam Principi legitimo ultro pollicitum, de Rege apud exteras Gentes exulante, tunc temporis ut videtur, parùm ſollicitum. Nec leviùs peccavit Vir Reverendus aliâ Dedicatione, qua Tractatum quemdam Theologicum *Whaleyo* Tribuno, uni ex CAROLI Regis nefariis interfectoribus, tamquam Viro pio ſceleriſque puro nuncupavit. Scripſit etiam *Baxterus* politica, in quibus mirum quàm benè ipſi Miniſtro *Presbyteriano* conveniat cum *Thoma de Albiis* Eccleſiæ Romanæ Sacrificulo, qui librum antea ediderat de eodem argumento. In hoc ſcilicet conſpiraſſe videntur, quaſi communicatis conſiliis, Viri Politici, ut Imperium, horrendo licèt Parricidio quæſitum, *Cromwellis* aſſerant & ſartum tectum præſtent etiam adverſus

Mr. Baxters Holy Commonwealth.
Mr. White of Government and Obedience.

adversus Hæredem legitimum. Huic enim, si quando tentaverit in Regna avita reverti, omnes Regni *Angliæ* subditos collatis Viribus resistere ex Conscientia teneri, plurimis argumentis probare satagunt. Atque hic ille est formidabilis filius *Hanak*, quem si vel oculis suspicere audeat *Durellus*, gloriæ Animal audire, te judice mereatur. *Tibi* verò *Viro forti atque fortunato, tum Bellatori, ad cujus virtutes Mars haud ausit suas dicere, neque æquiparare*, licitum est (etiam modestè) in Reverendissimos Ecclesiæ Præsules, Viros pietate ac doctrinâ Celebres, *Andræam, Laudum, Morleyum, Cosenum, Sandersonum*, &c. scurriliter debacchari; Præstantissimum *Fulwoodum* Totnesii Archidiaconum, in cujus scriptis certant cum eruditione atque moderatione brevitas ac perspicuitas, conculcare; *Ellisium* etiam Virum Doctum, ac Pium, *infamem Apostatam* non aliâ de causâ vocare, quàm quòd ab *Independentibus*, ad quos olim, in simplicitate cordis sui transversum abreptus, aliqua ex parte defecerat, ad Ecclesiam Anglicanam (ad se tandem cum bono Deo reversus) redierit. Sed ut ad *Baxterum* illum tuum Heroa redeam. Is quidem, ut ex superioribus patet, non est levis armaturæ Miles habendus, qui cum ipsis Principibus manum conserere & adversus ipsum Regem in aciem descendere non dubitavit. Itaque haud negaverim me audaciorem videri potuisse, qui licèt minimus in *Israel*, *Philisthæum* illum non veritus sim adoriri. Quo autem successu, esto penes Lectorem judicium.

Verùm Theologos tuos, quæ tua est æquitas, patienter ferres ab alio damnari, à *Durello* non fers. Quid ita? *Scilicet* Durellus, *controversiarum, quæ inter Ecclesiam Anglicanam & Gentem Puritanicam agitantur, statum vel prorsus dissimulat, vel penitus ignorat. Siquidem lippis & tonsoribus notum est exigi ab iis, qui per Classem* Presbyterorum *ordinati sunt, ut denuo ordinentur* Presbyteri *per impositionem manuum, imo ut creentur Diaconi.* Quid verò si ostendero, nec eum esse controversiarum nostrarum statum, nec à *Durello* dissimulatum aut ignoratum; atque utut res se

habeat

habeat, id primo quatuor eorum capitum contineri, ad quæ *Durellus* affirmavit revocari posse singula, de quibus vitiligare solent *Presbyteriani*. Numquid causam dices cur tibi auriculæ non *radantur* modò (quod *Durello* minitaris) sed abradantur, & prorsus amputentur, atque sic mulctatus, prout dignus es, in pistrinum ad molam detrudaris, pro ista tua Sycophantia, qui *Durellum* dissimulati aut ignorati controversiarum nostrarum statûs, imo & calumniæ insimulare, horum omnium reus ipse non verecunderis? Agedum itaque, quæro à te, an non sit idem nunc controversiarum nostrarum status qui fuit ante viginti annos, cùm Factio tua vi & armis Regem ipsum, & cum Rege Ecclesiam Anglicanam cœpit adoriri? num quis verò fuit tunc temporis, *per Classem Presbyterorum*, ut sic loquar tecum, Minister factus, qui huic controversiæ occasionem præberet? An non omnes tunc, Sacrorum Ministri, primores etiam *Puritanorum*, erant per Episcoporum χειροθεσίαν ritè ordinati? Nec ideo tamen minoribus odiis pugnabant adversus Ecclesiam Anglicanam malè-feriati homines, qui jam tum illius statum funditus evertere, totis Viribus annitebantur; quique ne non succederet facinus, quod animo conceperant, conjuratione nefandâ, solemni jurejurando sacratâ atque obsignatâ, ad id sese adstrinxerant. Si nunc is est controversiarum nostrarum status, *an scilicet ii sint ab Episcopo denuo ordinandi, qui sunt per Classem* Presbyterorum *jam ordinati*, dic sodes, quis tum fuit? num hic idem? num alius? an nullus? haud, opinor, dices nullum; hunc fuisse dicere non potes. Alius fuit igitur, & porro erit quamdiu Deus Optimus Maximus occulto judicio, sive ad explorationem suorum, sive ad emendationem aliorum, Turbonum tui similium amentiam in Ecclesia sua patietur. Atque is ipse est quæstionis status quem *Durellus* quatuor omnino Capitibus comprehendi verè affirmavit.

At Lippis & Tonsoribus notum est, exigi ab iis qui per Classem Presbyterorum *ordinati sunt, ut denuo ordinentur* Presbyteri *per impositionem manuum; imo ut creentur Di-*

aconi.

aconi. Exigitur ſanè & meritò, ut mox patebit. At non inde ſequitur eum eſſe ſtatum Controverſiarum noſtrarum; de hoc enim nulla eſt Eccleſiæ Anglicanæ cum *Mantono* Controverſia. Is enim, licet omnes Sacri Miniſterii partes per multos annos objerit,& *Cromwello* etiam à Sacris fuerit, anno primo Reſtaurationis CAROLI Secundi *Presbyter* ordinatus eſt à Reverendo Epiſcopo *Gallovidienſi* Sacros Ordines tum *Weſtmonaſterii* celebrante. Nec major cum *Calamio*; Nec cum *Burgeſio*, nec cum cæteris Schiſmaticorum Miniſtris veteranis. Hi enim omnes ante turbas noſtras (veſtras rectiùs dixerim,nempe à vobis excitatas) ad *Presbyteratus* ordinem juxta Ritum Eccleſiæ Anglicanæ ordinati fuerant. *At profectò*, inquis, *ſi Romanæ Eccleſiæ Legati (toto Concilio Chalcedone Congregato approbante) rectè pronunciaverunt* Ἱεροσυλίαν τὸ Ἐπίσκοπον εἰς Πρεσβυτέρου κατάγειν βάθμον, *majus erit Sacrilegium, ut* Presbyterio *per multos annos probè defunctus ad Diaconatum detrudatur*. Rectè quidem tum Eccleſiæ Romanæ Legati,tum cæteri Patres *Chalcedonenſes*. Quocirca nec ἱεροσυλίας reos eſſe *Presbyteriani* negare ſe poterunt, qui Epiſcopos ſuos vi & armis non modò gradu dejecerunt, ſed & ab Eccleſia univerſum Epiſcoporum Ordinem, quantum in ipſis fuit, prorſus eliminarunt; Nonnullos carcere per multos annos detinuerunt; Quoſdam etiam fœdè trucidarunt. Neque ego laudaverim ſi quis *Presbyterio* probè defunctus ad Diaconatum detrudi ſe volens patiatur. Verùm ut quis *Presbyterio* probè defungatur, eum oportet *Presbyterum* fuiſſe ritè ordinatum, quod de Miniſtris tuis *per Claſſem*, ut tu loqueris *Presbyterorum* ordinatis, dici non poſſe, vel unâ hac, ut alias taceam, ratione liquèt, quòd in ea ſint Eccleſiâ ordinati in qua nulla Ordinatio ritè fit abſque Epiſcopo, juxta illud Beati *Ignatii*, Ἄνευ Ἐπισκόπου μηδέν. Sacrilegii itaque ſe adſtrinxerunt iſti, cùm Sacro Miniſterio ſe immiſcuerunt abſque vocatione legitimâ; non autem Eccleſia Anglicana, cùm eos jubet Canonicè ordinari. Quin optimæ Matris inſigni clementiæ debent acceptum ferre, quòd in illorum Sacrilega temeritate

Reverend. Ellenſem per annos octodecim. R. R. Cantuarienſem.

S. Ignatius in Epiſtolis paſſim.

tate

tate connivens eos ad Sacros Ordines, quibus indignos se præstiterant, dignetur admittere. Verùm, utut se habeat ad Controversiarum nostrarum statum negotium illud Re-ordinationis (si sic liceat Ordinationem legitimam nuncupare) cui nisi sponte cæcutienti non perspicuum est, ad primum caput eorum quatuor planè pertinere, quæ Controversias nostras universas complecti affirmavi, scilicet, *an Episcopatus sit in Ecclesia Christiana Regimen legitimum?* Nam si sit Regimen legitimum in Ecclesia Christi, profectò sicubi fuerit Ecclesiasticis Canonibus constitutum patriisque Legibus sancitum, ibi sanè nefas illud violare; ibique irritum esse oportet quicquid fit contra aut præter ipsius Constitutionem. Alioqui nihil certum, nihil tutum, nihil adversus Novatorum audaciam satis munitum in ulla Ecclesia. Legitimum autem Regimen esse Episcopatum in Ecclesia Christi, uno ore asserunt, quotquot in Ecclesiis Viri doctrinâ ac pietate insignes, atque authoritate pollentes, à primo Reformatæ Religionis tempore ad nostrum usque floruerunt. Quod ex Ipsorum, Præcipuorum certè, scriptis à me satis superque demonstratum in Tractatu quem Anglicè scripsi, *de Ecclesiarum Reformatarum*, *extra* Angliam, *concordiâ cum Ecclesia Anglicana*, in iis quæ spectant ad Cultum Publicum & Politiam Ecclesiasticam. Idque satis fuisset non modò eximendo, Fratrum animis, scrupulo, si quis hæserit circa Re-ordinationem quam vocant, sed & novo injiciendo, circa ausum Sacrilegum, quo, Reverendorum Episcoporum legitimâ manuum impositione posthabitâ, ad meros *Presbyteros* se contulerunt præcipites, ut ab Iis ordinarentur. Sed Fratrum Conscientia quæ, quum legibus parendum est, admodum tenera esse solet, si quid contra jus fasque perpetrandum, illicò penitùs occalluit. Exemplo sit *Mantonus* jam à me suprà laudatus. Ille Parricidæ *Cromwelli* solemni Inaugurationi, cùm immanis Tyrannus apud Nos contra fas omne publicè Regnum usurparet, præesse tum orando tum concionando non dubitavit. Nullus tum scrupulus Fratris tenellam Conscientiam urgebat. At si,

post restitutum Regnis suis tantùm non miraculo, adeoque stupente orbe, Serenissimum Regem, & redditam Legibus tum Ecclesiasticis, tum Politicis suam authoritatem, Frater jubeatur Sacra peragere decentem habitum indutus, & Sacra Eucharistiæ elementa, juxta Ritum Ecclesiæ Anglicanæ, humiliter genua flectentibus in manum porrigere, non patitur Reverendi Fratris tenera Conscientia. Quin mavult Ministerium deserere aut eo solummodo fungi in clandestinis Conventiculis, ad Schisma faciendum firmandumve in Ecclesia,& pacem publicam interturbandam.

Verùm enimvero, *per summam Calumniam fingit* Durellus, si tibi fides habenda est, *quæstiones hodie in Anglia agitatas ad quatuor capita posse revocari.* Primò, *An Episcopatus sit licitum Regimen in Ecclesia Christiana?* Secundò, *An præscriptæ precationum formulæ usurpari possint?* Tertiò, *An sit penes quamlibet particularem Ecclesiam Nationalem Leges ferre de externis rebus & circumstantiis, ad cultum Dei pertinentibus; Et an obligentur privati ad præstandam obedientiam talibus Legibus?* Quartò, *An debeat esse Uniformitas in particularibus Cœtibus cujuslibet Ecclesiæ Nationalis? Durelli* certè hac in re calumniam, si omnino calumnia est, sique summa dici potest, manifestam putidamque esse oportet. Ego verò summæ hìc te impudentiæ postulo, qui non contentus rem verè,prout se habet,propositam, calumniam summam dixisse,ausus es præterea, secundi Controversiarum nostrarum capitis partem præcipuam, deditâ operâ, resecare. Sic enim habet secunda illa quæstio prout inter Nos agitatur, atque à Me proposita est. *An præscriptæ precationum formulæ usurpari possint, & an liceat eas imponere?* Quæ posteriora quæstionis verba, per summam impudentiam, consultò à te omissa Nemo non videt. Multùm enim differunt hæc duo, *An præscriptis precationum formulis uti liceat;* An verò *licitum sit Ecclesiæ atque Reipublicæ Moderatoribus certam Precum publicarum formulam singulis Pastoribus ita præscribere, ut eas semper usurpare teneantur, cùm rem divinam faciunt in Cœtu publico.* Hoc

licitum

licitum esse tenet, semperque tenuit Ecclesia Anglicana; atque eandem esse cæterarum Ecclesiarum Reformatarum sententiam, testantur earum omnium Liturgiæ, testatur Earum ubique praxis perpetua; & adstipulatur *Johannis Calvini*, toto Reformatorum orbe Viri Celeberrimi, judicium in Epistola ad Protectorem Angliæ. *Quod ad formam Precum*, inquit, *& Rituum Ecclesiasticorum, valde probo ut certa illa exstet à qua Pastoribus discedere in functione suâ non liceat.* Et ibidem, *statam esse oportet Sacramentorum administrationem, publicam item Precum formulam.* Contrà verò sentiunt *Presbyteriani* Anglicani, ne scilicet Spiritum Sanctum ad verba alligent, illiusque Sacros motus cohibeant. Ideoque Ecclesiæ Anglicanæ Sacram Liturgiam, à Reformatoribus nostris, Beatis Christi Martyribus ac Confessoribus, sub *Edvardo* Rege, ejus nominis sexto, atque sub *Elizabetha* Regina, summâ fide accuratam, ab Ecclesia eliminarunt, nullâ seu *Genevensi*, seu *Belgicâ*, seu quâcumque aliâ, in illius locum substitutâ. Quod facere debuissent, quodque fecissent proculdubiò, ni præscriptas certasque Precum formulas, quâ tales, omnes ex æquo odissent, imo tacitè damnarent. Quid tu autem ad hæc? *Serenissima Regis Majestas*, inquis, *in declaratione de rebus Ecclesiasticis, agnoscit* Presbyterianos *præscriptas precationum formulas non damnare, & patet hoc ex Chartulis Propositionum quas Regi obtulerunt Theologi quos in Consilium adhibuit.* Agnoscit hoc quidem, in ea declaratione Rex Serenissimus; sed Theologorum Istorum, quos in Consilium adhibere dignatus erat, fallacibus colloquiis deceptus; uti suæ Majestati nón multò post innotuit. Cùm enim eorum Sermonibus fide habitâ, summi candoris summæque moderationis Princeps, rem ita se habere crederet, ut non omnes Precum publicarum formulas damnarent *Presbyteriani*, sed Iis tantùm quædam Liturgiæ nostræ precationes minùs arriderent, hortatusque esset, ut iis saltem uterentur quas probarent, vix unus atque alter repertus est, qui Regis Optimi æquissimis moderatissimisque monitis obsequeretur; cæteris omnibus (Iis etiam,

Calvin. *Epist.*

ne uno quidem excepto, qui affirmaverant se præscriptas formulas non damnare) omnes Orationes suas in publico fidelium Cœtu, & in ipsa Sacramentorum administratione *per Spiritum fundentibus.* Sic enim loqui amant Isti, cúm significant se orare absque certa formula, quasi absque Spiritu precarentur omnes per Europam Ecclesiæ Reformatæ, quæ certas formulas inter orandum usurpant. Quo intellexit Regia Majestas sibi verba data à Theologis tuis. *Testatur ibidem Rex Serenissimus*, inquis, *eos Episcopatum non aversari*; sed id testatur eorumdem fallaciis delusus. Testatur enim quælibet pagina tua, qui *Presbyterianorum* causam agis, Episcopos, quantumvis Orthodoxos, atque Episcopatum (ni Illum ipsi teneant) eos odisse *cane pejus & angue.* Testantur Ipsorum molimina adversus Sacrum Episcoporum ordinem, Testatur infame illud fœdus, quo sese omnes, contra Divinas humanasque Leges, Sacramento adstrinxerant ad Illum exterminandum, aliis etiam nolentibus volentibus, per universam *Magnam Britanniam*, sub pœnis gravissimis, ad sceleris ejusdem perpetrationem adactis. Nec tamen vereris dicere, quæ tua impudentia est, *Regem testari*, in sua declaratione de rebus Ecclesiasticis, *Presbyterianos Episcopatum non aversari.* Quod quid aliud est quàm fateri, Regi maximo inverecundè à Theologis tuis impositum; atque ostendere te de Lectoribus haud aliter sentire ac de tot stipitibus, qui non sentiant se abs te ludificari, quum Nobis narras quid Serenissimo Regi aliquando visum fuerit de Secta *Presbyterianorum*, postquam à quibusdam eorum deceptus fuisset; ac interea quæ sit istorum sententia in proëmio dissimulans, eamdem postea in Libello tuo totis viribus tuearis?

§. De quæstionibus tertiâ & quartâ, prout à me proponuntur, bene est quòd *Presbyteriani* affirmativè respondeant. Itaque si modò sibi constare velint, nullum inter Nos super iis posthac futurum est dissidium. Sed te velim hujusce tuæ concessionis probè meminisse, ne ubi ad hypothesim deventum fuerit, facti pœnitens, concessæ Theseos oblitus

tus

tus esse videaris. Memineris, inquam, te nobis authorem esse, *Presbyterianos* tuos affirmare, primò, *quamlibet Ecclesiam Nationalem habere potestatem condendi Leges de rebus externis, ac circumstantiis ad Cultum divinum pertinentibus, & Privatos quoslibet ex Conscientia teneri ejusmodi Legibus obtemperare.* Secundò, *Uniformitatem esse debere in singulis Cætibus cujuslibet Ecclesiæ Nationalis.* Sic enim à me hæc duo proponuntur. Et quamvis sic concederentur à tuis, non ideo tamen ad lites nostras componendas frustra advocarentur, tum primæ Reformationis Heroes, tum Recentiores Ecclesiarum Reformatarum Theologi. Ex eo enim quòd habet quælibet Ecclesia Nationalis potestatem condendi Leges de rebus externis atque circumstantiis ad cultum divinum pertinentibus, haud videtur Ecclesia Anglicana sibi nimiùm arrogare, cùm præcipit ut, Superstitione omni sepositâ, juxta veteris Ecclesiæ morem, Infantis baptizati frons *signaculo Crucis* signetur; ut Minister, Sacra faciens, *Lineâ Veste* induatur; ut *procumbentibus in genua* Cœna Domini reverenter distribuatur. At Schismaticis nostris alia mens est. Hos enim clamant *Ritus esse Symbolicos ac Doctrinales*; Ritus autem ejusmodi Ecclesiam instituere nec posse, nec debere, ut potè qui Sacramentorum naturam habeant, quæ penes unum Christum Dominum sit fidelibus commendare. Audiantur hìc cæterarum Ecclesiarum Reformatarum Doctores celeberrimi. Inspiciatur etiam Ecclesiarum earum praxis. Prodeant imprimis *Petrus Martyr*, & *Martinus Bucerus* Viri clarissimi atque doctissimi, qui penitiùs quàm ulli alii, Ecclesiam Anglicanam introspexerunt. In ea enim & vixerunt & docuerunt, & tollendis dissidiis, quæ apud Nos jam tum gliscebant, non mediocrem operam navarunt. Cùm Theologiam profiterentur in *Anglia*, ille in *Oxoniensi*, hic in *Cantabrigiensi*, Inclytis hujus Regni Academiis, erat inter Ecclesiæ Anglicanæ Præsules, Vir eruditione ac pietate conspicuus, sed Superstitiosâ *Puritanorum* Doctrinâ imbutus, *Johannes Hopperus Glocestrensis* Episcopus. Quùm igitur & Ritus Eccle-

siæ

siæ Anglicanæ consuetos usurpare,& Episcopalem ornatum induere teneretur, nec id ferret boni Viri conscientia, quæ illius fuit imbecillitas, mentem suam Clarissimis Professoribus per Epistolam aperuit, in qua propositis argumentis præcipuis quibus adducebatur, ut ab Episcopali munere potius suspendi se pateretur quàm Ecclesiæ morem gereret, ad Illius quæsita ab Utroque ita responsum est. " Quomo-" do (*inquit* Petrus Martyr) privabimus Ecclesiam hac " libertate, ut non possit suis actionibus ac ritibus aliquid " significare ? modò id fiat ibi non statuendo cultum Dei, " modestè atque paucis, ut populus Christi Ceremoniis non " oneretur, & ne meliora impediantur. *Bucerus* autem sic, " De modo, *inquit*, Precum atque Hymnorum ad De-" um,ita etiam de Vestitu,& aliis rebus ad externum deco-" rum pertinentibus, non dubito Dominum Ecclesiæ suæ li-" beram fecisse potestatem statuendi de his rebus, & ordi-" nandi quæ judicaverit quælibet Ecclesia apud populum " suum maximè collatura ad sustinendam & augendam re-" verentiam erga omnia Domini Sacra. Si itaque aliquæ " Ecclesiæ ex hac libertate Christi, & ad hunc finem ædifi-" candæ plebis,Christi Ministros vellent in Sacris Ministeriis " aliquibus singularibus vestibus uti, remotâ omni Super-" stitione, omni levitate, omnique inter Fratres dissen-" sione, id est abusu, tales certè Ecclesias non video quis " possit jure, ob hanc rem, ullius peccati condemnare, ne-" dum communionis cum Antichristo. Deinde post aliqua ad rem eamdem facientia. " Velimus nolimus, *inquit*, fa-" teri nos oportet,discrimina cultuum in gerentibus munera " civilia, apud homines rectè institutos, causam dare singu-" laris erga Magistratus reverentiæ. Quid jam obstat quo-" minus idem fiat in Ministerio Religionis ? Venit quidem " à Spiritu Sancto necessariò omnis pius animi motus, & " Verbo Dei eum sustentare necesse est. Attamen huic " Spiritui, & huic Verbo Dei, apud pios nihil creaturarum " adversatur, & eò minùs, si res publico instituto ad piam " aliquam deputatur significationem atque admonitionem.

Martyr. *Epist.* Hoopero.

Bucer. *Scripta Anglic.* Hoopero.

" Omnia

"Omnia enim opera sua Deus bonis, in bonum & hunc
" multiplicem usum suis hominibus condidit, consecrat, at-
" que, si in Ipso utantur, exhibet. Pensitemus quæ de sig-
" nificatione muliebris veli & detecto capite Viri Spiritus
" Sanctus doceat, 1 *Cor.* 10. nihil namque facit temerè, &
" cunctis rebus salutem suorum, quæ fide constat Evangelii,
" procurat. Video quidem te, pro solita temeritate, re-
positurum, quod facis pag. 63. *Petrum Martyrem* superiora, & quæ ibi sequuntur, *affectu præpostero, potius quàm solidâ aliquâ ratione, ductum scripsisse.* Sed si tibi tuisque hoc satis esse videatur adversus tanti Viri authoritatem, fruamini, per me licet, isthac vestrâ stultitiâ. Apud alios scio plus ponderis habiturum *Petri Martyris*, de re Theologica, quàm ullius Schismatici; maximè verò Anonymi, de *Petro Martyre*, ac de Illius ingenii in judicando sagacitate, atque animi sinceritate, judicium. Ne autem regeras, ut regeris pag. 62. *Bucerum æquo leniorem* Calvino *visum fuisse in nonnullis concedendis*, Calvinus ipse hujusce nostræ Controversiæ Arbiter constituatur. " Ergóne, *inquit*, nihil Cere-
" moniarum Rudioribus dabitur ad juvandam ipsorum im-
" peritiam? Id ego non dico. Omnino enim utile Illis *Instit.* l. 4. cap. 10. n. 14.
" sentio hoc genus adminiculi. Tantùm hìc contendo ut is
" modus adhibeatur qui Christum illustret, non obscuret.
" Proinde modus ut retineatur, illam in numero paucita-
" tem, in observatione facilitatem (N. B.) in significati-
" one dignitatem, quæ etiam claritate constet, retinere ne-
" cesse est.

9. Jam verò inspiciatur aliarum Ecclesiarum Reformatarum praxis. Hìc Ecclesiarum Reformatarum *Augustanæ* confessionis cum hac nostrâ Anglicanâ in Ritibus suprà memoratis, conformitatem non allegabo, quippe quam video animo tuo nimis displicere. Mihi enim res est cum homine moroso (etsi nonnunquam, ut sibi quidem videtur, non illepido) cui molestiam creare, nullâ cogente necessitate, iniquum sit, ac propè inhumanum. Sed quid Tibi videtur de *trina* sive *aspersione*, sive *mersione* in applicatione aquæ

baptismalis,

baptiſmalis, in omnibus Eccleſiis Reformatis uſurpari ſolitâ, exceptis *Anglicanâ* (in qua tamen liberæ eſt obſervationis) *Gallicanâ*, *Genevenſi*, quibus addendæ nonnullæ in fœderatis *Belgii* Provinciis ? An non hic ritus Symbolicus eſt & doctrinalis ? An non ideo inſtituta eſt, ideoque uſurpatur ter repetita intingendi actio, ut eo ritu ſignificetur Sacro-ſanctæ Trinitatis myſterium ? Attamen licèt concedas penes Eccleſiam eſſe ut unâ aut trinâ utatur aſperſione inter baptizandum, neque diſpliceat quòd hìc ſuo jure utantur pleræque Eccleſiæ Reformatorum, quæ tua eſt modeſtia & æquitas in Eccleſiam Anglicanam, eam non pudet arrogantiæ poſtulare, quòd in re planè conſimili ſimile quid præcipiat, & ſingulis membris ſuis uſurpandum commendet. At hìc conſcientiam tuam appello, ſi res jam ſic comparatæ ſicque conſtitutæ forent in Eccleſiis Reformatis, ut ſola Eccleſia Anglicana aſperſione baptiſmali trinâ uteretur, unicam autem adhiberent Reliquæ omnes, an non illico *Presbyteriani* tui clamarent, Eccleſiam Anglicanam ſibi nimiùm arrogare, quandoquidem ritum Symbolicum ac doctrinalem inſtituat, præſumatque quaſi Sacramentum Sacramento addere? Et an non Tu, potiori jure, à Me peteres, ut tibi probarem Chriſtum in mandatis dediſſe ut ter intingatur Infans ad ſignificandam Sacro-ſanctam Trinitatem, dum Sacro baptiſmate Filio Dei conſecratur, quàm quum tibi probari poſtulas Deum alicubi præcepiſſe, ut Sacrorum Miniſtri veſte albâ (quam tu vocas, non autem *Eccleſia Anglicana*, Symbolicam ac Myſticam) induantur, quando Sacra celebrant officia? Sed te nondum miſſum facio. Vis probari tibi *Deum alicubi præcepiſſe ut Sacrorum Miniſtri induantur albâ veſte*. Proba tu ullibi prohibuiſſe. Proba tu juſſiſſe ut pullâ utantur. Proba Deum veſtes talares abhorrere, & decurtatis palliis, qualibus utebantur in nupera ſua Reformatione *Presbyterianorum* Miniſtri, delectari. Proba Parlamento tuo licuiſſe, etſi Eccleſiæ Ipſi non liceat, inſtituere ritus Symbolicos & doctrinales ab omnibus in Eccleſia uſurpandos. Tales enim fuiſſe ritus quos adhiberi juſſit, cùm recitabantur

recitabantur in cœtu fidelium verba ſolennis Perduellium fœderis, cúmque in illa jurare ſinguli cogebantur, Nemo negaverit. Siquidem *aperto capite* ea audire univerſi jubebantur ad teſtificandam animi ſui reverentiam,cùm interim cuique licitum eſſet caput operire dum prælegeretur verbum Dei ; quum autem ſinguli jurarent ſe ſanctum fœdus pro virili ſervaturos, *erigere ſe ac ſtare* (quod ipſum tamen facere, dum recitabatur Chriſtianæ fidei Symbolum, juxta Eccleſiæ Anglicanæ morem, viri pii & minimè ſuperſtitioſi nefas putarunt) *Chirothecaſque exuere*, ex Parlamenti decreto tenebantur, ad ſignificandum ſe in procinctu fore (ea enim fuit horum Rituum ſignificatio myſtica) quandocumque ad Sacrum bellum vocarentur.

Jam vides, ſi quid apud te valeat,Virorum, inter Reformatos præſtantiſſimorum, & ipſarum Eccleſiarum authoritas, poſſe Eccleſiam *ſignificativas*, ut ſic loquar cum tuis, *Ceremonias* inſtituere. Sed & ratione illud ipſum comprobare facile eſt. Nam Ceremonia quæ nihil ſignificat, neque decori aut ordini inſervit, planè otioſa eſt atque inutilis, qualem in Eccleſia nullam obtinere, vel te fatente, æquum eſt. Itaque, poſtquam ea, quæ ad decorum ordinemque ſimpliciter faciunt, conſtituta ſunt, aut nullæ omnino, aut ſignificativæ tantùm inſtituendæ ſunt Ceremoniæ. Unde videre eſt ſignificationem aliquam ſemper habuiſſe pleraſque Ceremonias quæ unquam inEccleſiis bene conſtitutis uſurpatæ ſunt, eas etiam quæ ad decorum & ordinem ſpectabant. Nihil enim prohibet quominus utrique uſui inſerviant,ad decorum ſcilicet aut ordinem conſtituendum, ſimulque fideles Officii ſui admonendos. Peplum quo caput mulieris in Eccleſia obnubi voluit Apoſtolus, fœminei ſexûs ſubjectionem ſignificabat ; contrà vero authoritatem ſuam aperto capite viri innuebant. Quod utrumque ad ordinem decorumque ſimul faciebat. Siquidem ordinis decorique eſt,ut viri eo habitu qui virorum ; fœminæ eo, qui fœminarum eſt, in Eccleſia Dei compareant. *Geniculatio* inter orandum animi demiſſionem coram Deo ; *Manuum*

C *conjunctio*,

conjunctio, orantis affectum, aut etiam, ut & *pectoris contusio*, in quibusdam Ecclesiis Reformatis (*Lithuanicis* & *Polonicis*) usitata, confitentem reum designat. Imo & *discubitus* ad mensam Domini, ex mente *Johannis Alasco*, herois tui (de quo alio loco) ideo potius usurpandus, quàm alius corporis gestus, *quòd eo significatur Ecclesiæ quies in Christo.* In Ecclesia primitiva consuetudo erat (sic præcipiente Ecclesiâ) ut quotquot baptizabantur, albam Vestem induerent ad significandum morum candorem & vitæ puritatem ad quam vocabantur. A sancto Paschate usque ad diem Pentecostes numquam de geniculis sed *stantes* semper orabant Veteres, imo & qualibet die Dominicâ per totum annum ad *significandam* Domini Resurrectionem à mortuis. Quin asserit Clarissimus *Maresius* in Reformatis Belgii Provinciis jurandi ritus quosdam, quibus aliquid mystici & doctrinæ Evangelicæ continetur, nequicquam reclamantibus Dominis *Præcisistis*, hoc est, *Puritanis Belgicis*, etiamnum usurpari. " Nam alicubi, *inquit*, tres digiti eriguntur Pollex, Index & Medius, quasi in agnitionem S.S. " Trinitatis. Alibi duo digiti attolluntur tantùm, quasi in " Confessionem Christi θεανθρώπου, in quo duæ naturæ divina & humana conjunguntur.

In Liturgia Eccles. Peregrin. Ecclesiar. Londinens. Vide etiam Altare Damascen. Pag. 750.

Maresii judicium & Respons. Theolog. de Canonicis ultraject. Pag 226.

∂. Neque tu hîc mihi dixeris, sic apertum iri fenestram omnibus hominum superstitiosorum figmentis & corruptelis, *aquæ lustrali*, *Chrismati*, *oleo Sacro*, & aliis id genus infinitis. Modum enim in his esse constituendum Ecclesia Anglicana docet, atque exemplis confirmat. Nec latum unguem hac in parte discedit à mente *Calvini*, prout eam ipse suprà nobis aperuit. Retinet enim & retinendam statuit *in numero paucitatem*, *in observatione facilitatem*, *in significatione dignitatem*, quæ etiam *claritate* constat. Cavet etiam ne in his Christiana libertas periclitetur. Eas enim non præcipit tamquam necessarias ad salutem consequendam, sed tanquam quædam pietatis adminicula, ac proinde quodammodo & in suo genere necessaria, ad excitandas scilicet hominum mentes in recordationem officii sui

erga Deum apta; aut verò tanquam res decoro tantùm & ordini servientes. Et ne quis illis ad Superstitionem abutatur, palam profitetur, nec cultum Dei, nec vim ullam Religionis ibi collocandam; Ideoque & mutari, aut etiam planè abrogari posse, si quando occasio dabitur, propter abusum. Quamquam, quod rectè monet *Calvinus*, *Non temerè, nec subinde, nec levibus de causis ad novationem decurrendum est.* Sed quia tibi solenne est quæ à me verissimè, & prorsus ex mente Ecclesiæ Anglicanæ scripta sunt, ea impudenter falsi accusare, audiatur ipsa in Præfatione Sacræ Liturgiæ præfixâ quam ideò integram hìc transcribere in Lectorum gratiam operæ pretium duxi, ut inde appareat quantum Ecclesia Anglicana distet ab ea quam tu toto libello tuo nobis effinxisti. “Ceremonia-“rum, *inquit*, ex humana institutione profectarum, quibus “utitur Ecclesia, aliæ primùm quidem pio proposito exco-“gitatæ, in Vanitatem & Superstitionem tandem versæ “sunt; aliæ in Ecclesiam irrepsere quorundam præposte-“râ devotione, & Zelo scientiâ destituto, cæteris initio ad “eas conniventibus, unde indies magis ac magis in abusus “abjerunt. Hæ non tantùm, quòd sint prorsus inutiles, sed “quia & populum multùm obcæcarunt, & Dei gloriam “obscurarunt, dignæ sunt quæ exscindantur ac prorsus ex-“terminentur. Alias verò, etsi ab hominibus itidem pro-“fectas, etiamnum retinere visum est, tum propter deco-“rum & εὐταξίαν in Ecclesia Dei, qui finis fuit primæ ea-“rum institutionis; tum quod spectent ad ædificationem, “ad quam, docente Apostolo, referenda sunt quæcunque “fiunt in Ecclesia.

Institut. l. 4. c. 10. n. 30.

Liturgia Eccl. Angl. Præf. de Ceremoniis cur aliæ quidem abrogatæ aliæ retentæ.

“Et quamquam Ceremoniæ alicujus observatio aut præ-“termissio si rem ipsam spectes, exigui sit momenti; teme-“raria tamen & superba publici ordinis ac disciplinæ “trangressio atque violatio non est peccatum leve coram “Deo. Omnia honestè & secundum Ordinem fiant in vo-“bis, inquit, Apostolus. Ordinis autem illius constitutio “non penes est privatos homines. Nemini fas est igitur

" nisi legitimè vocato in se suscipere, aut sibi arrogare, ut
" constituat aut immutet ullum publicum ac receptum Or-
" dinem in Ecclesia Christi.

" Quoniam verò hoc nostro tempore tanta est in menti-
" bus hominum varietas, ut aliis vel minima Ceremonia-
" rum suarum omissio, piaculum esse videatur, adeo depe-
" reunt veteres suas consuetudines; alii verò rerum nova-
" rum amore ita capiuntur, ut omnia innovata vellent; &
" tanto odio feruntur in res antiquas ut nihil nisi novum
" ipsis arrideat. Ideo visum est non tam his aut illis parti-
" bus esse morigerandum, quàm Deo obtemperandum, &
" eorum omnium commodo studendum. Ne quis autem
offendatur, " cui solidis rationibus satisfieri possit, hìc quæ-
" dam redduntur rationes cur receptarum Ceremoniarum
" aliæ antiquatæ sint, aliæ verò retineantur, & etiamnum ob-
" serventur. Quædam eliminantur, quoniam proximè
" elapsis temporibus in immensum creverat earum nume-
" rus, adeo ut onus esset intolerabile. Qua de re S. *Au-*
" *gustinus* dum viveret querebatur, nempe quòd in tantum
" numerum multiplicatæ essent, ut deterior foret hac in
" parte Christianorum quàm fuerat olim Judæorum condi-
" tio; At suadebat ut jugum & onus illud, si quando dare-
" tur commoda occasio, pacificè, & sine turbis amoveretur.
" Quid autem dixisset S. *Augustinus*, si oculis vidisset nupe-
" ras Ceremonias, quæ apud nos erant in usu communi.
" Non fuit enim numerus Ceremoniarum temporis illius
" cum harum nostrarum multitudine conferendus. Tanta
" fuit harum Ceremoniarum nostrarum congeries, & in
" his plurimæ adeo obscuræ, ut Christi beneficia erga nos
" obruerent, atque obscurarent potiùs quàm ea nobis expo-
" nerent & illustrarent. Præterea Evangelium Christi
" non est ceremoniale institutum uti magna ex parte fuit
" Lex Mosaica; sed Religio est ad colendum Deum, non
" in typorum & umbrarum servitute, sed in libertate Spi-
" ritûs, instituta; iis tantùm Ceremoniis contenta quæ de-
" coro & εὐταξίᾳ piæque disciplinæ conservandæ sufficiant.

" Et

“ Et quæ aptæ ſint ad excitandas inſigni ac ſingulari qua-
“ dam ſignificatione ſtupidas hominum mentes ad recor-
“ dationem officii ſui erga Deum, ad ædificationem. His
“ adde, abolendarum Ceremoniarum cauſa præcipua fuit,
“ quòd partim imperitæ plebis ſuperſtitioſâ cæcitate; par-
“ tim quorumdam inexplebili avaritiâ,qui privato quæſtui
“ magis quàm gloriæ Dei ſtudebant, earum abuſus in tan-
“ tum creverat, ut rectè tolli non potuerit, remanentibus
“ ipſis Ceremoniis. Jam verò ut ad eos veniamus qui for-
“ ſitan graviter ferrent quòd nonnullæ antiquarum Cere-
“ moniarum etiamnum retineantur, ſi animo reputaverint
“ ſine quibuſdam Ceremoniis nullum ordinem aut tranquil-
“ lam diſciplinam in Eccleſia ſervari poſſe, facilè eis con-
“ ſtabit ratio, cur ab illa ſententia ſua recedere, eique
“ renunciare debeant. Sin autem diſpliceat quòd ulla an-
“ tiqua Ceremonia remaneat, & magis placeret omnia in-
“ novari; tum verò quandoquidem concedunt expedire ut
“ ſint quædam Ceremoniæ ubi antiquæ illæ rectè uſurpari
“ poterunt, næ iſti eas ob ſolam antiquitatem repudiare ne-
“ queunt, quin ſuam prodant ſtultitiam. Tum enim vel eo
“ nomine quòd antiquæ ſint, majori venerationi ipſis eſſe
“ debent, ſi unitatis & concordiæ magis quàm innovatio-
“ num ac rerum inuſitatarum ſtudioſi videri volunt & ha-
“ beri. Innovationes enim (quantum quidem id conſiſte-
“ re poteſt cum inſtituto Chriſtianæ Religionis) ſemper
“ vitari debent. Præterea non erit cur iſti juſtè offendan-
“ tur ob retentas Ceremonias. Quemadmodum enim eæ
“ Ceremoniæ abrogatæ ſunt quæ in majores abuſus abie-
“ rant, & quæ nullâ de cauſa hominum conſcientias onera-
“ bant; ſic eæ quas retineri placuit Diſciplinæ ac Ordinis
“ gratiâ retinentur, & ob juſtas cauſas poterunt immutari
“ & abrogari, ideoque pari exiſtimatione cum lege Dei ne-
“ quaquam habendæ ſunt. Adde quòd neque obſcuræ ne-
“ que mutæ ſunt iſtæ Ceremoniæ, ſed ita comparatæ ut
“ cuivis ſit obvium intelligere quid ſibi velint, & quis ſit
“ earum uſus,ut non ſit veriſimile fore olim ut quemadmo-

“ dum

"dum cæteræ quas abrogavimus, in abusus degenerent.
"Atque hæc dum in hunc modum instituimus, alias Natio-
"nes neutiquam damnamus, neque ullis, nisi solis Populari-
"bus nostris, quicquam præscribimus. In hac enim sumus
"sententiâ, ut putemus expedire ut quælibet Regio iis uta-
"tur Ceremoniis quæ magis conducere videbuntur ad Dei
"honorem & gloriam illustrandam, & ad populum ad per-
"fectissimam & maximè piam vivendi rationem absque er-
"rore aut superstitione, excitandum; Et ut cætera quæ vi-
"derint lapsu temporis labi maximè, & in abusus degene-
"rare (quod sæpius in hominum Institutis variè pro variis
"Regionibus contingit) rejiciant. Ex quibus intelligit prudens Lector quàm parum sit credendum tibi cùm Ceremonias *mysticas*, & *operativas*, & tantùm non *magicas* attribuis Ecclesiæ Anglicanæ.

δ. Quæstionis *quartæ* de uniformitate facilis erit determinatio, ubi de *tertia* inter nos convenerit. Etenim vix audebis negare quin possit Ecclesia uniformitatem urgere; in iis de quibus potest Leges ferre. Itaque malè ad hanc quæstionem à te adhibita est distinctio, *eorum quæ fundantur in Lege Divina, seu naturali, seu positiva*; in quibus concedis Ecclesiam posse uniformitatem urgere; *Et eorum, quæ vel charitati, vel libertati Christianæ adversantur, vel quæ nullam adferunt utilitatem*, in quibus hanc potestatem ipsi denegandam putas. Debuit istâ distinctione circumscribi quæstio tertia, non quarta. Ea autem & ipsi Ecclesiæ Anglicanæ probatur. Neque repudiantur quas addis de *genere* & *specie*, de *specie* & *individuo*, ad ostentationem eximiæ peritiæ tuæ in Logicalibus. Nihil enim præcipit quod Verbo Dei adversetur; Nihil quod non cum eo conveniat; Nihil quod non contineatur generalibus, quas Deus in Verbo suo tradidit, regulis de externa disciplina, decoro ac Ceremoniis, nempe ut *omnia honestè, & secundum Ordinem fiant; ex recepta consuetudine & ad ædificationem.* Nec plus authoritatis sibi hac in parte tribuit aut exercet Ecclesia Anglicana quàm cæteræ Reformatorum

Ecclesiæ

Ecclesiæ, ut patet ex earum ubique praxi perpetuâ; quamque cuilibet Ecclesiæ concedunt Viri inter Reformatos doctissimi atque celeberrimi. *Calvinum* hìc (cujus tu Discipulus videri vis sed dolo malo, & ad Viri magni nomen infamandum) iterum audiamus de hoc argumento solidè pro solido subactoque quo pollebat, judicio edisserentem. "Quia autem, *inquit*, in externa disciplina & Ceremoniis "non voluit Deus sigillatim præscribere quid sequi debea- "mus (quod istud pendere à temporum conditione præ- "videret, neque judicaret unam Sæculis omnibus formam "convenire) confugere hìc oportet ad generales quas "dedit regulas, ut ad eas exigantur quæcumque ad Ordi- "nem & decorum præcipi necessitas Ecclesiæ postulabit. "Postremò quia ideo nihil expressum tradidit, quia nec ad "salutem hæc necessaria sunt, & pro moribus uniuscujusque "gentis ac Sæculi variè accommodari debent ad Ecclesiæ "ædificationem; prout Ecclesiæ utilitas requiret, tam usi- "tatas mutare & abrogare, quàm novas instituere conve- "niet. Et quia pernegas esse penes Ecclesiam ut Ritum ullum Symbolicum instituat, quam aliter sentiat *Calvinus*, ex his quæ habentur Tractatu egregio, quem *de vera Ecclesiæ Reformandæ Ratione* scripsit, disce. "Verùm, *inquit*, ne quis calumnietur, nos in rebus externis esse mo- "rosos, qui adeo præcisè tollamus omnem libertatem; hìc "testatum velim piis Lectoribus, me non de Ceremoniis li- "tigare quæ decoro tantùm & Ordini serviant, vel etiam "Symbola sunt & incitamenta ejus quam Deo, deferimus, "reverentiæ. Nobis enim de operibus disputatio est, quæ "per se Deo placere fingunt. Ecquid jam tibi videtur *Calvinus*, *Puritanus*, *Presbyterianus*, *Præcisista*, an superstitiosus *Prælaticus*, cui placeat etiam Ritus Symbolicos qui *Symbola sint & Incitamenta* reverentiæ Deo debitæ, in Ecclesia Christi obtinere.

Calvin. *Instit.* l.4. c.10. n.30.

§. Sed venio tandem ad validum illud tuum Dilemma, quod unum satis esse putas ad demonstrandum *quàm infeliciter* Durellus *desudaverit* in colligendis testimoniis quibus

bus probat transmarinos, vel laudare, vel saltem non damnare Hierarchiam Anglicanam. Sic se habet irrefragabile illud Dilemma, militis gloriosi cognominis & consanguinei tui Clypeo, *qui oculorum præstinguit aciem in acie hostibus*, haud absimile. *Vel credunt Pastores Transmarini* Ordinationem fieri posse validè *absque* Episcopo κατ' ἐξοχὴν sic dicto *vel non credunt. Si credunt, ergo non arrident illis Episcopi qui omnem tum jurisdictionis tum Ordinis potestatem sibi vendicant*, ὅπερ ἔδει δεῖξαι. *Si non credunt, cur est ergo quòd non fateantur temerè hactenus & absque omni vocatione sese in munus Sacerdotale ingessisse?* At vide quàm parvo, quàm nullo negotio vis omnis robusti illius Dilemmatis hâc unâ distinctione vel simplicioribus obviâ, dissolvatur. Ordinationem validè fieri posse absque Episcopo, *in Ecclesiis ac Regionibus ubi non sunt Orthodoxi Episcopi*, credunt Pastores Transmarini. *In iis ubi sunt semperque fuerunt à primo Reformationis tempore Orthodoxi Episcopi, ut in Anglia*, non credunt. Ergo non arrident iis Episcopi, qui omnem tum Jurisdictionem, tum Ordinis potestatem sibi vendicant *si eam non habeant ex Constitutionibus Ecclesiæ cujus sunt Episcopi*, concedo. *Si eam habeant*, negatur. At falsò à te supponuntur Reverendi Episcopi nostri omnem tum Jurisdictionis, tum Ordinis potestatem sibi solis vendicare. In eam enim tum Ordinationis, tum Jurisdictionis societatem ab iis admittuntur *Presbyteri*, quæ *Presbyteris* competit juxta Canones Ecclesiasticæ Disciplinæ, quibus assensum suum præbuit hujusce Regni Clerus universus. Quæ verò qualisve utriusque potestatis pars *Presbyteris* concedatur, non est aliarum Ecclesiarum Pastoribus anxiè nimis inquirendum ne videantur in aliena Republica curiosi; nève recedant à communi omnium Ecclesiarum Reformatarum sententiâ. Singulæ enim in fidei suæ Confessionibus quasi uno ore profitentur, se aliis Ecclesiis hac in parte nihil præscribere, cùm penes quamlibet Ecclesiam sit, Leges eas sibi condere circa Disciplinæ Ecclesiasticæ administrationem, quas viderit maximè ad Dei gloriam atque

plebis

plebis Christi ædificationem collaturas, pro loci, temporis, personarum nec non Reipublicæ in qua vivitur, & aliarum, si quæ sunt, circumstantiarum ratione; modò nihil quicquàm statuatur quod pugnet cum Verbo Dei nobis in sacris litteris revelato. Sed te expecto, de his infrà fusiùs, hoc est, falsiùs & insulsiùs protervientem.

Jam rationem audiamus qua te impulsum prædicas, ut *latinam* Apologiam scriberes adversus Tractatum *Anglico* idiomate editum. Eam scilicet latinam ideo prodire voluisti, *ut constet etiam Exteris per* Presbyterianorum *latera, omnes Ecclesias Reformatas confodi; & eos qui sub odioso Novatorum titulo vapulant, ne latum quidem unguem discedere à veterum Protestantium doctrinâ.* Mirum sit, si quis vel semel te vera loquentem deprehenderit. Scripsi ego Anglicè; tu ad ea quæ scripsi responsurus, non eâdem, sed aliâ linguâ uteris. Magis appositè de alliis respondeas de cepis rogatus. Nam qui potè Lectores, qui Anglicè non intelligunt, aut qui sunt latinæ linguæ expertes, de Controversiis nostris rectè, alterâ litigantium parte inauditâ, sententiam ferent? Ais te latino Sermone usum in gratiam Exterorum. Quid ni patrium adhibuisti, in gratiam Civium, quorum maximè intererat, causam quæ inter nos agitur, penitius nosse? aut si tanta cupido Exteris gratificandi animum incesserat quin tu librum, quem tu refutandum susceperas latinum fecisti, ut *moles & portenta illa mendaciorum*, quæ in Tractatu meo reperiri affirmare non erubescis, clariùs ipsis poneretur ob oculos; utque constaret cæteras omnes Ecclesias Reformatas, quod etiam à te pari confidentiâ asseritur, telis meis per *Presbyterianorum* latera confodi. Sic enim inter bonos benè agier oportuit. At sic parum successisset diabolicum quod animo foves consilium, nempe cæteras Ecclesias Reformatas ab Anglicana omnium florentissimâ, & illam ab istis, calumniis & mendaciis tuis abalienandi, fraternamque, quam inter se cum mutua ædificatione, communionem hactenus coluerunt, interrumpendi. Sic enim habet titulus Tractatûs à me Anglico idiomate

editi,ita interpretante *Ludovico Molinæo*, *Medicinæ Doctore. Conspectus Regiminis ac Cultûs publici, prout usurpantur in Reformatis Ecclesiis Transmarinis, ubi demonstrantur earum Consensus & Conformitas cum Ecclesia Anglicana, prout constituta est juxta decretum pro Uniformitate.* Quod unum satis fuisset ad omnes Sycophantias tuas profligandas. Sed cùm *Ludovicus* in animum induxisset Tractatum illum latinitate donare in gratiam Exterorum, eum à proposito deterruit *Jenkensius* Minister *Presbyterianus*, vel eo nomine celebris, *quòd supremam Anglicæ gentis authoritatem Parlamento*, seu potius Parlamenti cadaveri, à quo Rex per summum nefas trucidatus fuerat, tam prolixè attribuerit. Etenim damnationis æternæ pœnas interminatus si tam perniciosus liber, in quo scilicet demonstratur omnium Ecclesiarum Reformatarum concordia in iis quæ ad Politiam & Cultum Dei spectant, illius operâ Exteris communicaretur, *Ludovicum* statim dicto horrendo, ceu carmine fascinatum audientem habuit. Quæ quidem non ideo hìc à me scribuntur, quòd eorum quicquam te latuisse credam; sed ut inde vera ratio à te latinè scriptæ Apologiæ meliùs dignoscatur. Retulit quidem *Lud. Molinæus Jenkensium* pænas æternas sibi interminatum, ideoque ab incœpto opere destitisse, non ultra Præfationem, quam penes me habeo propriâ ipsius manu exaratam, progressum. Sed quis credat tantùm valuisse unius Ministri *Presbyteriani* minas apud hominem qui *Presbyterianam* Disciplinam pro Antichristiana habet, uti passim videre est in illius scriptis, quique *Erasti* Mimus, *Presbyterianorum* omnium, imo totius Ecclesiæ Excommunicationem, merum μορμολυκεῖον putat, ad terrorem puerorum fabricatum. Nec putandus est *Jenkensius* seriò egisse cum *Molinæo*. Qui factum igitur ut tam severum se *Presbyterianus*, & tam morigerum se *Independens* præstiterit? Utrique facti ratio constitit. *Jenkensius* prohibuit quominus fieret latina versio Tractatûs à me Anglicè scripti, ne scilicet Exteris constaret Ecclesiam Anglicanam, quam Schismatici Tyrannidis & Superstitionis accusare solent, nihil sibi arrogare,

In libello supplici quem Parricidis obtulit. an. 1651.

gare,

gare, nihil populo suo præscribere, quod non cæteræ Reformatorum Ecclesiæ, aut saltem cui non aliquid simile & ejusdem prorsus generis sibi arrogent pariter, atque populis suis præscribant. Quod ex communi earum ubique praxi in eo libro demonstratur. Hinc enim consequi necesse est, alias Ecclesias Reformatas Anglicanam nec damnare, contrà quàm affirmare solent *Presbyteriani*; nec quidem damnare posse, quin eadem operâ & singulæ seipsas & omnes sese invicem damnent. *Lud. Molinæus* verò etsi execrandæ, adeoque ab Ecclesiis Reformatis Gallicanis jure merito excommunicatæ *Independentium* Sectæ, jam à multis annis nomen dedit, atque exinde stylum satis mordacem adversus *Presbyterianos* sæpius strinxit; ubi tamen rem suam æque ac *Presbyterianorum* agi cognovit, ab adversario moneri ac consilium mutuari haud quaquam dedignatus est. Neque enim novum est utramque Sectam, imo Sectarum omnium colluviem, consilia communicare, *Herodis* instar ac *Pilati* adversus Christum Dominum, & copias conjungere ad opprimendam Ecclesiam Anglicanam. Itaque jam tum utrinque decretum est libro à me edito respondendum, sed cum hac cautela, ne quid Anglicâ linguâ scriberetur. Respondendum censuerunt Viri Serpentum instar prudentes in sua generatione, ne si nihil reponerent, confitentes rei ab omnibus haberentur. Sed vafrè cautum est, ne quid prodiret quod à vulgo Nostratium posset intelligi. Quippe cùm ea, quæ à me annotata sunt circa politiam Ecclesiasticam, & Cultum Dei publicum aliarum Ecclesiarum quæ nobiscum puriorem Christianismum profitentur, deprompta sint omnia, vel ex earum publicis fidei Confessionibus, aliisque libris Symbolicis, vel ex probatissimis apud eas Scriptoribus, vel denique ex usitatis apud easdem Ritibus, non aliâ ratione refutari debent aut possunt, quàm demonstrando aut ea fuisse à me malâ fide allegata, meque adeo impostorem egisse; aut verò, quamvis ea omnia ita se habeant, haud tamen inde consequi, Ecclesiam Anglicanam pro vera Orthodoxaque Ecclesia ab aliis Reformatis haberi, à cujus

In Synodo Nationali Carentoni habitâ. an. 1644.

communione non modò in Dogmatibus, verùm etiam in iis quæ ad Politiam Cultumque spectant, nulli fidelium, qui quidem in ea vivunt, abstinere liceat. Quorum neutrum cùm præstari possit, quorsum attinuisset Anglicè Respondere? Video quidem te paginâ 105: *Crucem* (quod à me observatum fuerat) à Reformatis *Cadomensibus* Templo suo impositam, fronte perstrictâ negare. Et paginâ 139. de *Paralogismis Durellianis* cum *Theophilo* tuo solitâ procacitate confabulari. Sed utrumque animi tui cùm temeritatem, tum vanitatem arguit. Nam certissimum est, non à Pontificiis, insciis Protestantibus, uti stultè conjecturas, sed ab ipsis Protestantibus scientibus volentibus Crucem eam ædi Sacræ impositam; Ac cùm, ne uno quidem loco, *Durellum* ostenderis in Paralogismum incidisse, quin tu pro deliro capite, inanilogistâ & nugatore mero à Lectoribus tuis habeare, nullum dubium est. At Respondendum tamen quacunque ratione, & quacunque linguâ modò barbarâ, id est Anglis non intellectâ, ut si quorum animi è Plebe Puritanicâ, scrupulus hæserit, ex lectione eorum quæ annotaveram, quòd scilicet Transmarinas Ecclesias Reformatas videant longè alia ratione constitutas, atque ipsi à Magistris suis acceperant, illico suggeratur, fuisse *Durello* Responsum. Sunt enim inter istos bene multi quibus perinde est seu bene, seu malè, modò aliquid respondeas; quibusque hoc ideo sufficit ad omnem scrupulum eximendum, quamquam quid responsum haud magis intelligant quàm Missam suam Plebs Pontificia. Sed sunt etiam non pauci quibus, etsi Apologia tua vel ob hoc maximè arrideret quòd ubique Calumniis scateat putidis adversus Ecclesiam Anglicanam, iis tamen nihil minus videretur si eam intelligerent, quàm Responsum ad librum à me editum. Atque hinc est quòd tam studiosè à lingua vernaculâ abstentum est, non tantùm à te, sed & ab alio Scriptore triobolari, qui Apologiam Gallicam (si tamen Gallica dicenda sunt quæ vix à Gallis intelliguntur) pro *Puritanis* contra Tractatum meum emisit, quique à te uno in arte mentiendi vix superatur.

peratur. Ut taceam nunc & alium libellum Gallicum adversus eundem Tractatum, sed adhuc manuscriptum, de quo aliàs, Deo volente, si dabitur occasio. Superest alia, eaque inter potiores numeranda, Causa, quâ factum ut consultò à Patrio idiomate abstinueris. Cùm Apologiam pro *Presbyterianis* tuis scribere apud te constituisti, hæc duo tibi proposita fuisse planum est, Ecclesiam Anglicanam calumniari fortiter, & in gratiam Sectæ tuæ, mentiri audacter, ad amoliendum aut saltem aliquâ ex parte mitigandum odium illud, quod jure meritissimo ubique gentium apud omnes probos sibi conflavit. At jam sordent apud Nostrates ad nauseam usque repetitæ ac semper feliciter depulsæ fœdæ istæ Calumniæ; quamquam & (nam virtutes tuas lubens commemoro) novæ à te excogitatæ, ne aliorum duntaxat pressis vestigiis ab inventionis gloriâ, quam affectas, decideres. Itaque non erat crambe illa tot coctionibus fastidiosa, addito licèt novo condimento, Anglis rursus apponenda. Mendacia autem tua, in gratiam Ministrorum *Puritanorum* conficta, manifesta sunt, adeo ut, licèt te summè effrontem arguant, non ausus sis ea vulgari linguâ eloqui, ne à quovis obvio conspuerere ob istam tuam meretriciam impudentiam.

§. Huc usque progresso mihi commodùm famosi tui libelli secundæ Editionis exemplar allatum est. In eo reperi expuncta quædam, quædam mutata, plura addita. Quæ omnia te maleferiatum, novisque intemperiis actum, atque Spiritibus septem, impuro illo, à quo prius agebare, impurioribus obsessum ostendunt. Expendentur suis locis singula, quæ ad rem facere videbuntur, cæteris quæ licèt ab aliis mutuata ad inanem eruditiunculæ ostentationem afferuntur, prorsus omissis. Non patitur Schismaticum tuum ingenium ut Reverendus *Stradlingus* in approbatione libri à me conscripti *Conformitatem & Consensum cæterarum Ecclesiarum Reformatarum, cum nostra Anglicana eo libro demonstratam asserat.* Tibi quoque bilem movit, quod de eodem opere perhibuit Vir Clarissimus *Petrus Molinæus*,

verus

verus ille Parentis illustris filius, & in Ecclesiæ *Cantuariensis* Canonicatu quemadmodum eruditionis & cæterarum virtutum Successor, simile testimonium. Et quia concordiâ illâ omnibus Ecclesiis Reformatis nihil utilius, nihil ad gloriam Dei, nihil ad veritatis Evangelicæ propagationem, mutuamque Ecclesiarum omnium ædificationem in charitate conducibilius; Schismaticis autem æque ac Pontificiis nihil invidiosius, atque adeo utrisque nihil solemnius quàm concordiam illam negare, & quidlibet comminisci ad eam labefactandam; ideo tu Schismaticorum omnium nequissimus, congestis undequaque Calumniis, dissidium æternum inter Fratres ejusdem fidei vinculo conjunctos serere satagis. "Nam ad probandum consensum nostræ Anglicanæ cum aliis Ecclesiis Reformatis, probari debet, inquis, "ab aliis Ecclesiis. 1. Lege caveri ut reordinentur ii qui "à *Presbyteris* ordinati sunt. 2. Formulas precatorias ita "rigidè imponi, ut non liceat Pastori proprium χάρισμα τῆς εὐχῆς exercere. 3. Festa Sanctorum diei Dominicæ æquari. 4. Scripta Apocrypha publicè legi cum exclusione "plurium capitulorum Canonicorum. 5. Lineam Vestem "præcipi tanquam medium aut motivum Cultûs. 6. Gloriam Patri octies recitari in eodem officio, & quidem assurgente toto Cœtu. 7. Evangeliis quàm Epistolis majorem exhiberi reverentiam. 8. Genuflecti ad omnem "recitationem Nominis Jesu. 9. Sacram Cœnam iis omnibus denegari qui eam flexis genibus nolunt participare. "10. Susceptores adhiberi in Baptismo cum exclusione "Parentum. 11. Signum Crucis usurpari tanquam signum "Sacramentale. 12. Sacramento Baptismi adscribi vim "Infantum regenerativam & necessariò salvificam. 13. Psalmorum corruptam Editionem præferri correctiori & "emendatiori. 14. Episcopos eligi sine consensu Cleri, "omnemque cùm jurisdictionis, tum ordinis potestatem iis "solis adjudicari, idque jure Divino. 15. Episcopis permitti Jurisdictionem temporalem, Laicis verò Cancellariis deputari spiritualem. 16. Præcedentiam tribui Ar-

"chiepiscopis supra omnes Duces Regni. 17. Beneficia-
"rium non obligari ad Residentiam. 18. Sacris initiato
"plura beneficia Ecclesiastica conferri, curata quidem in-
"tra distantiam 30 millarium, non curata absque ulla ratio-
"ne distantiæ. 19. Nihil à Ministris aliud requiri, quàm
"ut declarationem Fidei latino Sermone reddere possint, &
"eandem aliquot Scripturæ testimoniis corroborare.
"20. Divelli Sacramenta quæ conjunxit Christus, ita ut
"Baptismum administrare ei liceat, cui fas non est Cœnam
"consecrare. Atque hæc omnia, si videar posse demon-
"strare, summè profectò me aut ignorantem, inquis (im-
"ploratâ tamen prius Divinâ gratiâ, ne quid tibi inter scri-
"bendum excidat quod à Christiana moderatione abhor-
"reat) aut summè impudentem esse oportet. Æquis Lectoribus uter nostrûm ignorantiæ aut impudentiæ vitio magis laboret, judicandum relinquo, ea omnia interim excussurus.

ϕ. Ad *probandum Consensum nostræ Anglicanæ cum aliis Ecclesiis Reformatis probari debet*, inquis, *ab aliis Ecclesiis. 1. Lege caveri* & cætera jam suprà commemorata. At vide quo te rapiat furor Schismaticus. Primò, dato non concesso, singula ista ita se habere, & in Ecclesia Anglicana ita obtinere, prout à te proponuntur, nihil autem eorum in usu esse cæterarum Ecclesiarum Reformatarum; Quid tum sequitur? Eas non concordare cum Ecclesia Anglicana? minimè verò. Quippe cùm ea de quibus jam inter nos disceptatur, singula spectent (unico tantùm excepto capite duodecimo, *de Efficacia Baptismi*, de quo suo loco) vel ad Ceremonias quaidam externas naturâ suâ indifferentes, vel ad Politiam Ecclesiasticam disciplinæque administrationem, vel ad ordinem & decorum Cultûs Divini, vel denique ad Privilegia quædam Cleri, si ideo dissentiunt ab Ecclesia Anglicana cæteræ Reformatorum Ecclesiæ, quia non habent Politiam omnino eamdem, ritusque prorsus similes, haud reperientur, in toto Reformatorum orbe duæ Ecclesiæ concordes. Faciamus periculum in iis quæ creduntur maximè

maximè inter se convenire, quales sunt *Ecclesiæ Belgii Reformatæ* & *Genevensis*. Si quis ad probandum consensum Ecclesiarum *Belgicarum* cum *Genevensi*, probari peteret ab Ecclesia *Genevensi*. 1. Lege caveri ut præter Diem Dominicum, celebrentur *Dies Nativitatis*, *Paschæ*, *Pentecostes*, cum die unumquodque horum Festorum proximè sequente; ut & dies *Circumcisionis* & *Ascensionis*. 2. Musicam Organicam admitti in Templis nonnullis ad moderandum Cantum, in aliis ad oblectandam tantùm Plebem, dum ambulantes post aut ante Sacra inter se confabulantur. 3. In publica fidei Confessione declarari quòd Ecclesia possit legere libros Apocryphos. 4. Præcipi ut Ministri non talari togâ, sed decurtato pallio induti, Sacra peragant. 5. Exigi ut Concionatores aperto capite Conciones habeant ad Populum. 6. Benedictioni mensali subjungi orationem Dominicam. 7. Eamdem cani in Cœtu fidelium metris rythmicis. 8. Cani & Symbolum Apostolicum. 9. Cani Canticum Beatæ Virginis. 10. Cani etiam Canticum *Zachariæ*. 11. Permitti ut fideles in Ecclesia Verbum Dei sibi tecto capite prælegi audiant. 12. Ministris præcipi ut Concione & consuetis orationibus finitis, è suggestu descendant, & officium pro Sacra Communione cum præscripta oratione ad Mensam Domini prælegant. 13. Discumbentibus Sacram Cœnam administrari. 14. Trinâ aspersione Infantes tingi ad significandum Sacro-sanctæ Trinitatis mysterium. 15. Nullos Ministros ordinari sine Titulo. 16. Creari Deputatos Synodi qui à Synodo ad Synodum administrandæ Disciplinæ potestatem habeant. 17. Conciones funebres haberi. 18. Deputatis Synodi in Synodis præcedentiam tribui ante alios Ministros, ita ut sedem seorsim occupent & primi rogentur ac ferant suffragia. 19. Permitti ut communicantes panem Sacrum sumant ipsi, è patina, non autem ipsis porrigatur in manum à Ministro. 20. Cantica ex humano ingenio profecta (quale est illud *Johannis Wittenhoven* quod Concionibus præmitti solet in Ecclesiis Belgicis) in Cœtu fidelium publicè usurpari.

Ut in Ordin. Ecclesiastic. Synod. Dord. Hoc fit in Ecclesiis Belgii Reformat.

Artic. Confess. Eccles. Belgic.

Hoc fit in Belgio.

In Ordin. Eccl. Synod. Dordra. 1619.

Hoc fit in Belgio, non Genevæ.

In Ordin. Eccl. Synod. Dordr. 1619.

In Belgio, non Genevæ.

In Belgio, secus Genevæ.

In Belgio ista omnia obtinent, non Genevæ.

21. Editionem

21. Editionem Psalmorum corruptam, qualis est *Dathenia-na* ut quæ contineat, teste *Gilberto Voetio, inepta & fastidio-sa vocum supplementa, & voces barbaras ac impropias* correctioribus & emendatioribus præferri. Si quis, inquam, ad probandum consensum Ecclesiarum Reformatarum fœderati *Belgii* cum *Genevensi*, probari peteret à *Genevensi* ista omnia fieri aut non fieri, admitti aut rejici, an non eum illico, pro tua moderatione Christiana (quam extemporaneâ oratione, dictante scilicet Spiritu, implorata Divinâ gratiâ impetrasti) ad *Anticyras* amandares? Quin tu igitur navi conscensâ confestim eo veheris propter eamdem insaniam? Quis enim adeo hospes est in *Israel*, ut nesciat in iis quæ spectant ad Politiam Ecclesiasticam, Disciplinæque administrationem, atque externas Ceremonias, sive decoro & ordini serviant, sive Symbola sint reverentiæ officiique nostri erga Deum, Ecclesias omnes Reformatas, ne una quidem excepta, veniam petere dareque vicissim; nec tamen ideo minus Concordiam fraternam animitus inter se colere. *Rituum verò* (inquit *Theodorus Beza*, in Epistola ad *Andræam Duaithium*) ipsiusque *adeo exercendæ* ὠμεξίας *diversitate, quam ultro agnoscimus (unoquoque videlicet quod suis gregibus propriè expediat considerante) minimè dixeris, opinor Ecclesias dissociari.* Sed res ex se clara & apud omnes in confesso, non eget probatione.

Voetius de Politia Ecclesiast. l. c.

Bezæ Epist.

¶. Quod attinet ad ea 20 capita quibus æterni dissidii semina inter Ecclesiam Anglicanam & cæteras Reformatas seri animo tuo tibi fingis, quoniam pleraque repetuntur in Satyra tua (sic enim vero nomine debet appellari) singula propriis locis discutientur. Interim sciat Lector nullam apud nos legem extare qua caveatur, ut *reordinentur ii qui à Presbyteris ordinati sunt.* Cavetur quidem Decreto Parlamenti ne quis ab Episcopo non ordinatus, in ullum beneficium admittatur, aut Sacras Conciones habere & Sacramenta administrare in Ecclesia Anglicana permittatur: Et hoc rectè propter Schismaticorum nostrorum ausum Sacrilegum, ne istâ suâ audaciâ ad aliorum perniciem & pessi-

 mum

mum Exemplum porro abutantur. De quo suprà jam dictum est, diceturque infrà fusiùs. Sed de re-ordinandis iis qui à *Presbyteris* jam ordinati sunt ne verbum unum reperitur in illo Decreto; quin imo, disertis verbis cavetur *Ecclesiarum Peregrinarum Ministris, ne pœnæ adversus Schismaticos nostros decretæ, ullo modo illis infligantur.* Nam nostra curamus, non nos immiscemus alienis. Res est publica, adeo ut mirum sit tibi pudorem non fuisse in tam manifesto mendacio deprehendi in ipso calumniarum tuarum limine. At probè noveras si quis semel verecundiæ fines transierit, eum oportere benè & gnaviter esse impudentem. Rogo etiam Lectorem ne gravetur oculis obiter percurrere paginam 23 famosi tui libelli secundæ Editionis paragrapho secundo & tertio, ut te ex tuis verbis in alio mendacio deprehendat, dum ais formulas precatorias ita rigidè imponi, ut non liceat Pastori proprium χάρισμα τῆς εὐχῆς (quod vocas) exercere, hoc est, precatione uti à superioribus non præscriptâ. Ibi enim agnoscis posse *Pastorem immediatè ante vel post Concionem preces quas ei suggerit Spiritus, fundere, & hoc fieri à plerisque qui curam animarum in se suscipiunt.*

δ. Reverendissimis Archiepiscopis sanè istud honoris defertur, ut omnes Duces Regni præcedant, sed hoc non ab Ecclesia quæ in istiusmodi rebus nullam potestatem sibi arrogat; sed à clementia ac pietate Regiâ, quæ Primariis Christi Ministris in ditionibus suis vult istud honoris tribui in honorem ipsius Christi, Regum æquè ac nostrûm omnium Domini. Sed plusquam ridiculus es, dum ad probandum consensum aliarum Ecclesiarum Reformatarum cum hac nostra Anglicana, probari tibi postulas, ab aliis Ecclesiis *præcedentiam* tribui Archiepiscopis *supra* omnes Duces Regni, uti barbarè loqueris. Quî enim præcedentia illa Archiepiscopis tribui potest in illis Ecclesiis, ubi nulli sunt Archiepiscopi, nullique Duces ut in *Genevensi* ac Belgicis; aut ubi sunt Archiepiscopi, nulli autem Duces ut in *Suecia* ac *Dania*. Aut ubi sunt Duces, nulli autem Archiepiscopi, ut

in

in Ecclesiis Reformatis Galliæ. An verò tibi satisfactum fuerit si exhibuero inclytam Reformatorum Rempublicam, in qua Consul amplissimus qui supremum in ea Magistratum gerit (cujusque adeo in Civitate sua longè amplior est authoritas quàm Ducum nostrorum dignitas in hoc Regno) quoties aut prodit in publicum unà cum Reverendo Antistite (cujus dignitas non usquequaque Archiepiscoporum nostrorum ὑπεροχὴν exæquat) aut unà cum eo considet, ipsi semper stat aut sedet à sinistris. Si nescis, ea est perantiqua Tigurinorum Respublica, in qua non adeo viluit à Reformatione Sacrum Ministerium, adeoque imminuta est Civium pietas, ut minus honoris nunc Clero Reformato, quàm olim, Clero Pontificio deferendum putent. Itaque quemadmodum Antistes ad ipsius Consulis dexteram collocatur, honoris gratiâ, sic Canonici Proconsulem & Senatores habent à sinistris. Neque pius ille Magistratus dignitatis aut authoritatis suæ quicquam delibari putat, quòd sic servos propter Dominum honoret ac revereatur. Nam & his nullos habet promptiores ad omne debitum obsequium. Sed quid tibi vis dum Archiepiscoporum nostrorum προεδρίαν carpis & obelis tuis confodis? Num Regum nostrorum pietatem reprehendis? An verò honori qui à Regia pietate ac clementiâ Christi Antistitibus primariis defertur, invides? At putabam vobiscum Regiam Majestatem jam in gratiam rediisse, & si quid nimiâ pietate peccaret in posterum, id à vobis clementer condonatum iri Clementissimo Principi qui tantum vobis condonavit. Sin livore solummodo laboras; Deum Optimum Maximum veneror ut sanato morbo, sit morbi causa sempiterna.

ꝺ. Beneficiarium non obligari ad Residentiam in Ecclesia Anglicana quod affirmas, falsissimum esse, patet, *Primò*, Ex Juramento de continuata residentia in Vicaria, quod unusquisque in Vicariam admittendus, priusquam in illius possessionem inducatur, præstare tenetur, in hæc verba.

Ego A. B. Juro quòd ero residens in Vicaria mea nisi aliter dispensatum fuerit à Diœcesano meo. Quod velis, nolis,

 lis,

lis, aliquando fieri necesse est ob negotia scilicet vel publica, vel privata, aliasque causas sonticas. Quodque fieri solet ubique gentium Reformatarum; Et factum est ab ipso *Presbyterianorum* Parlamento, à quo Ministri plurimi, quorum opera adversus Regem & Ecclesiam Dei utebatur, ab Ecclesiis suis *Londinum*, ubi quidam per annos complures commorati sunt, fuerunt avocati. *Secundò*, Ex Canone 44. quo cavetur ne *Ecclesiarum Cathedralium aut Collegiatarum Præbendarii & Canonici absint à Beneficiis suis curatis prætextu Præbendarum ultra tempus unius mensis in anno; nisi ex urgente causa & pro certo tempore per Episcopum approbandis*. *Tertiò*, Ex Canone 47. in quo supponitur quilibet Beneficiarius ad Residentiam jure teneri. *Quartò*, Denique videatur *Linwoodus* de Clericis non Residentibus, *c. cum hostis:*

ρ.Pluralitatem Beneficiorum non erat cur Ecclesiæ Anglicanæ objiceres ad probandam aliarum Ecclesiarum Reformatarum ab ea, hac in parte, dissensionem. Nam præterquam quòd *Presbyteriani* Ministri bene multi (quod ipsis objectum à *Miltono* ipsorum quondam fratre ac sodali in Rebellione dilectissimo) plura simul Beneficia Ecclesiastica possidebant, eaque Ministris legitimis erepta, cum Regnum apud nos obtinebat *Presbyterianorum* Parlamentum; Pluralitas Beneficiorum non est res inaudita in Exterorum Ecclesiis, puta Gallicanis, ubi unicum non sufficit ad necessaria Pastori suppeditanda. At dices apud nos rem aliter se habere. Multis enim conferuntur plura Beneficia, ut abundent potius quàm ne destituantur necessariis. Neque id inficias eo, hoc tantum adjicio, multis abundantiam illam esse necessariam, nempe iis qui magnam habent familiam, aut qui præter generis splendorem, eruditione & ingenio reliquis antestantes, locupletiorem, puta, ut alia multa taceam, librorum copiam desiderant, ut possint laboribus suis Ecclesiæ prodesse. Horum nonnullis, pro data occasione, aliquando concedi solet ut duo Beneficia simul possideant, sed cum hac conditione ut Beneficia illa sint intra distantiam

In Iconoclast. ubi in Ministros pluralitas invehitur.

ſtantiam triginta milliarium, ne ſi nimium diſtarent, unus non eſſet par invigilando curæ animarum in utroque Beneficio ſibi commiſſarum. Tenentur præterea alium idoneum Verbi Miniſtrum in alterutro Beneficiorum ſuis ſumptibus alere, qui Sacra peragat, quique Concionibus aſſiduis Plebem Chriſti erudiat per totum annum Diebus Dominicis ac Feſtivis, juxta morem Eccleſiæ Anglicanæ. En integrum Canonem 41. Synodi *Londini* habitæ anno 1604. ſub *Jacobo*, "de Beneficiorum pluralitate Parciùs diſpenſanda, & de ineunda cautione de perſonali diſpenſatorum reſidentiâ. Nemini in poſterum facultas ſive diſpenſatio concedetur de pluribus Beneficiis curatis ſimul retinendis, niſi tali duntaxat qui pro eruditione ſua dignior & ad officium ſuum pleniùs præſtandum habilis & idoneus cenſebitur; nimirum qui ad gradum Magiſterii in Artibus ad minus in alterutra Academiarum promotus fuerit, publicuſque ac idoneus Concionator, idemque legitimè approbatus extiterit. Proviſo ſemper ut ſufficienti cautione obſtrictus teneatur, de perſonali ſua reſidentia in ſingulis Beneficiis per bonam anni cujuſque partem faciendâ; ac ut ejuſmodi Beneficia non amplius triginta milliarium ſpatio ab invicem diſtent, & denique ut in eo Beneficio, in quo non reſidebit, Concionatorem ritè approbatum retineat, qui populum utiliter docere & informare poſſit.

¶ De Beneficiorum non Curatorum diſpenſatione, gratiam habeo & refero, quòd dicendi occaſionem mihi importunitate tuâ præbueris; ut ſciant Exteri qua ratione ſint diſpenſata à rebelli *Presbyterianorum* Parlamento. Nulla conceduntur apud nos niſi Sacris Ordinibus initiatis, Viriſque doctrinâ ac pietate conſpicuis, ut ſint virtutis præmia & eruditionis incitamenta. At his omnia illa Beneficia à nefando illo Parlamento erepta. Quem verò ob finem & in quos uſus? Num ut Miniſtris Sectæ & Factioni ſuæ addictis erogarentur? Minimè vero, ſed ut ex Sacrilega Eccleſiæ Patrimonii alienatione conflaretur ingens pecuniæ ſumma quæ

par esset alendo exercitui adversus Regem conscripto. Utra Beneficiorum non Curatorum dispensatio Exterarum Ecclesiarum Pastoribus magis probetur, operæ pretium fuerit ex ipsis discere. Celeberrimum Reverendissimumque tuum *Voetium* scio, non habebis hac in re suffragatorem, imo nec adversarium ejus Doctissimum Dominum *Maresium*, licet ipsi nonnulla exciderint quæ Perduellium nostrorum ausis Sacrilegis nimis favere videntur. Si alios reperias, qui pro Parlamentaria Dispensatione sententiam ferant; fac excudantur eorum suffragia ad calcem *Sylloges* Epistolarum ab aliarum Ecclesiarum Pastoribus datarum ad Theologos *Westmonasterienses*, quibus ipsis gratulantur feliciter exantlatos labores in abolendis Episcopis & Ritibus; quam nobis brevi prodituram polliceris pagina 174. secundæ Editionis. Sed hac lege ut quæstio, quo fiat clarior, exemplo hoc proponatur. Rex Serenissimus duo Beneficia non Curata, Canonicatum puta in Ecclesia *Cantuariensi*, & Rectoriam sine cura in *Wallia*, nullâ habitâ ratione distantiæ, in *Petrum Molinæum* Verbi Divini Ministrum & SS. Theologiæ in Ecclesiis Reformatis Galliæ Professorem Doctissimum atque Celeberrimum contulit. Parlamentum hæc eadem Beneficia cùm in Ecclesiæ bona grassabatur alienavit,ut inde corraderet pecuniam ad alendum militem adversus Regem conscriptum; utra dispensatio magis probatur?

¶.Odiosè falsòque à te dicitur Articulo 19 *Nihil à Ministris aliud requiri quàm ut declarationem fidei latino Sermone reddere possint, & eamdem aliquot Scripturæ testimoniis corroborare.* Nihil solemnius Ministris *Presbyterianis* quàm ut se pro Viris Piis ac Doctis venditent,& quasi pietatem eruditionemque omnem sibi solis compararint, Ecclesiæ Anglicanæ Ministros, & alios quoscumque, si qui sunt qui contra *Puritanismum* vel hiscere audeant, tanquam homines prophanos ac indoctos apud vulgus suorum sequacium ἐυχαίρως ἀχαίρως traducant. Hinc illa in Clarissimum *Schoockium Groninganum* Professorem Eruditissimum,quòd

ausus

ausus sit *Presbyterianos* non admirari ob concionandi methodum eximiam, tam superciliosè dicta pag. 186. secundæ Edit. *Puritanus Anglus neminem habet inimicum præter carnalem & animalem.*

§. Ex eodem φιλοτιμίας ac vanitatis fonte profluunt, quæ hic Ecclesiæ Anglicanæ objectas de dotibus quas ab iis requirit qui sunt Sacris Ordinibus initiandi; quo scilicet via sternatur ad inverecundam illam Calumniam quæ habetur pag. 163. secundæ Edit. nempe, *Pastores nihili suffectos istis Dei servis eximiis*, qui scilicet Greges sibi creditos deserere maluerunt quàm albis uti Vestibus, nè Conscientias suas tam horrendâ impietate pollucrent. Sed ut constet à te odiosè falsóque dictum, nihil à Ministris aliud requiri in Ecclesia Anglicana, quàm ut declarationem fidei latino Sermone reddere possint, &c. Advertat Lector, Primò Ministri nomen esse ambiguæ notationis in Ecclesia Anglicana. Modò enim sumitur pro Diacono, modò pro *Presbytero*, sæpe pro utroque promiscuè. Secundò, Canone 34. Synodi anno 1604. *Londini* habitæ, quod dicitur ut ordinandus saltem rationem fidei, juxta Articulos Religionis in Synodo Episcoporum & Cleri anno 1562. approbatos, latino Sermone reddere possit, & eamdem Scripturæ testimoniis corroborare; id de Diaconis tantùm intelligi, ut patet ex Præfatione formæ & modo faciendi & ordinandi Diaconos & *Presbyteros*, præfixâ. Tertiò, In eo Canone non dici quòd ab eo qui ordinandus est in Diaconum requiratur ut fidei suæ simpliciter, sed fidei juxta Articulos Religionis in Synodo ann. 1562. approbatos possit latino Sermone rationem reddere; neque ut illud ipsum *tantùm*, sed *saltem* possit. Quartò, Diaconis in Ecclesia Anglicana non credi curam animarum, sed iis tantùm permitti, uti aliquas Sacri Ministerii partes obeant sub *Presbyteris*, quorum sunt administri, donec plenum Ministerium consequantur. Quinto, Canone 35. præcipi ut Episcopus, priusquam cuiquam ordinando (ad *Presbyteratûs* ordinem scilicet) manus imponat, diligenti eum examine excutiat ac exploret, præsentibus

præsentibus eisdem Ministris quos velit in impositione manuum sibi assistere. Quales autem Sacris Ordinibus initientur Ministri in Ecclesia Anglicana, quàm sincerâ pietate, quàmque multiplici doctrinâ atque eruditione præditi, piæ doctæque eorum lucubrationes, quæ omnium manibus teruntur, satis patefaciunt, quicquid ogganiant Schismatici. Novit Orbis terrarum quâ doctis patet, Ecclesiæ Anglicanæ γνησίων filiorum industriæ ac laboribus deberi SS. Biblia πολύγλωττα, anno 1658. *Londini* Edita. Imo stupuit ubi vidit eam sub calamitatum pondere adhuc gementem, fœtum illum nobilissimum tam brevi spatio enixam.

ϕ. Divulsionem, quam tu vocas, Sacramentorum quòd Ecclesiæ Anglicanæ objicis, quòdque statuis eam æterni dissidii causam inter ipsam & alias Reformatorum Ecclesias futuram, id sanè quidem ignorantiam tuam multiplicem arguit. Primò enim non ideo putandum est divelli Sacramenta quæ Christus conjunxit, quòd eorum administratio variè inter varios Ecclesiæ Ministros distribuatur. Sed cùm semper fuerint in Ecclesiâ varii Ministrorum Ordines ac gradus variæque Sacri Ministerii partes, eas variè inter Ministros suos partita est Ecclesia, non ut divellantur Sacra Christi, sed ut singulari aliquâ functione quilibet Ordo ab aliis distinguatur. Sic olim sub Lege veteri in Ecclesia Judaica, alia erant Levitarum, alia Sacerdotum, alia summi Pontificis munia. Imo cuilibet Patrifamilias licebat Pascha celebrare, cui nefas erat pueros circumcidere; nec ideo divellebantur Legis Sacramenta. Verùm utut se res habeat, veterem Ecclesiæ Christianæ morem servat Ecclesia Anglicana in Sacri Ministerii partium distributione. Nec culpari potest si Diaconis suis non alias Sacri Ministerii partes assignet quàm quas eos objisse in Ecclesia Apostolica constat ex Sacris Litteris, ubi pauperum curam in se suscepisse, Evangelium annunciasse, & Baptizasse leguntur, non autem Eucharistiam consecrasse. Sed finge si lubet sic divelli Sacramenta, num ideo æternùm ab Ecclesia Anglicana dissidebunt Ecclesiæ Reformatæ Gallicanæ, in quibus solebant ante

Vide *Act. Synodor. Carent. ann.* 1623. & 1631. *Art.* 34. *observat. in Act. præced. Synod.*

te

tè aliquot annos Sacrum Calicem administrare Seniores Laici, quibus fas non erat Cœnam consecrare nec benedictum panem communicantibus porrigere? Idem olim fiebat à Diaconis temporariis Laicisque meris in Ecclesia *Genevensi*; nec ideo tamen ab ea diffidebant aliæ Ecclesiæ quæ nullis nisi verbi Ministris in Sacramentorum administratione partem ullam concedebant. Vide *Theodor. Bez. adversus Saraviam ad cap.* 7.

§. Unum hìc addendum videtur priusquam finem præfandi faciam; Te scilicet amicorum Sectæ tuæ Exterorum æquè ac Civium famæ pessimè consuluisse, seu iis patrocinatus fueris, seu eos in causæ tuæ subsidium advocaveris. De *Baxtero* & aliis jam visum est quàm infeliciter eorum caussam egeris quàmque melius ipsis consultum foret, si quemadmodum ego ipsorum famæ parcere volens, eorum nomina vel presseram, vel in margine (quo sic Lectorum multorum oculos fugerent) ad fidem faciendam apposueram; Ita tu eos sivisses, aut silere, aut pro se dicere, si quid pro se dicendum habuissent. De Reverendo Domino *Voetio* jam patebit quantum ipsi præstitisset Clarissimi, Eruditissimi, Reverendissimi, Magnique nominis Professoris, aliisque Elogiis, quæ in eum liberaliter admodum congessisti, caruisse; quàm iis onustum, ad nos authoritate sua opprimendos, à te produci. Nam si ea dicat, quæ non deberet, ea audiat æquum est, quæ non vellet. Sit sanè D. *Voetius* Clarissimus, Eruditissimus, Reverendissimus, Magni nominis Professor & quicquid volueris, aut ipsi libuerit, per me licet. At per eum mihi, spero, licebit, si per te non liceat, negare tantam esse illius Claritatem, Eruditionem, Reverentiam, Famam; ut *Oecolampadio, Melancthoni, Bucero, Calvino, Martyri, Zanchio, Bullingero, Gualtero, Bezæ, Danæo, Paræo, Casaubono, Lectio, Molinæo, Salmasio, Spanhemio, Amyraldo, Capello, Placæo, Dallæo, Bocharto*, & aliis plurimis ejusdem censûs, hoc est, Viris Maximis, qui pro Ecclesia Anglicana sententiam dixerunt, unus opponi possit. Hunc tamen unum Celeberrimæ, Sanctissimæque Ecclesiæ Anglicanæ Reformatarum omnium Lumini ac Decori, apertâ fronte repugnantem, qua-

libet paginâ nobis objicis, *Voetium*, *Voetium*, ubique crepans. At ſcire debueras, homo futiliſſime, nobis perinde eſſe, ſi quid neget affirmetve, laudet culpetve, tuus D. *Voetius*; imo iſtum nec teſtari poſſe hac in cauſa, nedum pro tribunali ſedere. Nam quis neſcit Virum Reverendum quaſi ſupra humanam conditionem evectum ϗ ἤδη τελειούμενον in qualibet Eccleſia Reformata, non modò nævos multos, ſed fœda quoque ulcera deprehendere, vixque ullam reperiri, ne Belgicam quidem, quæ non ſit (ſi ex ipſius placitis æſtimetur) *Idololatriæ indirectæ* ac *interpretativæ* ſaltem affinis? Aut cui mirum fuerit Eccleſiæ Anglicanæ dies Feſtos alioſque Ritus D. *Voetio* minus probari, quum Eccleſiarum Belgicarum Feſta, ex Decreto Synodi *Dordracenæ* (cui etiam ipſe interfuit) ab omnibus obſervanda, aliaque plurima, publicâ Superiorum authoritate conſtituta, damnare audeat? Deinde qui ferret Epiſcopos Anglicanos, aut Sereniſſ. M. B. Regis poteſtatem circa Sacra, D. *Voetius*, qui ne Eccleſiarum *Palatinatûs* Inſpectores quidem ferre poteſt; quique Sereniſſimum Electorem vocat, *Papam Germanicum*? Aut quis ſanæ mentis expectet ut Sacra peracturo Veſtem, per Reverendiſſ. D. *Voetium* mutare liceat, quum pro *uniformi veſtitu ab omnibus ſemper & ubique gentium uſurpando; pro Calceorum definitâ figurâ, qua pedis longitudinem non ſuperet; pro capitis ad cutem uſque eraſione* & aliis ejuſmodi, tanquam pro aris & focis digladiari ſoleat? denique quis ſibi perſuadeat ut Crucis in fronte recèns Baptizatorum deſignationem approbet D. *Voetius*, qui cenſeat *evertenda Templa omnia quæ formâ ſunt Idololatricâ & Idolum referunt Hieroglyphicè aut ejus imaginem, nempe Crucem* (cujuſmodi tamen vix alia ſunt in toto *Belgio*, aut alibi, præſertim ampla & antiqua) aut ut nobis *Anglis*, concedat noſtris uti moribus ac inſtitutis, qui poculis votivis in conviviis, quacunque ratione limitatis, & muſicâ Organicâ *Belgis* ſuis interdicat; ne ſcilicet fiant Idololatriæ indirectæ, participatæ & interpretativæ rei? Nihil ſanè mirum ſi nonnunquam commotior ſit in Eccleſiam Anglicanam D. *Voetius*,

Vide *Schoockium de Præciſitate, & ipſum* Voetium *paſſim.*

Vide *Schoockii Exercit. varias. Exercit. de Feſtis & ipſum* Voetium.

Vide *Shoockium de Præciſitate.* Et Mareſii *Præfat. ad novam Theol. Synopſin.*

Vide *Mareſium.* ibid.

Voetius, isthâc præsertim senili ac morosâ ætate, cùm in ipsas Ecclesias Belgicas in quibus vivit, & S.Theologiam profitetur, Stylum satis mordacem sæpius stringere non dubitaverit, neque porro *sit ulla fabula in qua iste homo* (verba sunt Clarissimi *Maresii*, non mea) *non velit* Davus *esse ut oleum addat camino.* Hæreo autem dubius, an hic, quia res penè incredibilis videtur, objectorum Reverendissimo D. *Voetio* à Clarissimo *Schoockio*, *plus trecentorum partim mendaciorum, partim falsitatum, partim subleſtarum citationum* mentionem facere debeam. At duo sunt quæ putem minimè dissimulanda de D. *Voetio*, illum scilicet utut Virum Clarissimum, Eruditissimum, Reverendissimum, & magni nominis apud *Belgas* Professorem ab alio SS. Theologiæ Professore Celeberrimo qui & ipse vivit & floret in fœderato *Belgio*, D. *Maresio* scilicet, ἑτεροδοξίας non accusatum modò, sed & reum peractum Scripto publico. Aliud quod Lectorem celare non debeo, illud est; eundem D. *Voetium* à *Th. Gatakero* Viro Doctissimo, &, si *Presbyterianis* minus favisset, quâvis laude dignissimo, malæ fidei publicè notatum, his verbis; *Cæterum malæ fidei Theseων harum Author* (Reverendissimus atque Eruditissimus D. *Voetius*) *non uno nomine isthic manifestus tenetur.* 1. *Quòd* Cypriani, *Scriptoris, si quis alius, gravissimi, nomine, fabellas futilissimas, nænias putidissimas, barbarè conscriptas obtrudit.* 2. *Quòd* Augustinum & Chrysostomum *laudat tanquam causæ suæ patrocinantes, apud quos, locis citatis, de ludis hisce, ne verbulum quidem reperitur.* Hæc de D. *Voetii* laudibus delibare invitum coegit importuna illa tua Viri illius Scriptorum citatio; non ut ipsi ægrè faciam (id enim perquam longissimè abest à moribus meis ut cuiquam lubens molestiam creare velim) sed ne *Presbyteriani* tui, multiplicibus illis titulis quibus à te oneratur, decepti, eum pro alio atque revera est, accipiant; Et ut Lectoribus quibusvis constet, non minus discrimen intercedere inter Viros illos eximios qui Ecclesiam Anglicanam reverentur, ac misellos homunciones, si qui sunt, qui stant

In Theol. nova Synops. p. 1051.

Vide *Præfat.* Schoockii *Exercitationibus variis præfixam.*

Vide *Maresium. ubi supra*; pag. 1056.

Gatakeri *Antitheses de sorte.*

à Schismaticorum partibus in Transmarinis Ecclesiis, quàm inter arma quæ *Diomedes* & *Glaucus* commutarunt χρύσ. χαλκ.

§. Ex his satis intelligis, si quid intelligis, non esse cur *laboris tui successu* impensè admodum gaudeas, tibique opere plaudas maxumo, si tibi in scribendo nihil aliud propositum fuit, quàm Transmarinorum omnes Ecclesias Reformatas ob Regiminis & Rituum quorumdam diversitatem (quibus etiam ipsæ à se invicem omnes differunt) ab Anglicana dissociare. Utri porro nostrûm majorem gratiam debeant Reformatæ Christi Ecclesiæ, si quam debent; *Tibi*, quod nefariè tentati apud nos perniciosi Schismatis, eas omnes reas peragere totis Viribus annitaris; *Mihi*, quod crimen tam horrendum ab iisdem amoliri conatus sim; *Tibi*, quod grave Ecclesiæ Anglicanæ à Sodalibus tuis inflictum vulnus, denuo irritare, atque etiam ungue venenato dilatare, ne umquam coeat, Religio non fuerit; *Mihi*, quòd cordi sit eidem mederi & quantum Christiana fert veritas cum charitate καταρτίζειν καὶ ἀνακεφαλαιοῦν: *Tibi*, quòd Ecclesiam Anglicanam mendaciis calumniisque tuis teterrimis oneres, ad odium ipsi apud Exteros conflandum; *Mihi*, quod Sordes illas à facie optimæ Matris abstergam ut eam boni omnes benevolentiâ debitâ prosequantur: *Tibi*, ut uno verbo dicam, *Bellatori*; *Mihi Pacifico* Theologo: utri nostrûm, inquam, ob sua cujusque facinora majorem gratiam habeant Transmarinæ Reformatorum Ecclesiæ, ipsæ eloquantur. Ad Ecclesias Transmarinas provocasti, ad Ecclesias Transmarinas ibis. Deus autem ὁ καρδιογνώστης inter nos judicet. *Vale.*

§. Cur Tibi Schismaticorum nostrorum Apologistæ anonymo, *Pyrgopolinicis* nomen dederim nemo non videt, qui quidem Marci Accii Plauti *Militem gloriosum* legerit, cuique fatuitas ac vanitas tua perspecta sit. Est tibi præterea tuus Artotrogus, Poëtaster ille assentator, qui tuas nobis narrat victorias, ſcilicet *centum in* Cilicia, *& quinquaginta centum* Sycolatronidæ; *Triginta* Sardes; *Sexaginta* Macedones, *sunt homines tu quos occidisti uno die. Quid & in* Capadocia, *ubi tu quingentos simul, ni hebes machæra foret, uno ictu occideres. At peditatus reliquiæ erant, si viverent. Quid tibi ego dicam, quod omnes mortales sciunt,* PYRGOPOLINICEM *te unum in terra vivere & formâ, & factis invictissimis.* At nihilominus Μετανόησον ἀπὸ τῆς κακίας σου ταύτης καὶ δεήθητι τοῦ Θεοῦ εἰ ἄρα ἀφεθήσεταί σοι ἡ ἐπίνοια τῆς καρδίας σου; Εἰς γὰρ χολὴν πικρίας καὶ σύνδεσμον ἀδικίας ὁρῶ σε ὄντα. Iterum. *Vale.*

CAPUT I.

Elenchus Operis

Et singularum ejus Partium.

Ad Apologistæ Præfationem Responsio.

CUr, quâ ratione, & ad quæ eorum quæ in famoso Schismaticorum libello continentur, respondere visum sit. Thrasonicum Apologistæ ingenium. Cur DURELLUS toto Tractatu Anglicano cæterarum Ecclesiarum extra *Angliam* Reformatarum solâ authoritate pugnaverit adversus *Presbyterianos*. *Presbyterianos* Anglicanos Sectam esse singularem cui similis alia sub sole nulla existat probavit *Durellus* in Tractatu Anglicano. *Mantonus*, *Burgesius*, *Baxterus*, *Thomas de Albiis* notantur. Apologista in R.R. *Andræam*, *Laudum*, *Morlejum*, *Cosinum*, *Sandersonum*, *Fullwoodum*, *Ellisium* impunè debacchari sibi fas esse putat. Controversiarum Ecclesiæ Anglicanæ cum *Presbyterianis* Schismaticis statum nec ignoravit, nec dissimulavit *Durellus*. Nulla de Reordinatione, quam vocant, cum illis olim, ut nec hodie cum veteranis *Presbyterianorum* Ministris Controversia. Qualis sit *Presbyterianorum* tenera, quam dicunt, Conscientia MANTONI exemplo monstratur. Ad quatuor capita revocari possunt quæstiones omnes quæ hodie in *Anglia* agitantur. Apologistæ mala fides & Ministrorum *Presbyterianorum* dissimulatio circa Precum Formulas & Episcopatum. Ritus Symbolici à *Martyre*, *Buccero*, *Calvino* probantur, à *Puritanis* improbantur. Aquæ Baptismalis Trina aspersio, qui Ritus est Symbolicus, in plerisque Ecclesiis Reformatis usurpatur. Ipsum *Presbyterianorum*

norum

norum Parlamentum Ritus Symbolicos instituit ab omnibus usurpandos. Symbolici aut nulli Ritus instituendi; unde olim in Ecclesia Apostolica, & nunc in Reformatis, ut etiam in Primitiva instituti & observati. Ceremoniæ Ecclesiæ Anglicanæ juxta CALVINI Regulam de Ceremoniis, institutæ. Præfatio Liturgiæ Anglicanæ de Ceremoniis. Non plus authoritatis hac in parte sibi tribuit Ecclesia Anglicana quam cæteræ Reformatæ. Respondetur ad Apologistæ dilemma, quo uno refutari putat totum *Durelli* Tractatum Anglicanum. Quo consilio *Presbyteriani* libro Anglico *Latinè* & *Gallicè* non autem *Anglicè* responderint. Quid differat à priore *Presbyterianorum* Apologiæ Editio posterior. Non minus à se invicem differunt cæteræ Reformatorum Ecclesiæ, quæ earum nonnullæ ab Anglicana; quod demonstratur ex Collatione Disciplinæ & quorumdam Rituum Ecclesiarum *Belgicarum* & *Genevensium*. Id tamen non impedit unionem fidei & charitatis communionem. In Parlamenti Decreto pro Uniformitate Cultûs, expressè cavetur Ecclesiarum Exterarum Ministris ne eodem censu sint ac habeantur, cum Schismaticis *Presbyterianorum*, aliarumve Sectarum Ministris. Archiepiscoporum locus non amplior est in Regno *Angliæ* quam Ecclesiæ Tigurinæ Antistitis in Tigurina Republica. Falso dicuntur Beneficiarii ad Residentiam non obligari in Ecclesia Anglicana. Ipsi *Presbyterianorum* Ministri plura simul Beneficia possidebant. Beneficiorum Pluralitas non est res inaudita in aliis Ecclesiis Reformatis. Pluralitatis Beneficiorum ratiò in Ecclesia Anglicana. Ecclesiæ Patrimonium à *Presbyterianorum* Parlamento alienatum ad militis adversus Regem conscripti stipendia. Falsò ab Apologista affirmatur, "Nihil aliud requiri ab Ecclesiæ Anglicanæ Ministris "quam ut Declarationem fidei latino Sermone possint "reddere. *GILBERTI VOETII*, utut Celeberrimi Professoris Ultrajectini, in Controversiis nostris authoritas ne hili quidem est. Utri majorem gratiam debeant Ecclesiæ Reformatæ, *Puritanorumne* Apologistæ, an Authori harum *VINDICIARUM*, ipsarum judicio relinquitur. Quamobrem *PYRGOPOLINICIS* nomen Apologistæ fuerit impositum.

ELENCHUS

Elenchus Operis
Et singularum ejus Partium.

Cap. I.

An *Presbyteriani* olim læsæ Majestatis falsò postulentur?

Ipsi Presbyteriani *intempestivis suis querelis ac clamoribus atque iniquis accusationibus, in eorum placita moresque inquirendi, invitis occasionem præbuerunt. Quæ hîc in eos scribuntur, non omnes ex æquo, sed cerebrosos tantùm, impœnitentes, atque Ecclesiæ Anglicanæ implacabiles hostes feriunt. Quî fit ut nullo delictorum suorum in Regiam Majestatem sensu teneantur. Perduellium gens universa in duas partes scissa,* Presbyterianorum *scilicet atque* Independentium; *quando & quâ de causâ. Lis oritur inter* Anglos *&* Scotos *Perduelles, utris nempe Rex captivus cederet; eam dirimit ingens pecuniæ summa, quam* Scotis Angli *numerârunt. Quæ partes* Presbyterianis, *quæ* Independentibus *in ipso Regicidio jure merito assignari possint. Ut se* Presbyteriani *gesserint adversus debellatum Regem, & quas pacis conditiones ipsi obtulerint. An in Regis vitam conspirâsse dici queant. Qualem in Ecclesiasticis potestatem sibi arrogent Ministri* Presbyteriani. *Quantum in suos Reges subditis licere doceant.* Lanceloti Wintoniensis, Vaughani Londinensis, Jacobi *Regis de sui temporis* Puritanis *testimonia hodiernos nihil juvant. Neque iis magis favent Sereniss.* Caroli. II. *litteræ* Bredâ *datæ. Quid contulerint* Presbyteriani *in Serenissimo Rege restituendo. De Regis in omnes cùm Personas tum Causas Ecclesiasticas*

ac Civiles Primatu, quem publicè agnoscere Presbyteriani *noluerunt. Nibil adversus ejusmodi Primatum apud* Calvinum. Michaëlis Gasparis Lundorpii *ab Apologistâ citati ignorantia crassa & putida mendacia. Perstringitur* Sorberius, qui capitis Ecclesiæ *titulum ait à Regibus* Angliæ *etiamnum usurpari. Variorum Ministrorum* Presbyterianorum *dicta factaque, quibus Sereniss.* CAROL. I. *Parricidium suasisse, maturâsse, approbâsseque videntur.* pag. 1, & 2.

CAP. II.

De *Westmonasteriensi* Theologorum conventu.

Quæ habetur abs rerum nostrarum imperitis Nationalis Synodus Westmonasterii *congregata, merum Schismaticorum Conventiculum fuit. Ratio Synodorum Anglicanarum. Describitur Conventiculum* Westmonasteriense. *Antiquam atque genuinam Ecclesiæ Anglicanæ Confessionem fidei, non novam ac spuriam illam* Westmonasteriensem *Syntagmati Confessionum* Anno 1654. *inseruerunt* Genevenses; *quo nomine Ecclesiam Anglicanam sibi obstrinxerunt quicquid oggannit Apologista. Qualis fuerit Ecclesiæ* Scoticanæ *Politia à Reformata Religione. Quamquam talem esse fatentur Ecclesiæ Anglicanæ* Confessionem *Adversarii, ut ei bonâ conscientiâ possint subscribere, eam tamen obliterare conati sunt. De Clausula Articuli* 20. Ecclesia habet potestatem Ritus & Ceremonias constituendi, *an à* Prælatis *inserta, an verò à* Puritanis *erasa. Perperam negat Apologista penes Reges esse Concionatores reformare, iisque materiam Concionum suggerere, quæ ad ædificationem fidelium magis conducat.* pag. 22.

CAP. III.

De neglecta à *Presbyterianis* Sacræ Eucharistiæ celebratione; deque omissa ab iisdem Orationis Dominicæ in Sacris Cœtibus recitatione. Quæ duo Apologista asserit à *Durello* illis perperam falsòque objecta.

Apolo-

Cap. IV.

De adorandi Orientem versus consuetudine, aliisque Numinis colendi Ritibus in Ecclesia Anglicana observari solitis, ob quos Superstitionis à *Presbyterianorum* factione postulatur.

Cap. V.

De causis Ejectionis quorundam Ministrorum è Beneficiis suis in *Anglia*,

Apolo-

Apologistæ suo & contribulum nomine confessio sine pœnitentia. Tria Ejectorum Ministrorum genera; sc: 1. *Alienorum Beneficiorum usurpatores.* 2. *Non ritè Ordinati.* 3. *Legibus cùm Politicis tum Ecclesiasticis immorigeri. Ingens numerus Ecclesiæ Anglicanæ Ministrorum & ipsi etiam Præsules universi, vi & armis ab iis qui se jam vocant Ejectos Ministros, Ecclesiis ac sedibus pulsi. Istis tamen Præsules vicem rependere noluerunt. Præsules Anglicani nihil agunt nisi ex præscripto legum Patriarum & Canonum Ecclesiasticorum. Ab eorum sententia ad Tribunalia civilia & ipsum Senatum Regium datur provocatio. Nulli tales Ministri in cæteris Ecclesiis Reformatis feruntur, quales ab Anglicana ejecti sunt. Iis nulla facta est injuria.*

Cap. VI.

De iis, qui contemptis Episcopis, à meris *Presbyteris* ad Sacrum Ministerium ordinari voluerunt.

Quamobrem prætereantur primi generis Ejecti Ministri. Reordinari propriè dici nequeunt secundi generis Ejecti Ministri. Antiquitatis judicium de iis qui spretis Episcopis à meris Presbyteris *ordinati sunt. Apologistæ ignorantia circa ea quæ in* Transmarinis *Reformatorum Ecclesiis geruntur, & statum illarum Ecclesiarum. Novâ benedictione cum manuum impositione ad Sacrum Ministerium in Ecclesiis Reformatis Galliæ vocantur Sacerdotes Pontificii ad puriorem Christianismum conversi. Eadem ratione apud easdem Ecclesias agi solet, ex Synodi* Vapincensis *decreto, cum Diaconis* Bernensibus *&* Genevensibus *Apostolis, licet in pleno Ministerio constitutis, siqui eorum in Gallia Ecclesiæ curam suscipiant. Non eodem loco ac censu apud nos sunt* Transmarinarum *Ecclesiarum Reformatarum, atque Schismaticorum Anglicanorum Ministri. Istorum nova Ordinatio, illorum Ministerio nihil nocet.*

Cap. VII.

Quid differant Ecclesiarum extra *Angliam* Ministri à Schismaticis Sacri Ministerii apud nos usurpatoribus.

Cap. VIII.

De eorum Ministrorum Ejectione qui nec Politicis, nec Ecclesiasticis legibus subjici voluerunt.

Cap. IX.

De Ejectorum Ministrorum Objectionibus contra Sacram Ecclesiæ Anglicanæ Liturgiam; ac primùm de iis quæ spectant modum quo invectam ipsisque impositam quiritantur.

precandi formulas, quas modò probat, modò improbat. Ludovicus Capellus *adversus Apologistam defenditur. Nulla à* Presbyterianorum *Pseudo-Synodo compositæ Precum Formulæ quibus uterentur Navium Sacellani, quod falsò asserit Apologista. Ne privatis quidem, nisi imbecillioribus ac rudioribus Precum Formulis utendi libertatem faciunt.* Presbyteriani. *Imponit R. Episcopo* Dunelmensi *Apologista. Quanta sit Viri illius existimatio apud* Exteros. *Non omnem precibus proprio Marte conceptis utendi libertatem tollit Ecclesia Anglicana. Quin majorem fortè concedit quàm par esset, quàmque in aliis pluribus Ecclesiis Reformatis conceditur.* CAROLUS I. *pro parta victoria Deo gratias agit altâ voce, conceptis verbis Oratione in Ecclesia Exoniensi recitatâ. Apud Tigurinos Oratio Dominica tam à Concionatore quàm à toto fidelium Cœtu* μυστικῶς *recitatur, & alio gestu, ab eo quo cæteræ precationes recitatæ sunt. Precum publicarum & Sacramentorum administrationis formulas in Ecclesiis Reformatis liberæ esse observationis, ita ut illis uti aut non uti pro lubitu possint Ministri, falsò affirmant* Presbyteriani. Calvinus *eas certas statasque esse debere censet, à quibus discedere in functione sua Pastoribus non liceat.* Hoornbeckius *ab Apologista citatus notatur ob corruptum* Calvini *locum.* Apollonius *ab Apologista laudatus ejusdem cum* Calvini *sententiæ circa statas Precum Formulas; à qua diversus non abit Clariss.* Maresius *aut Ecclesiæ Belgicæ. Reformatæ Ecclesiæ Scoticanæ status varii. Cultui & Ritibus cum* Anglis *communibus subscripsit. Postea* Anglo-Genevensis *Ecclesiæ Liturgiam* Knoxius *in eam invexit.* Anglo-Genevensis *Ecclesia; qualis illius Liturgia.* Anglo-Genevensium *exulum Sacrorum Bibliorum Versio Anglica, quæ perperam ab ipsis* Genevensibus *adornata vulgò putatur. Repudiata tandem est ipsa quoque* Knoxii *seu Ecclesiæ* Anglo Genevensis *Liturgia à* Scoto Presbyterianis, *cui substitum est merum* Directorium *cultus, absque ulla Precum Formula, quod Ecclesiis Britannicis à*

Perduellibus

Perduellibus Schismaticis vi & armis obtrusum est. Ex iis quæ ab Apologista allegantur de quibusdam Lutherano-Puritanis *Orthodoxam precationis formulam repudiantibus*, Puritanorum *nostratium ingenium facilè cognoscitur.* pag.62.

C A P. X.

De precandi formularum Origine, deque earum antiquitate atque usu in Ecclesia Dei.

Apologistæ aliorumque Presbyterianorum *imperitia circa* Judæorum *Liturgiam, quam volunt eos à Christianis mutuatos fuisse. Ex ea conjectura, si vera esset, sequeretur Precum formulas in usu fuisse apud Christianos ante annum* 156. *Stulta Apologistæ vanitas qui summi esse dicit* Smectymnui *delirium. Quid sit* Smectymnuus. *Precandi formularum, tum in* Judæorum, *tum in Christianorum Ecclesia Deus ipse, non alius, author est. Variæ, quæ in sacris litteris leguntur Precationum & Benedictionum Formulæ, apud* Judæos *usitatæ.* Johannes Baptista *Discipulis suis orandi formulam, quâ uterentur, præscripsit. Christus Dominus itidem suis; & ipse usitatos* Judæorum *Hymnos usurpavit.* Hugo Grotius, *qui hic favet Fanaticis, notatur. S.* Jacobum *aliosque Apostolos Liturgias Ecclesiis tradidisse credidit antiquitas; quod vix negari potest. Refelluntur contra-sentientes.* Quarto *sæculo certas precum Formulas; itemque* Tertio, Secundo, *atque etiam* Primo *apud Christianos in usu fuisse probatur. Explicatur locus* Justini Martyris; *itemque alius* Tertulliani, *ex quibus contrarium probare conantur Schismatici.* pag.74.

C A P. XI.

De Legendis, seu Fabulosis *Presbyterianorum* narrationibus ad oblectandam plebeculam confictis, ut apud eam in ridiculo sit & habeatur Sacra Liturgia, adeoque ipsa Ecclesia Anglicana.

Cap. XII.

Cap.

Cap. XIII.

De diebus Festis ab Ecclesia Anglicana observatis, quos omnes *Presbyteriani*, dum in *Anglia* Regnum obtinerent, penitùs sustulerunt.

Quæ, Quo numero, In quos usus, Quâ ratione Festa celebrentur in Ecclesia Anglicana. Collectæ Festorum quorundam propriæ. Festorum Ecclesiæ Anglicanæ ab iis quæ celebrat Ecclesia Pontificia, discrepantia. Apologistæ dissimulatio, ubi ait à Presbyterianis *Festa simpliciter haud damnari.* Lutherus *Festa probavit.* Jacobi *Regis de Ecclesia Scoticana jactatio quam laudant Apologista &* Calderwoodus, *vix credibilis; si Regi juveni exciderit, Ecclesiæ Anglicanæ nihil nocet.* Genevenses, *à Festis diebus, licet nullos observent, si diem* Scalarum *quem vocant, excipias, non abhorrent. Eos probant* Theodorus Beza, Spanhemius, Calvinus, *quo inscio, nec probante, in Ecclesia* Genevensi *abolita sunt. Asserit, non probat Apologista, Articulum* Helveticæ *Confessionis de Festorum celebratione ab Ecclesia Scoticana repudiatum. Ecclesias Belgicas Festa* invitas *retinere malâ fide asserit Apologista. Eâdem fide ait* Lutheranos Calvinianis *imputare, quod omnia Festa sustulerint; cùm ea ubique præterquam in Ecclesia* Genevensi celebrare, *nec minùs quam fit apud nos, ab operibus servilibus abstinere soleant. Majore numero in quibusdam Ecclesiis Reformatis celebrantur quam in* Anglicana. *Non præferuntur aut æquantur Diei Dominicæ. Bonis operibus, non otio aut luxuriæ impendi debent. Non tamen interdicuntur Festis diebus honestæ recreationes; neque diebus Dominicis. Liber Recreationum legitimarum primùm* Jacobo, *deinde &* Carolo I. *Regnante editus. Non verisimile est plebem Anglicanam dies Festos Sanctis dicatos credere.* Ludovicus Capellus, *Festa simpliciter non damnat.* Aretius, *loco ab Apologista adversus Festa citato, Festa defendit. Ea quoque defendunt tanquam legitima atque utilia* Bucerus, Zanchius, *aliique Celebres Reformatorum Theologi.*

Cap. XIV.
De Librorum *Apocryphorum* lectione in Ecclesia.

Scripturæ Sacræ Canon, *idem apud Ecclesiam Anglicanam qui apud cæteras Reformatas; nec plus illa authoritatis quàm ista, Libris Apocryphis tribuit. Eos expressè à Canonicis & θεοπνεύστοις distinguimus. Non omnes præleguntur in Ecclesia; nec quibusvis Diebus; Die Dominicâ non præleguntur. Ratio legendi Scripturam Sacram in Ecclesia Anglicana.* Lud. Capellus, & Conradus Pelicanus, *Libros Apocryphos in Ecclesia cum fructu legi posse censent. Idem censent Ecclesiæ* Belgicæ. *Nulla est Ecclesia Reformata apud quam quædam Apocrypha non legantur. Ex iis etiam apud Ecclesias Reformatas* Galliæ *Concionum Themata desumuntur. Solvuntur objectiones contra Publicam Librorum Apocryphorum lectionem in Ecclesia. Juramentum,* Liga & Fœdus solenne *dictum à* Presbyterianis, *cum majore Reverentia quàm ipsa Scriptura Sacra publicè in Ecclesia prælectum est.*

Cap. XV.
De Superpelliceo, quo induti Sacra celebrare solent Ecclesiæ Anglicanæ Ministri.

Quid peccaverit Ecclesia Romana circa Vestes Ecclesiasticas; Indumenta quæ Sacerdotalia habentur apud Ecclesiam Romanam. Superpelliceum inter ea non numeratur, neque eo utuntur Missam celebrantes: sed tantum dum alia officia minora peragunt. Ejus antiquitas atque usus apud Veteres Christianos. Reformatio Vestium Ecclesiasticarum varia apud varias Reformatorum Ecclesias. Calvini *locus, quo patet ipsum & cæteros* Genevensis *Ecclesiæ Pastores Vestibus longis usos. Interdictus Ecclesiarum Reformatarum Galliæ Ministris in publicum prodeuntibus, longarum Vestium usus Nupero Regis Edicto. Reformatio Vestium Ecclesiasticarum in Ecclesia Anglicana, eâdem ratione quâ*

rerum

rerum aliarum facta est. Choragium Missaticum universum ab ea sublatum est. Episcopalis ornatus describitur. Cur retentum in Ecclesia Anglicana Superpelliceum & ad quos usus: Quibus personis illius usus injungitur. Vestes Ecclesiasticæ in Ecclesia Anglicana non benedicuntur ad ullos supernaturales effectus producendos. In plerisque Protestantium Ecclesiis retentus Superpellicei usus. Nullâ aliâ Veste Ecclesiasticâ præterquam Superpelliceo offenduntur Puritani, *quod illis cum Pelagio commune est. Concedunt penes Ecclesiam esse de forma & colore Vestium statuere. Nullibi declarat Ecclesia Anglicana Superpelliceo utendum ad ullam significationem mysticam, aut commonefactionem officii; sed ad ornatum, decorumque atque distinctionem. Ad quos usus, ut ad officii significationem, commonefactionemque illæsâ conscientiâ, si sic superioribus videntur, usurpari posse Author est* Baxterus. pag. 121.

Cap. XVI.

Solvuntur Schismaticorum Objectiones contra Superpellicei usum in Sacrorum celebratione.

Vestium usus Naturalis & Politicus. In Vestium usu Politico materia, forma, color spectari solent; præcipuè vero forma & color. Albi coloris usus varius apud varias gentes: apud Romanos, Ægyptios, Judæos, *Primævos Christianos. Cur ab his in Sacrorum celebratione usurpatus, & in* Anglicana, Suecica, Danica, *& aliis plerisque* Augustanæ *Confessionis Ecclesiis post emendatam Religionem retentus. Solvitur Objectio* prima *adversus Superpellicei usum, scilicet,* quòd illius nulla sit utilitas; *cum utile sit ad* Decorum, ornatum, distinctionem, significationem & commonefactionem. *Indecorè tamen absque Superpelliceo Sacra apud alias Ecclesias, ubi alius mos obtinet, peragi non dicimus. Decorum est quod decorum videtur & habetur. Solvitur* secunda *Objectio, ex eo petita,* quòd sub pœna æquo severiore illius usus præcipiatur. *Solvitur* tertia, *nempe* contra legem charitatis præcipi

ob

ob fratres infirmiores, quibus offendiculo esse dicitur. *Solvitur* quarta, quòd *scilicet*, Ecclesiam nostram Papistarum Sannis & ludibrio exponat. *Solvitur* quinta, quòd sit ritus ab hominibus ad significationem mysticam cultui Dei appropriatus. *Solvitur* sexta, *ex eo* quod Ecclesiis primis ac purissimis non fuerit in usu. *Solvitur* septima, *nempe* quòd nulla Synodus Generalis & Orthodoxa de hisce nugis quicquam præceperit. *Solvitur* octava, ex Doctorum Reformatorum authoritate petita. Voëtii *authoritas rejicitur.* Altingii *argumenta expenduntur. Expenduntur &* Ecclesiæ Scoticanæ Superintendentium *litteræ. Frustra quorumdam Virorum piorum, quorum* Foxus *in Martyrologio meminit, authoritate premimur, cùm longè plures à nobis steterint.* Hopperus Glocestrensis Ridleiusque Londinensis *Episcopi & Beatissimi Christi Martyres, adversus Apologistæ calumnias vindicantur.* Hopperi *ad* Cranmerum Cantuariensem *Epistola, qua errorem suum circa usum Ecclesiasticarum Vestium, aliarumque rerum indifferentium ingenuè agnoscit, obsequiumque in posterum pollicetur.* Martini Buceri *Responsio ad duas* Cranmeri *quæstiones de Vestibus Ecclesiasticis. Ejusdem Responsio ad* Hopperi *Objectiones contra usum Vestium Ecclesiasticarum. Fallitur* Theodorus Beza *cùm ait, Reformationem Anglicanam ex* Buceri *consilio & voluntate non fuisse institutam.* Petri Martyris *de re Vestiaria Responsio ad* Hopperi *argumenta. In eadem sententiâ permansit regnante* Elizabethâ, *licet aliter sensisse rem minùs attentè considerantibus videatur.* Johannes A Lasco *notatur. Examinantur prolixæ* Hieronymi Zanchii ad Elizabetham *Reginam de Vestibus Ecclesiasticis litteræ, & ex* Martyre, Bucero, Calvino, Bezâ, *& ipso etiam* Zanchio *refutantur. Quid* Zanchius *erraverit in cognitione facti. Vindicatur adversus Apologistam* Durelli *Responsio ad easdem* Zanchii *litteras, quæ habetur in Tractu Anglicano. Quo sensu teneantur Ecclesiæ Anglicanæ Ministri assentiri libro Liturgi-*

60

co & singulis quæ in illo continentur. Superpelliceo utuntur plerique Augustanæ *Confess. Ministri ut & aliarum Confessionum in* Prussia. Lutherus *& Ecclesiæ* Lutherum *sequutæ adversus* Altingium *vindicantur. Disceptatio, inter* Lutherum *&* Melancthonem *de Ritibus Ecclesiasticis*, Presbyterianos *nihil juvat; quin ea continet quæ ipsis prorsus adversantur.* Melancthon *vindicatur adversus Apologistæ calumnias.* Calvinus *agnovit* Melancthonem, *ut molliorem in* Controversia Interimisticâ *cum* Flacianis *à se immeritò accusatum.* Melancthonis *sua ipsius defensio. Ejusdem de usu Vestis Lineæ judicium.* Georgii *Principis* Anhaltini *de re eâdem sententia.* Melancthon *sententiam non mutavit.* Pomeranus, *Vestis Lineæ usum non improbavit.* Wittenbergensium *Theologorum eadem quæ Præsulum Anglicanorum de Adiaphoris consuetis retinendis, sententia. Apologistæ in Rev. Ecclesiæ Anglicanæ Episcopos injusta querela ob rejectam ab iis omnium Sectarum, ne exceptâ quidem Pontificiâ, tolerationem.* pag. 131.

Cap. XVII.

An Penes Ecclesiam sit Ritus significativos instituere?

Gallicæ Puritanorum Apologiæ in Ecclesiam Anglicanam Calumnia refutatur. Scripturam Sacram perfectam credendorum agendorumque ad Salutem consequendam Regulam ab Ecclesia Anglicana haberi: quod patet ex Confessione Fidei, Formulâ Ordinationis, & aliis Scriptis Publicis & Privatis Virorum Doctissimorum, maximè R. Laudi Cantuariensis. Hookerus *vindicatur*, Amesius, Jeanesius, *aliique Puritanorum Scriptores à Cl.* Ritschelio *confutati. De Scripturæ Sacræ Perfectione, déque Prophetico atque Regio Christi Officiis, in quibus scilicet consistant. De Ecclesiæ Apostolicæ Officio circa Rituum indifferentium institionem. Rituum genera varia. Qui Ritus ab Ecclesia institui & servari possint. Ritus significativi ab Ecclesia Apostolica instituti & observati, scilicet,* Manuum levatio,

CAP. XIX.

De Reverentia quæ Chriſto Servatori ad *JESU*, proprii illius Nominis Dulciſſimi, recitationem, à fidelibus in Eccleſia Anglicana exhiberi ſolet.

Cap. XX.

De *Litania*, deque modo recitandorum Divinorum Officiorum juxta usum Ecclesiæ Anglicanæ.

Nullâ Liturgiæ Anglicanæ parte æquè offenduntur Schismatici atque Litaniâ. *Illius Descriptio. Modus recitandi* Litaniam *Puritanis displicet, &* Voetio *absurdus videtur. Quod si verum foret, non tamen eliminanda extra Ecclesiam fuit, sed absurditas in recitando corrigenda, prout factum est ab Ecclesiis Reformatis* Galliæ *in quorumdam Cœtuum Psalmodia. Non sunt fideles in Reformatorum Cœtibus dum funduntur Preces Publicæ,* κώφα πρόσωπα. *Canuntur in iis omnibus promiscuè Psalmi precatorii, & in plerisque ipsa Oratio Dominica. Recitantur non à Ministro tàntùm sed etiam à fidelibus aliæ Preces apud Ecclesias* Bohemicas, Polonicas, Lithuanicas, Helveticas, Hungaricas. *Idem factum in Ecclesia Primitiva & Apostolica. Idem in* Judaica: *Ratio recitandarum Precum in Ecclesia Anglicana. Ridicula* Presbyterianorum *exceptio adversus illud* Litaniæ, à Subitanea morte libera nos Domine. *Explicatur illud,* & ab omni peccato mortali, *&c. & adversus eorumdem Cavillationes vindicatur. Quo authore & quem ob finem verba ista,* à tyrannide Episcopi Romani & illius detestandis enormitatibus, libera nos Domine, *expuncta sint è* Litania. pag. 216.

Cap. XXI.

De iis quæ Presbyteriani reprehendunt in Sacramentorum Administratione juxta Ritum Ecclesiæ Anglicanæ.

De Sacræ Mensæ Situ ac Nomine. Reverendissimus Laudus Cantuariensis *adversus Apologistæ convitia vindicatur. Explicatur altercatio quæ de Situ Sacræ Mensæ inter Doctorem* Williams, *& Doctorem* Heylin *intercessisse dicitur. Rubrica, in qua explicatur ingeniculationis Ritus* inter

inter communicandum, postremæ Sacræ Liturgiæ Editioni inserta. Reverentiæ quâ tractantur Eucharistiæ elementa, siquid eorum supersit, postquam omnes communicarunt, nihil inest superstitiosi, aut quod Papismum redoleat. Verba Kekermanni *ab Apologista citata perpenduntur ac refutantur. Privatorum hominum scripta, maximè ea quæ absque Superiorum veniâ & approbatione in vulgus prodierunt, Ecclesiæ Anglicanæ immeritò imputantur. Ecclesia Anglicana, à Romana, quòd Idolatriâ sese polluisset, secessit. Author libri cui titulus,* Pondera & Mensuræ, *utut hac in parte à communi Reformatorum doctrina recedat, Vir Eruditissimus. Liber inscriptus;* Parallelum inter Phanaticos novos & veteres *ab Ecclesiæ Anglicanæ Adversario,* Presbyteriano *fortassis, scriptus.* Heylinii *judicium de* Edvardo *Rege sexto, ad Ecclesiam Anglicanam nihil attinet. Præstantissimi illius Principis Elogium, Authore Clarissimo* Hookero. *Non sine causis idoneis à* Durello *annotatum in Tractatu Anglicano, ex qua materia conflentur vasa quæ Sacræ Eucharistiæ Administrandæ apud Reformatorum Ecclesias inserviunt. Poculis & catinis ligneis in Eucharistiæ Celebratione utitur Ecclesia Tigurina.* pag. 222, & 223.

CAP. XXII.

De iis, quæ in Sacra Ecclesiæ Anglicanæ Liturgia de Communicantibus statuuntur; ob quæ *Presbyterianorum* Ministri Ecclesias deserendas censent; ac primò de Communicantium Gestu.

Presbyterianorum *Objectiones contra Communicantium Ingeniculationem. Hujusce Controversiæ statum à* Durello *in Tractatu Anglicano rectè propositum immeritò negat Apologista. Non plus hac in parte sibi arrogat Ecclesia Anglicana quàm cæteræ Reformatæ: Communicantium Gestus varius apud varius Reformatorum Ecclesias; sed apud singulus Unus idemque uniformiter observatur.*

servatur. Iisdem difficultatibus premerentur Presbyterianorum *Ministri circa Communicantium Gestum in Ecclesia* Genevensi, *si in ea Sacro Ministerio fungerentur, quibuscum sese conflictari quiritantur in Anglicana. Aurea* Calvini *verba de Ritibus in qualibet Ecclesia uniformiter observandis. Ingeniculatio in S. Eucharistiæ perceptione in aliis plurimis Reformatorum Ecclesiis præter Anglicanam usurpatur; à nullis damnatur; ab iis probatur à quibus non usurpatur. Eucharistiam de geniculis absque scrupulo percipiunt cæterarum Ecclesiarum Reformatarum fideles apud nos degentes.* Samuel Bochartus, Moses Amyraldus, Johannes Oecolampadius, *Fratrum* Bohemorum *Confessio; Synodus* Wlodislaviensis, Petrus Martyr, Johannes Dallæus *laudantur. Refutantur* Presbyterianorum *Cavillationes contra communicantium ingeniculationem, veluti, quòd eo Gestu abusi sint Pontificii; quòd convivantibus vix conveniat; quòd eo Gestu in Idololatria sua confirmentur Pontificii; quòd eo Gestu non usus sit Christus. Sacerdos in Ecclesia Romana stans, ipse verò summus Pontifex sedens communicat, quemadmodum &* Sociniani. *Decretum* Honorii *Papæ ad communicantium ingeniculationem nihil attinet. Ne in ipsa quidem Ecclesia Romana ingeniculatio in Eucharistiæ perceptione ad Sacramenti adorationem usurpatur. Incertum quo Gestu usus sit Christus Dominus in prima Eucharistiæ celebratione; Eum non observant qui Mensæ Sacræ assident.* Johannes Welchius *Scoto-Presbyterianus Minister, Ministerium deserere maluit quàm consuetum apud Ecclesias Reformatas Galliæ communicantium Gestum observare. Gestus quo usus est ipse Christus, cùm mera sit circumstantia, non est necessariò observandus: Unde non magis observatum quàm reliquas Cœnæ Domini Circumstantias à vetustissimis Christianis legimus. Consensus* Sandomiriensis *Presbyterianos planè nihil juvat, quin iis potiùs apertè adversatur. Neque pro iis facit Decretum Synodi* Belgicæ *ann.* 1578. *quo ingeniculatione interdictâ,*

interdictâ, sedendi aut standi libertas Ecclesiis relicta est. Mantonus *genuflexis Eucharistiam porrigere recusavit.* Petrocoviensis *Synodi verba, quibus abutitur Apologista, disertè pro* Prælatis *Anglicanis faciunt &* Presbyterianorum *molimina expressè damnant. Præsulum Anglicanorum circa communicantium Gestum atque aliorum Rituum uniformem observationem, non est* ἐπιτιμία *major, quàm aliorum quorumlibet Pastorum apud cæteras Ecclesias Reformatas.* pag. 233, & 234.

Cap. XXIII.

De Admittendis ad Cœnam Domini juxta Disciplinam Ecclesiæ Anglicanæ. De Confirmationis Ritu. De Suspensione à Cœna Domini; aliisque censuris Curiarum Ecclesiasticarum. De Communione Infirmorum.

Quæ ab Adversariis improbentur circa admittendos ad Sacram Communionem. Confirmationis Ritus, qualis apud veteres obtinuit, à Calvino *describitur, probaturque; atque illius ubique restitutio optatur. Illius institutio ad ipsos Apostolos ab eo refertur. Apud Fratres* Bohemos *usurpatur. Describitur qualis obtinet in Ecclesia Anglicana. Non est otiosa Ceremonia, sed pium utilissimumque institutum. Pueri sexdecim annos nati, in Catechismo probè instituti, & ab Episcopo ritè Confirmati, ad Cœnam Domini admitti possunt ac debent. Neogami cùm Matrimonio solemni Ritu copulantur, & Puerperæ cùm Deo gratias agunt in Ecclesia post partum, Eucharistiam, si celebretur, precipere tenentur. Indigni à Cœna Domini arcendi, juxta Disciplinam Ecclesiæ Anglicanæ; sed non inauditi.* Presbyterianorum *Ministri totas Parœcias annos integros absque ulla judicii forma à Cœna Domini repellere soliti. Ecclesiarum Oeconomi eorum nomina, quorum mores improbos atque impuros norunt, ad Episcopum deferre tenentur; aut si in Officio cessantes fuerint, ipsi verbi Ministri id muneris in se debent suscipere, ne ad Cœnam Domini admittantur, antequam vitam*

vitam emendaverint. Parochi id juris habent ut quos indignos (sed prius auditos & monitos) judicaverint, unâ vice à Sacra Communione arceant. Censurarum ratio varia pro varia delictorum ratione. Non debet Pastor, Calvino *judice, quemquam à Cœna prohibere, quamvis eum indignum judicet, nisi eum prius Ecclesiastico judicio convicerit. Pastores ab Eucharistiæ perceptione neminem prohibent qui Civitate ac libertate fruitur, apud* Tigurinos. *Multa Pœnitentiæ Publicæ in Viros fœminasque nobiles exempla edita, in Ecclesia Anglicana.* Baxterus, Mantonus, *aliique Castrenses & aulici Concionatores* Presbyteriani *dum* Cromwellus, *& cæteri Parricidæ* Britanniæ *imperitarent, nullum eorum à Cœna Domini repulerunt aut repellendum pronunciarunt. Quantum Pastoris judicio permittatur in visitatione infirmorum. Ratio communionis infirmorum in Ecclesia Anglicana. Non est noc esse debet, aut dici jure potest Cœna solitaria, cùm semper adsint plures communicantes. Quàm parvi pendatur Eucharistiæ Sacramentum à* Presbyterianis. Amyraldus *nihil habet loco ab Apologista citato, adversus Communionem Infirmorum. Ex Cl.* Drelincurtii *verbis verum esse probatur, quod de Ecclesiarum Reformatarum* Galliæ *Pastoribus falsò affirmasse* Durellus *ab Apologista accusatur, scilicet,* eos communionem infirmis eam enixè petentibus non esse negaturos, si id per edicta Regia liceret. Calvinus, Zanchius, Fratres Bohemi, *Ecclesiæ* Polonicæ, Lithuanicæ, Basileensis, *&c. clinicis & moribundis Cœnam Domini administrandam censent, ut frustra sit Apologista cum* Voetio *suo, qui Communionem infirmorum tanquam* Lutheranorum *placitum exagitat.* pag. 248, & 249.

Cap. XXIV.

De Administratione Baptismi in Ecclesia Anglicana; ac primò de Baptizandis. 2. De Susceptoribus. 3. De Catechismo Baptizandorum seu interrogationibus quæ in Pædobaptismo fieri solent.

Presby-

Presbyterianorum *exceptiones adversus Administrationem Baptismi in Ecclesia Anglicana.* 1. Quòd subjectum Baptismi nimiùm videatur ampliari. Mæchorum, Erronum Excommunicatorum, *&c. Liberos à Sacramento Baptismi arcendos volunt. Eos omnes Baptizandos censent cum Ecclesia Anglicana*, Calvinus, Zanchius, Beza, Maccovius, Hoornbeckius, Augustinus. *Sub Vetere Lege circumcidebantur omnium* Israëlitarium, *etiam impiorum liberi. Universali totius generis humani redemptione per Christum, omnium quorumcunque hominum liberis aditus patefactus in Ecclesiam, & jus ad Sacrum Baptisma acquisitum.* Scoto-Presbyteriani *Ministri nullos Infantes baptizabant, nisi quorum Parentes se eos juxta solenne Perduellium Fœdus educaturos, promittebant. Non fraudandi jure suo Infantes ob Parentum delicta. Exceptio* 2. Quòd in Ecclesia Anglicana si adsint Susceptores, non requiritur Parentum præsentia. *Susceptores non admittunt* Presbyteriani *nisi in absentia Parentum. Parentes spurii ab Apologista dicuntur. Susceptorum Officium in Ecclesia Anglicana. Nullibi terrarum aut Filiorum de Baptismo erga Susceptores reverentia, aut Susceptorum erga Filios de Baptismo cura major, quàm apud Ecclesiam Anglicanam; tantum abest ut istud Susceptorum Officium pro ludo jocoque habeatur, prout mentitur Apologista. Contentiosos eos judicant Gallorum Ecclesiæ Reformatæ, qui liberos suos ad Baptismum ipsi, nullis adhibitis Susceptoribus, offerre voluerint. Exceptio* 3. Quod quivis admittantur ad Susceptorem munus in Ecclesia Anglicana. *Idem est Ecclesiarum Reformatarum Galliæ, & aliarum omnium peccatum hac in parte quod Ecclesiæ Anglicanæ, siquid est. Catechismi Baptizandorum; seu Interrogationum quæ in Baptismo fieri solent antiquitas. Ratio; nihil aliud quàm Stipulatio est. Usurpatur ubivis dum adulti baptizantur. Illius antiquitas etiam in Pædopabtismo, ex* Augustino, Cypriano & Tertulliano *probatur; unde ii refutantur qui hunc morem, Episcoporum, partim incuriâ,*

partim ignorantiâ in Ecclesiam Christi introductum volunt. Non est ineptum Infantem alloqui. Si sit ineptum, ineptiunt omnes Occidentis, ne Reformatis exceptis, Ecclesiæ, in quibus Minister Infantem quem baptizat, alloquitur hoc modo. Petre, Paule ego baptizo te. *Secus apud Græcos, quibus alia Baptizandi formula in usu est;* Petrus, Paulus, baptizetur. *Non interrogantur Infantes dum baptizantur in Ecclesia Anglicana, sed eorum Susceptores, qui pro iis stipulantur: Ejusmodi Stipulationes pro Infantibus aut absentibus, in rebus civilibus frequenter validéque apud omnes Gentes fieri solent.* pag. 262, & 263.

Cap. XXV.

De Crucis Signaculo in Fronte Baptizatorum designari solito juxta Ritum Ecclesiæ Anglicanæ.

Multiplex horrendusque Crucis illiusque signaculi abusus in Ecclesia Romana describitur. Ab eo omni abusu abhorret Ecclesia Anglicana. Signaculi Crucis usus apud primævos Christianos, unde ortus; unde abusus Sæculis posterioribus. Illius Reformatio in Ecclesia Anglicana. Designatur in fronte non Baptizandorum sed Baptizatorum, & eorum tantùm quos spes est fore superstites, ne quâ ei virtus aut efficacia à quoquam tribui possit. Nihil addit Baptismo, quem plenum perfectumque esse credit & declarat Ecclesia Anglicana absque hujusce signi designatione. Bucero *maximè probatur; non improbatur à* Beza; Martyri *licitus videtur. Refutatur Objectio* 1. *Adversus signum Crucis, scilicet,* Quòd sit signum per quod Infans Deo dedicatur, ideoque signum Sacramentale. *Defenditur Reverendi* Mortoni Dunelmensis *Episcopi ad eam Objectionem Responsio. Res duplici ratione Sacramentales dici possunt. Signo Crucis nullam virtutem tribuere, nullam gratiam invisibilem annexam credere Ecclesiam Anglicanam verè affirmavit* Durellus. Jacobi August. Thuani *judicium de Crucis Ceremonia prout ab Ecclesia Anglicana*

Anglicana usurpatur. Refutatur Objectio 2. Nempe, Quòd sit signum visibile internæ spiritualis gratiæ, *ideoque Sacramentum propriè dictum.* Thomas ἀπροσδιονύσως *ab Apologista allegatur; Verbis tamen ex eo allegatis liquet signum Crucis in Ecclesia Anglicana non esse Sacramentum. Nihil aut falsum, aut absurdum de Cruce in Tractatu Anglicano scripsit* Durellus. *Cruces è Templorum summitatibus à Reformatis haud deturbatæ; quin recens ædificatis,* Cadomi *aliisque locis impositæ. Solent* Genevenses *Religionem Christianam Cruci innixam effingere. Crucem pallio intextam gestare licet ex Synodi Nationalis Ecclesiarum Reformatarum* Galliæ *ad S.* Maxentii *an.* 1609 *habitæ decreto.* Gilberti Voetii *de Crucibus è pinnaculis Templorum deturbatis apud Reformatos provocatio irrita. Crucis signaculum in Administratione Baptismi apud* Augustanæ *Confessionis Ecclesias usurpatur. Reformatorum* Parisiensium *liberi in* Magnæ Britanniæ *Regis ad* Gallorum *Regem Legatorum Sacello, Sacro Baptismo, Ritu Anglicano, intingendi sæpius offeruntur. Cultum Dei in* Augustanæ *Confessionis Ecclesiis (in quibus obtinet Crucis consignatio) ab omni Idolatria & Superstitione immunem pronunciavit* Gallorum *Reformatorum Synodus Nationalis. Nihil adversus Crucis in fronte Baptizatorum designationem objicitur, quod non, jure pari, adversus Trinam aspersionem objici possit.* pag. 272, & 273.

CAPUT. XXVI.

De Efficacia Baptismi, An major juxta Liturgiam Anglicanam quàm par est, habeatur.

Apologistæ exceptiones adversus quasdam phrases libri Liturgici in Officio Pædobaptismi. Ellisius *quem hìc scurriliter impetit Apologista,* ὑπερασπιστῆς *non indiget. Fratrum* Lutheranorum *errores, si quos errent, non defenduntur.* Amyraldus *ad quem Apologista Lectorem amandat, in eadem planè sententia est cum Ecclesia Anglicana.* Gatakerus *eamdem libri Liturgici periodum, ad quam totus contre-*

miscit Apologista, commodè interpretatur, & ad sententiam suam, quæ eadem est, quæ reliquorum Presbyterianorum, *accommodat.* Sacramentum Baptismi, vim habere Infantum regenerativam & necessariò salvificam, *Ecclesiæ Anglicanæ placitum esse, falsò asserit Apologista. Locutiones ei similes ob quam dogma illud Ecclesiæ Anglicanæ imputat, apud* Amyraldum, Calvinum *aliosque Reformatos authores, imo apud ipsum Apostolum* Paulum *frequentes occurrunt. In Officio Pædo-baptismi nihil immutatum quo necessariò inferatur cujusslibet Baptizati regeneratio. Potest ac debet Minister Deo gratias agere pro uniuscujusque, Infantis Baptizati regeneratione, si vel aliquos Infantes, electos putà, in Baptismo regenerari credat. Spiritum regenerationis in Baptismo quibusdam communicari, constans est omnium Ecclesiarum Reformatarum sententia. Idem sentiunt* Calvinus, Zanchius, Junius, Bucerus, Gerhardus Vossius, Ursinus, Amesius. *Baptismi Necessitas qualis, & qualis efficacia, à cordatioribus Reformatorum cujusvis Confessionis Scriptoribus admittatur. Sacro Baptismo initiatos, qui in Infantia moriuntur, indubiè salvari sentiunt cum Liturgiæ Anglicanæ Rubrica,* Calvinus, Amyraldus, & Andium, Turonum, Cœnomanorum, &c. *Reformatorum tota Synodus. Defenditur Rubrica qua Officium pro Sepultura mortuorum recitari prohibetur in eorum funeribus qui moriuntur non Baptizati & Excommunicati, & qui sunt αὐτόχειρες. Genuflectunt Ecclesiæ Tigurinorum Reformatæ Ministri coram Sacra Mensa.* pag. 287, & 288.

Cap. XXVII.

De Vetere Psalmorum Versione, quam retineri placuit in postrema Sacræ Liturgiæ Editione. Item de Musica Organica in Ecclesia, ad cantum moderandum, augendamque Sacri concentûs melodiam.

Duplex Psalmorum Versio Ecclesiæ Anglicanæ in usu. Anglicæ Sacrorum Bibliorum Versiones variæ, sub HENRICO viii.

viii. EDVARDO vi. ELIZABETHA & JACOBO *adornatæ sunt. Concessa primùm, deinde prohibita sub* HENRICO *Sacrorum Bibliorum lectio vulgari idiomate. Sub* EDVARDO *prohibitio rescissa; Sub* MARIA *iterum firmata; Sub* Elizabetha *ac deinceps omnibus patuit ad Sacrum Codicem aditus. Vetus Psalmorum non ex* Tyndalli, *aut* Coverdalii, *aut* Matthæ, *sed ex* Cranmeri *Editione desumpta est. Quî factum, ut veterem nova Psamorum Versio prorsus non eliminaverit. Defenditur Versio vetus,* 1. *Psalmo Lviii.* Indignatio vexet eos, sicut res, quæ est cruda. 2. *Psalmo Cxxxiii. v. iii.* Instar roris Hermonis qui cadit supra montem Sionis. 3. *Psalmo Cv. v. xxviii.* Non erant obedientes. 4. *Psalmo Xiv. Cui Interpres tres integros Versiculos ex Epistolæ ad* Romanos *Capite tertio inseruisse dicitur. Verba hæc,* Et acceperunt triginta argenteos, pretium appretiati quem appretiaverunt, Jeremiæ *esse, prout habetur apud S.* Matthæum, *non autem* Zachariæ, *apud quem hodie leguntur, ex* JOSEPHO MEDO, *Viro Eruditissimo, ostenditur. Cl.* SCHOOKIO *à* Pyrgopolinicis *Machæra nihil metuendum. Quantum Viro Eruditissimo debeat* Belgium *Reformatum. Schismaticorum Cavillationes contra usum Musicæ Organicæ in Fidelium Ecclesiis. Describitur Organi Musici usus in Ecclesia Anglicana. In paucis admodum Ecclesiis Parochialibus, sed Cathedralibus, Collegiorumque quorumdam atque nonnullorum Virorum Nobilium Sacellis tantùm habentur Organa Musica. Non adhibentur ad oblectandum plebem in Templis deambulantem ac confabulantem, sed ad moderandum Cantum Ecclesiasticum, augendamque Sacri concentûs melodiam. Nihil ad Organum cantatur nisi quod totidem verbis in Scripturis sacris habetur, aut ex iis desumitur: nec quidquam nisi linguâ vernaculâ. Refellitur eorum Objectio qui dicunt tantum edi strepitum dum pulsatur Organum, ut quid cantetur, nemo possit intelligere. Tympana, Buccinæ, aliaque ejusmodi instrumenta apud omnes Gentes non secus*

ac Judæos ad testandam lætitiam publicam jam olim adhibita. Musica Instrumenta ad Cantum Ecclesiasticum moderandum à Mose *nec præcepte, nec adhibita, ideoque ad Pædagogiam* Mosaicam *nihil attinent. Musica vocalis à* Mose *præcepta & adhibita ab Adversariis usurpatur. Non quicquid* Moses *præcepit atque observavit, ad ipsius Pædagogiam statim eo nomine referendum. Instrumentalis Musica à summi Pontificis* Romani *Sacello exulat; Illius usus à* Davide *in Ecclesiam Judaicam invectus est. Unde factum ut tum Judæorum, tum Christianorum Ecclesia Instrumentis Musicis diu caruerit. Cur ab utraque tandem usurpata. Organa Musica apud* Belgarum, Germanorum, Helvetiorum, *aliorumque Reformatorum penè omnium, Ecclesias in usu sunt. Synodorum* Belgicarum *decreta de Musica Organica, illius abusum perstringunt, usum legitimum non tollunt. Cl.* Schookius, *de Musica Organica usu idem planè sentit cum Ecclesia Anglicana. Ad quos usus ex* Calvini *sententia, adhiberi possint Instrumenta Musica. Multis ideo tantùm improbatur Musica Organica, quia illius usum non sunt experti, quod demonstratur ex varia ante & post illius usum, de ea* Johannis Capitonis *Pastoris* Bremani *sententia, apud* Schookium. pag. 304, & 305.

Cap. XXVIII.

An semper à prima Reformatione Episcoporum Ordinem Jure Divino Presbyteris Superiorem esse tenuerit Ecclesia Anglicana.

Vindicatur Ordinationis Formula adversus Apologistæ Objectiones. Ex 4. Concilio Cartaginensi *desumpta est.*

Episcopatum

Episcopatum jure Divino niti à prima Reformatione, semper tenuit Ecclesia Anglicana. Id patet Primò *ex Præfatione Formulæ Ordinationis præfixâ à primis Reformationibus sub* Edvardo *sexto. Excutitur* Cranmeri *locus ex Libro Manuscripto qui penes est* Cl. Stillingfleetum. *Refutantur quæ allegat Apologista ex Ordinationis Formula qualis fuit ante postremam illius recensionem, ad probandum Episcopum & Presbyterum, non Ordine, sed gradu tantùm differre. Discordant à se invicem Puritanorum Apologistæ.* Secundò, *ex eo quòd Annis* 1562. *&* 1571. *Regnante* Elizabethâ, *Ordinationis Formula cum Præfatione ab utrinsque Provinciæ* Cantuariensis *&* Eboracensis *Synodis unanimi consensu fuerit approbata.* Tertiò, *ex* Whitgifti *sub* Elizabetha *&* Jacobo Cantuariensis *Archiepiscopi Libro adversus* Cartwrightum. Quartò, *ex ea ipsa* Francisci Knollii *Epistola quam laudat Apologista.* Quintò, *ex libris* Sutlivii *Ecclesiæ* Exoniensis *Decani &* Hadriani Saraviæ *Præbendarii* Cantuariensis *adversus* Theodorum Bezam, *circa annum* 1590. Sextò, *ex* Th. Bilsoni Wintoniensis *Episcopi libro*, De perpetua Ecclesiæ Christi Gubernatione, *quem* Jacobo *Regi nuncupavit. Vindicatur* R. Laudus Cantuariensis *adversus ea quæ ipsi à* Hollando *objecta affirmat Apologista.* Septimò, *ex* Downamo, Andreâ *Wintoniensi aliisque.* Georgius Hornius, Honorius Reggus, Motuum Scoticorum *Scriptor*, Salmonetus *notantur.* Octavò, *ex* Bancrofti *concione. Respondetur ad ea quæ ex* Rainoldo, Juello, Pilkingtono, Fulcone, Humphredo *allegantur in contrariam sententiam, nullum novum jugum à* Laudo *& Co-episcopis Ecclesiæ Anglicanæ cervicibus impositum. Eandem ipsam Hierarchiam ejurarunt, &, quantum in ipsis fuit, everterunt Presbyteriani, quæ sub* Edvardo *sexto, &* Elizabetha *obtinuit. Neque penes Rebellans Parlamentum, neque penes* Westmonasteriensem *Theologorum Conventum fuit in Politia Ecclesiastica quicquam immutare. Nihil ad rem quæ ex* Colemanno *&* Gatakero *affert Apologista*

CAPUT. XXIX.

deplorandum

deplorandum Schisma. 10. Quòd Reformatorum Primipilos proscindat & *Calvinum* appellaverit nebulonem. 11. Quòd Pontificiorum distinctionem Verbi Dei in Scriptum, & non Scriptum, approbet & asserat. *Quæ omnia falsò & per summam calumniam Reverendissimo Archi-præsuli imposita esse demonstrantur.* pag. 341. & 342.

CAPUT. XXX.

De Jure Divino Episcopatus.

Quid per Episcopatum intelligatur. Episcopatum seu Ministrorum Sacris peragendis Subordinationem in Ecclesia Judaica Deus ipsè instituit. Eam imparitatem Christus Christîque Apostoli, adeo non culparunt, ut approbasse & imitati fuisse videantur. Solvitur Adversariorum objectio ex Christi Verbis, S. Matth. 20. 26. Quicunque voluerit inter vos magnus fieri, &c. *petita. Christus Dominus in terris degens duos Ministrorum Gradus dignitate atque potestate impares, Apostolos scilicet & Septuaginta Discipulos, ad Colligendam Ecclesiam constituit; Et in Cælo triumphans* dedit alios quidem Apostolos; alios vero Prophetas, *&c.* S. Hieronymus Calvinusque *laudantur. Apostoli, quam Episcoporum esse dicimus, potestatem in reliquos Evangelii Ministros habuere. Eam quibusdam,* Timotheo *puta* Titoque *atque aliis, non omnibus promiscuè & indiscriminatim commiserunt. Refellitur exceptio Adversariorum, qui eos non quà Episcopos, sed quà Evangelistas cæteris Ministris præfuisse volunt. Laudatur* Petrus Molinæus. Jacobus *ab ipsis Apostolis* Hierosolymorum *constitutus est Episcopus. Is non Apostolus ex* Duodecim, *sed Discipulus fuit. Multi Apostoli dicti qui non fuerunt primarii è numero Duodecim, sed Secundarii duntaxat Apostoli. Angeli Septem Ecclesiarum.* Asiæ *earumdem Episcopi. Refelluntur tum qui de Angelis propriè dictis eo loco agi volunt, tum qui*

nomen

nomen Angeli collectivè sumendum censent, ita ut personam singularem non denotet. Laudantur Paræus, Beza, Marloratus, Rainoldus, Bullingerus. *Ex Historia Ecclesiasticâ aliisque veterum, eorum etiam qui cum Apostolorum Auditoribus conversati sunt, monumentis liquet* Jacobum Hierosolymitanæ, Timotheum Ephesinæ, Polycarpum Smyrnensis, *aliosque aliarum Ecclesiarum ab ipsis Apostolis constitutos Episcopos, & eorum fuisse in* Episcopatu *successores. Successiones Episcoporum ab ipsis Apostolis deductas adversus Hæreticos allegant Secundæ Centuriæ Scriptores.* Hieronymus, Eusebius, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Irenæus, Dionysius Corinthiacus, Hegesippus *laudantur. Refelluntur quorumdam exceptiones adversus allegata Veterum testimonia pro instituto ab ipsis Apostolis Episcopatu, 1. Quòd Episcoporum Successiones enumerent ad probandam doctrinæ successionem. 2. Quòd non disertè doceant qualisnam fuerit eorum Episcoporum* προστασία. 3. *Quòd licet fuerint apud Athenienses novem* Ἀρχόντες *æqualis inter se potestatis, unus tamen fuerit* Ἀρχων ἐπώνυμος. 4. *Quòd non conveniant inter se veteres de primis Apostolorum in Ecclesiæ Romanæ atque* Antiochenæ *successoribus. Argumentum postremum instituti ab ipsis Apostolis Episcopatus, ex Adversariorum confessione desumitur, scilicet, re & nomine Episcopos ubique in Ecclesia obtinuisse statim post Apostolos rebus humanis exemptos, nempe ante dimidium seculi Apostolorum proximi. Quod Argumentum ipsi* Baxtero *insolubile videtur. Refelluntur aliæ Adversariorum objectiones, partim ex Scripturis, partim ex Patribus desumptæ. 1. Quòd Episcopi Presbyterique iidem dicantur,* Act. 20. & Epist. ad Titum c. 1. *Apostoli primùm dicebantur, quos postea vocarunt Episcopos. 2. Quòd Episcopos plures unius Civitatis* Philipporum *in Epistola ad* Philippenses *salutet Apostolus. 3. Ex* Augustini *Epistola ad* Hieronymum. 4. *Ex* Hieronymo, *variis locis.*

CAPUT.

CAPUT. XXXI.

De Reverendorum Eccleſiæ Anglicanæ Epiſcoporum Electione, Poteſtate, Poteſtatis Exercitio, atque loco & Dignitate in Republica.

Inſtituta ab Adverſariis adverſus R. Eccleſiæ Anglicanæ Epiſcopos Accuſatio, articulis Septem continetur. Adduntur alii quidam novi ex Hoppero Latimeroque; *atque etiam ex illuſtriſſimo* Bacono *&* D. Franciſco Knollio. *Sed* Baconi *videntur non eſſe, quæ hic ex illo allegantur. Ad ea omnia Ordine reſpondetur. In Epiſcoporum aliorumque Eccleſiæ Miniſtrorum Electione pro locorum ac temporum ratione ſubinde multum variatum eſt. In primordiis Chriſtianiſmi ſoli Apoſtoli virique Apoſtolici Epiſcopos alioſque Eccleſiæ Miniſtros elegerunt. Reſpondetur objectioni ex Septemvirorum curandis menſis Electione, Act. VI. petitæ. Itemque alii ex ejuſdem libri Capite XIV. ubi dicuntur* Paulus *&* Barnabas χειροτονήσαι πρεσβυτέρους κατ' ἐκκλησίαν: *quod à Cl.* Bezâ *malè verſum,* Suffragiis, *populi ſcilicet,* creaſſe. *Apoſtolis viriſque Apoſtolicis vitâ functis, ubique ferè prudentiſſimo* Eccleſiæ *conſilio Cleri Plebiſque ſuffragiis permiſſa eſt* Epiſcoporum *electio.* Alexandrini Epiſcopi *à ſolis Presbyteris electi. Decedentes* Epiſcopos, *deſignaſſe Succeſſores ſuos ex* Auguſtino *probatur. Plebis electiones à* Laodicenâ *Synodo prohibitæ. Triſtes & horrendi Popularium electionum eventus in* Romanorum, Alexandrinorum, *&* Epheſiorum Eccleſiis. *Electionis jus promiſcuæ plebi ademptum & paucis primariis civibus cum Clero permiſſum Imperiali Conſtitutione, Soli Clero attributum. Clero tandem quoque propter abuſum ademptum, & à Principibus ſolis paſſim vindicatum & uſurpatum. Ab Angliæ Regibus à longo tempore. Jus illud noſtri homines aliique Principibus aſſerunt. 1. Jure Imperii, 2. Jure Patronatus. Noſtris*

ſtris verò præterea competit jure Conceſſionis. Quomodo illo Jure utantur Angliæ Reges. Ratio Eligendorum Epiſ*coporum in Anglia. Ritus Conſecrationis* Epiſcoporum. *Quales* Epiſcopi *eligantur in* Eccleſia *Anglicana, ex quo Reformata eſt, ex* Hieronymo Zanchio. *In aliis Regnis & Rebus-publicis puriorem Religionem amplexis, Reges, Principes, & alii Summi Magiſtratus eodem jure utuntur, licet non eadem ratione. Minus inferiori Clero & Plebi conceditur in* Saxonia, Palatinatu, *& Ditione* Baſilienſi, *Minus apud Fratres* Bohemos, *Minus apud* Tigurinos. *Non major Plebis ratio habetur apud* Bernates. *Eccleſiæ Paſtores ſuos non eligunt apud* Genevenſes. *Jus Patronatus obtinet in Belgio Reformato. Presbyterianorum Parlamentum jus eligendi Præſidis Synodi ſibi reſervatum voluit. Principes ac alii ſummi Magiſtratus eo jure utentes nullam Plebi faciunt injuriam. Eo jure uſi ſunt Iudæorum Reges optimi. Plebi competere nullâ ratione aut Scripturæ authoritate probatur.* Morellius *Sectæ Independentium Parens, qui jus illud plebi aſſerebat, ea propter à Presbyterio Genevenſi excommunicatus eſt. Incommodis laborare poſſunt omnes Paſtorum eligendorum rationes. Iis minus obnoxiæ videntur quæ à Principibus & Magiſtratu fiunt, modo & Cleri & plebis ratio aliqua habeatur. More patrio vivendum.* Secundo *accuſationis adverſus Epiſcopos articulo, de eorum conſecratione diverſa à Presbyteris, reſpondetur.* Tertio *de ordinatione Presbyterorum quam aiunt ab Epiſcopo ſolo fieri. Archidiaconi ad Presbyteratum promovendos examinant, nec quemquam ordinat Epiſcopus, niſi eum à ſe examinatum & officio dignum diſertè teſtentur. In Presbyterorum Ordinatione manus imponunt una cum Epiſcopo Presbyteri. Reſpondetur Articulo* Quarto, *de Juriſdictione in* Foro Interno, *quam ſibi ſolis vendicare Epiſcopos dicunt. Nullum jus in eo non ſuum ſibi vendicant; & quod ſibi pariter non vendicarint Fratrum* Bohemorum *Antiſtites. Non niſi à Patronis aut Eccleſiis præſentatos Miniſtros Paro-*

chiis

chiis præficiunt, nisi paucis quibusdam quæ ad ipsorum Collationem pertinent. *Respondetur* Quinto & Sexto, *articulis de Jurisdictione Episcoporum in* Foro Externo, *itemque de corruptione Ministrorum Curiarum Ecclesiasticarum. Non negatur quin esse possint defectus & abusus in Disciplinæ Ecclesiasticæ administrandæ ratione. Non per Episcopos, sed per ipsos Adversarios hactenus stetit, quominus iis malis adhibita sint apta remedia. Rectè dicitur Jurisdictio in Foro Externo solis Episcopis competere, licet eam quoque exerceant multi ex Ordine Presbyterorum.* Timotheo *soli, Solique* Tito *ab Apostolo commissa est. Eam soli exercuerunt Episcopi in vetere Ecclesia. Ab Episcopis ad Metrapolitanum datur provocatio; à quo ad Curiam Delegatorum defertur judicium causæ. Quot & quibusnam constet Judicibus. Nihil ferè ullius momenti Episcoporum arbitrio permittitur. Juxta leges in Comitiis Regni latas & constitutiones Ecclesiasticas, quibus assensum suum præbuit universus Clerus, tenentur sententias ferre. Quantum in Foro Externo Presbyteris permittatur. Episcoporum Cancellarii qui; quandonam & quas ab causas eorum operâ Episcopis uti lege concessum est. Causas tantùm audiunt & censuris Ecclesiasticis castigandos juxta legum præscriptum decernunt. Excommunicat vero solus Episcopus, & à Presbytero pronunciatur Excommunicationis sententia; à qua solus etiam Episcopus absolvit. Seniores laici, ubi eorum institutum obtinet, potius quam ipsi Verbi Ministri, excommunicare dicendi sunt. Ratio Consistorii Ecclesiæ* Genevensis. *Jus Excommunicandi in terris Sereniss.* ELECTORIS SAXONICI *penes Consistorium est. Consistoriales partim Jurisperiti, partim Theologi. Nullam Excommunicationis Disciplinam exercet Clerus apud* Tigurinos. *Respondetur institutæ adversus Episcopos nostros Accusationis*, Articulo Septimo; *ut & ad ea quæ ex* Hoppero Latimeroque *allegantur de Episcoporum jurisdictione temporali. Non minus honoris Ecclesiæ* Tigurinæ *Antistiti,*

 quam

quam primatibus nostris, in privatis publicisque consessibus tribuitur. Ecclesiæ Suecicæ *Episcopi similem cum nostris honoris locum in Regni Comitiis obtinent. Non debent publica Reipublicæ munera repudiare, siquando ad ea exequenda à Principe ultrò vocentur. Ambire non debent. Doctori* Williams *Ecclesiæ* VVestmonasteriensis *Decano tantùm, non Episcopo, Magni Sigilli Custodia à* Jacobo *Rege commissa. E Republica est, ut Episcopi habeant jus suffragii in Regni Comitiis. Interest etiam Ecclesiæ, idque postulat æquitas. Interest utriusque Ecclesiæ & Reipublicæ, Regiæque Majestatis, ut in Concilium Sanctius admittantur quidam ex Ordine Episcoporum. Pauci admodum in illud admitti solent. Qui sint Eirenarchæ & quod eorum Officium in Anglia. Ex omni Subditorum genere eliguntur magno numero in quolibet Comitatu. Comitiis intersunt cum jure Suffragii in Regno* Sueciæ *Inferioris Cleri delegati. Antistites & Canonici Ecclesiæ* Tigurìnæ *in Concilium Vocantur à Magistratu, cum de negotiis ad Rempublicam spectantibus deliberandum est.* Scotorum *Ministri jus dicendæ sententiæ in Comitiis, Synodi Decreto vendicarunt. Politicis conventibus interfuerunt Ecclesiarum Reformatarum* Galliæ *Ministri. Eirenarchæ officio functi sunt multi ex Presbyterianorum Ministris.* Baxterus *notatur.* Amyraldus *censet posse politicum splendorem ad Episcoporum munus Regum voluntate additum, retineri. Id probatur exemplo R.* Georgii Anhaltini. *Respondetur ad ea quæ ex* Bacono *dicuntur esse desumpta, Futilitas eorum, quæ ex D.* Francisci Knollii *literis adversus Ecclesiasticas Curias allegant Adversarii, quorum hic invincibilis pertinacia ostenditur.* SUPREMÆ COMMISSIONIS *Curia ab* Elizabetha *instituta. Ob quas causas & in quos usus.* Cowellus *laudatur.* Georgius Hornius *notatur.* JURAMENTUM EX OFFICIO, *quod vocant, propugnarunt scriptis publicis* Lancelotus Andreas & Richardus Cosenus;

nus; *apud omnes gentes in usu*; *jure Canonico & Civili, ut & nostro municipali approbatum, Divino autem imperatum. A* Calvino *in Consistorio* Genevensi *delatum.* Juramentum Obedientiæ Canonicæ *explicatur & vindicatur.* Pag. 399, 400, 401, 402, 403.

Cap. XXXII.

De Reverendorum Ecclesiæ Anglicanæ Episcoporum titulis seu honorificis compellationibus, Opibus, Famulis, Cultu, Vivendi Agendique ratione, ob quæ Fastus & affectatæ Pompæ Secularis insimulantur. Itemque de Verbi Divini Prædicatione quam aiunt Adversarii in Ecclesiâ Anglicanâ æquo rariorem esse Episcoporum culpâ & malo Exemplo.

Adversariorum objectiones contra Reverendorum Ecclesiæ Anglicanæ *Episcoporum Titulos, Opes, Opum usum, agendi vivendique rationem. Itemque circa Verbi Divini Prædicationis neglectum. Quinam in* Anglia *præter* Duces, Marchiones, Comites, *& alios* Magnates, *& quam ob causam, honoris ergò, Domini, vernaculè,* My Lords, *vocentur. Unde liquet rationi consentaneum esse eâdem ut compellatione decorentur Reverendi Episcopi, ne minoris apud nos Religio, quam Jurisprudentia ac Mercatura esse videatur.* Domini *salutabantur Prophetæ ab* Israëlitis. *Nulla prorsus honoris vocabula R. Episcopis nostris tribuuntur, quæ veteris Ecclesiæ Episcopis ab ipsis Provincialibus & Oecumenicis Conciliis & ab Optimo quoq; tributa non sint, florentibus Ecclesiæ rebus. Schismaticorum titulos illos Episcopis denegantium, aut invidentium culpa major quam Episcoporum qui iis patiuntur se ornari, aut aliorum quorumcunque, eos ipsis deferentium. Patres in Christo Reverendi dicuntur, & Archiepiscopi Reverendissimi; quod jure reprehendi nequit. Patres dicti olim Prophetæ, Apostoli, & Veteres Episcopi. Aliarum*

rum Ecclesiarum perinde atque Romanæ Episcopi, Papæ olim dicti. Calvinus, Martyr, Beza, Sadeel *& totus Ecclesiæ* Genevensis *Pastorum cœtus*, Danæus, Gualterus, Petrus Molineus *Archiepiscopum* Cantuariensem *& alios Episcopos* Anglicanos *iisdem ornarunt titulis quibus eos solemus compellare. Nihil faciunt contra Domini aut Patris titulos verba S.* Petri 1 Ep. 5. 23. *aut Christi S.* Matth. 23. 9. *laudantur* Beza *&* Calvinus *ea explicantes. Quid sit* φιλοξενία *quæ Episcopis injungitur. Quorumdam in Christi Ministros iniqua morositas, qui eos tantum non ostiatim cibum emendicare vellent, quo proprius accedant ad Apostolicam perfectionem. Quantum iniquâ illâ suâ morositate Ecclesiæ Dei nocuerint tristi experientia didicerunt* Gallorum *Reformatorum Ecclesiæ. Earum status deplorandus ob tenuissimum Ministrorum stipendium. Dei Optimi Maximi Paterna Cura imputandum, quod in iis Ecclesiis semper floruerint Viri ingenio & eruditione excellentes.* E*orum plerisque non fuit res angusta Domi. Multi eorum ex antiquis opulentis & nobilibus familiis oriundi. Non desunt in iis* Ecclesiis, *pro earum modulo, virtutis & eruditionis præmia. Etiamsi iis aliisq; ejusmodi præmiis opus non esset ad excitanda, fovenda, juvandaq; Sacrarum literarum studia, attamen æquissimum esset, ut viris ingenio ac industriâ præditis qui se totos Dei gloriæ & hominum saluti promovendis consecrant, à Principibus & Rebuspublicis condigna merces, unde sibi & familiis prospiciant, constituatur. Quæ merces certa esse debet, non à privatorum arbitrio pendens; & ita Deo sacra censeri, ut in alienos usus transferri sine Sacrilegio nequeat. Id apud omnes gentes observatum; maximè vero apud populum Dei omni ævo; ante legem, sub lege, sub Evangelio.* Abrahamus *Decimas omnium divisit* Melchisedeco *Sacerdoti Dei Altissimi. Quàm liberaliter, ipso æquissimo Deo jubente, Sacrorum Ministris sub lege prospectum sit. Laudatur* Isaacus Basirius. Philo Judæus *de præmiis Sacerdotum disserens. Refutatur*

titur eorum error, qui negant valere consequentiam à Judæorum *moribus circa Ministrorum præmia, ad Christianorum obligationem. Debent Antistitum aliorumque Christi Ministrorum præmia pro ratione loci & Reipublicæ statûs, in qua vivitur, majora, minorave constitui. Id ab Ecclesiâ Christianâ observatum ipsorum Apostolorum tempore ac deinceps, etiam antequam Imperatores Christo nomen dedissent.* Constantini *in Ecclesias & earum Episcopos aliosq; Ministros pia Munificentia. Eam imitati sunt alii Principes. Sacrilegas bonorum Ecclesiasticorum deprædationes avorum nostrorum memoriâ in Principum Reformatorum ditionibus factas vehementer reprehendunt* Zuickius, Lutherus, *Generalis Synodus* Petricoviensis; Confessionis Helveticæ *socii*; Knoxus *& cæteri Ecclesiæ* Scoticanæ *Ministri*; Calvinus; *Ecclesiarum Reformatarum* Galliæ *Synodus Nationalis*, Figeacensis. *Sacrilega illa lues in* Anglia *quoque grassata est, maximè* Henrico VIII. *et* Edvardo VI. *regnantibus; nec ab ea Serenissimæ* Elizabethæ *Regnum prorsus fuit immune. Unde Episcoporum & aliorum Christi Ministrorum opes multùm imminutæ. Regii* Windsoriensis *Sacelli Decanus & Canonici Ecclesiarum quæ ipsorum juris sunt, Parochis liberaliter prospexerunt, licet cum memorabili fortunarum suarum & Successorum dispendio. Idem factum à Reverendis Episcopis aliisque Canonicorum Collegiis; ex qua Ecclesiis suis restituti sunt. Tenues admodum sunt multorum Episcoporum* Anglicanorum *opes: plerorumque mediocres; nullorum nimiæ. Ipsorum Archiepiscoporum proventus adeo ampli non sunt, ut non multi equites et Generosi passim in hac gente duplo amplioribus gaudeant. Prædiorum Ecclesiasticorum* Elocandorum *ratio. Edictum* ELIZABETHÆ *ad tollendos Superiorum temporum in elocandi Ecclesiarum prædiis abusus in gratiam Successorum.* JACOBI *Edictum in eundem finem.* Sorberii *hallucinatio qui quod Pontificiorum vitium fuit,*

Refor-

Reformatis Episcopis tribuit. In quos usus opes suas impendant R. Ecclesiæ Anglicanæ E*piscopi. Quam immeritò pompæ secularis fastusque accusentur. Refutantur qui eos canum Catervas alere & venationibus oblectari affirmare non erubescunt : Ridiculæ hujus calumniæ testis omni exceptione major* VALENTINUS CONRARTUS. *Episcoporum cultus communis & Ornatus Episcopalis simplex & modestus. Ædes incolunt à Prædecessoribus extructas, eas sartas tectas servare tenentur. A Rebellibus eversas Episcopatuum suorum sedes denuò propriis sumptibus instaurarunt R. R.* Cosinus Dunelmensis & Morleius Wintoniensis *Episcopus. Episcoporum famuli pauci ; eorum apparatus secularis & ad pompam comparatus, nullus. Mensæ, pro more gentis, frugales. Hospitalitatem exercere tenentur. Sacella nitidi splendidique operis extruxerunt R.* Cosinus Dunelmensis, & *R.* Wrenus Eliensis. *Ingentem pecuniæ summam ad redimendos ex Turcarum manibus captivos erogarunt ;* Gerontotrophia & Cherotrophia *multi extruxerunt, & dotarunt ; Scholas novas erexerunt ; annuas pensiones alendis studiosis crearunt, ex quo Ecclesiis suis restituti sunt, præ cæteris viri admodum Reverendi* Cosinus Dunelmensis, Brianus Duppa Wintoniensis, VVarnerus Roffensis. Basilicam Oxoniæ *extruxit ad promotiones Academicas R.* SHELDONUS Cantuariensis, & *Academiam instructissimâ Typographiâ, auxit. Reverendissimi* Laudi *pia beneficentia in usus publicos. Rev. Episcoporum cum cæteris Christi Ministris modesta agendi ratio. Apologistæ fabulæ et impostura circa Verbi Divini prædicationem quam dicit ab Episcopis contemptam & interdictam, Verbi prædicationi quantum per vires & curas* Episcopales *licet, ipsi Episcopi incumbunt. Eorum conciones elucubratissimæ typis editæ omnium manibus teruntur. Nulla est Ecclesia in Anglia, in qua singulis diebus Dominicis non audiatur verbi Divini expositio. Usus Homiliarum in Ecclesia Anglicana. Exercitatio-*

nes

nes Catechiticæ singulis Dominicis tempore pomeridiano. Gallicæ *Puritanorum Apologiæ mendacia circa verbi Prædicationem in Sacello Regio & Ecclesiis Cathedralibus. In iis habentur conciones quolibet die festo. Conciones pœnitentiales tempore Quadragesimæ in Sacello Regio.* Geo. Hornii & Newcomani *de abolitis ab Episcopis Anglicanis concionibus, impostura. Perstringitur nobilissimus* Fauklandiæ *Vicecomes. Qui sint in Ecclesia Anglicana* Prælectores *quos vocant. Quo tempore introducti, & quo fine. Ex verbi Divini Prædicatoribus, tubæ seditionis & belli Præcones facti. Verbi Divini viva voce Prædicatio in omnibus* Ecclesiis *interdicta Regnante* Edv. VI. *& quam ob causam. Prælectorum ordo non abolitus sub* Carolo I. *Sed seditiosiores tantum silere jussi. Ultima* Gallorum *Reformatorum Synodus Nationalis Juliodunensis* Ecclesias *hortata est ne frequentioribus concionibus Pastores suos onerarent. Seditiosæ Schismaticorum preces, non aliæ, prohibitæ, & omnes concionatores ad Formulam legitimam usurpandam adstricti.* Pag. 437, 438, 439, 440, 441.

Cap. XXXIII.

Utris magis faveat *Calvinus*, Episcopis Ecclesiæque Anglicanæ, an verò Presbyterianis Schismaticis, & ab utris *Calvini* famæ melius consultum sit?

Apologistæ & cæteri Presbyteriani profitentur se Calvinum *ut Magistrum suspicere; in cujus manes impotenter debacchari Hierarchicos affirmant. Quæ de* Calvino *scripsit* Durellus *in Tractatu Anglico, Latinè hic exhibentur. Ex quibus liquet* Calvinum *non modò Episcoporum Ordini adversarium nunquam fuisse, sed ipsum Episcopatum à Deo profectum, atque Episcopos Orthodoxos summa reverentia atque obedientia observandos statuisse; Exploditur Apologistæ distinctio, quâ ea quæ ex* Calvino *pro Episcopatu producta sunt, eludi posse putat.*

tat. Respondetur ad ea quæ ex Calvino *allegat Apologista contra Episcoporum προστασίαν. Antitheses tredecim inter* Calvini *et* Presbyterianorum *mores ac doctrinam.* 1. Calvinus Facilem se semper & flexibilem in Ceremoniis præbuit. 2. A nulla re magis abhorruit, quam a Schismate. 3. Certam statamque Precum publicarum Formulam, Sacramentorumque administrationem in Ecclesia esse voluit, à qua Pastoribus in functione sua discedere non liceat. 4. Clinicos & de vita periclitantes non esse Sacræ Eucharistiæ communicatione privandos omnino censet. 5. Confirmationis ritum probat & ubique vestitutum cupit. 6. Dies Festos probavit & qui eos prorsus tollendos clamitabant, compescuit. 7. Mœchorum & Excommunicatorum liberos Sacro Baptismate ob parentum vitium haud privandos esse statuit. 8. Nullum Ecclesiæ Anglicanæ ritum usquam damnavit. 9. Eos ritus maximè probat, qui Symbola sunt & incitamenta officii Deo debiti. 10. Neminem non auditum & nisi legitimo judicio damnatum à cœna Dominica repellendum censet. 11. Frequentem Sacræ Eucharistiæ usum passim urget. 12. Sponsores Baptismales retinuit & probavit. 13. Jusjurandum Reo ab Ecclesiasticis Judicibus ex Officio deferendum censuit. *Siquid asperius in* Calvinum *à nostris dictum occurrat, id Presbyterianis imputandum, qui eum totum suum esse impudenter affirmant, & talem fingunt ut odio dignum reddant. Eamdem injuriam faciunt Reformatis Fratrum Transmarinorum Ecclesiis. Idem peccant tum in* Calvinum *tum in Ecclesias Reformatas nonnulli Transmarini Scriptores.* Georgius Hornius *notatur. Quâ in re mirum quantum Pontificiis gratificentur. Sed revera* Calvinum *haud curant Presbyteriani, quippe quem à* Ludovico Molinæo *haud semel impetitum nunquam vindicarunt. Quo loco habitus sit à* Cranmero, Whitgifto *Cantuariensibus ArchiEpiscopis,* Bilsono *Wintoniensi,* Hadriano Saraviâ *Cantu-*

ariensi;

ariensi Præbendario, Richardo Hookero, *acerrimis doctissimisque Hierarchiæ Anglicanæ adversus Puritanos Assertoribus.* Pag. 477, 478.

Cap. XXXIV.

Quid sentiant Ecclesiæ Christi Reformatæ extra Angliam de Episcopatu in genere, & in specie de Ecclesiæ Anglicanæ Episcopatu; Et pro quibus sententiam dicturæ sint si Judices sedeant in Concilio inter Ecclesiam Anglicanam & Presbyterianos Schismaticos.

Quid author sibi proposuerit in Tractatu, quem Anglico *sermone edidit, de cæterarum Ecclesiarum Reformatarum consensu cum* Anglicana. *Concilium in eo ex omnium Reformatorum Delegatis cogi fingitur ad Decidendas Controversias quibus vexatur Ecclesia* Anglicana. *Eæ omnes controversiæ ad Quatuor Capita revocantur. Secundam dimidiâ parte truncatam exhibuit Apologista, & statum Quæstionis de Episcopatu immutavit. Pro Ecclesia* Anglicana *sententiam dicat, & Presbyterianos Schismaticos esse pronunciet necesse est ejusmodi Concilium, aut à recepto & usu quotidiano confirmatâ omnium Ecclesiarum Reformatarum doctrinâ recedat. Verus controversiæ de Episcopatu inter Ecclesiam* Anglicanam *& Presbyterianos Schismaticos, status. Unde* Lutherus, Melancthon *aliique inducti ut Episcoporum Potestatem, in Presbyteros transferri posse assererent. Id tamen fieri non debere nisi cogente necessitate professi sunt. Nonnulli eorum jure Divino Episcopatum niti nobiscum, cum deferbuit disputationis æstus, nobiscum agnoscunt. Ecclesiarum Reformatarum Regimen varium. Paucæ sunt si cum cæteris conferantur, in quibus omnimoda Pastorum æqualitas obtineat,* Gallicæ, *scilicet,* Belgicæ *&* Genevensis *& aliæ nonnullæ istarum quasi Appendices. Re &*

nomine Episcopi Ecclesias Reformatas regunt in Regnis Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ, Sueciæ, Daniæ, Norvegiæ, Hungariæ, Transylvaniæ. *Eas quoque rexerunt cum Episcopali Potestate Antistites,* Seniores *dicti, in Regno* Bohemiæ, *antequam Reformati inde expellerentur. Ab iisdem Fratrum* Bohemorum *Ecclesiæ gubernatæ in dispertione per* Moraviam *&* Poloniam. *In* Germania, Prussia, Curlandia, Helvetia *Ecclesiæ Reformatæ reguntur à* Superintendentibus, Antistitibus, Præpositis, Decanis. *Sunt etiam apud quasdam earum Ecclesiarum* Superintendentes Generales *&* Generalissimi. *Apologistæ Exceptiones tres contra Argumentum ex earum Ecclesiarum regimine ductum, quæ ab Episcopis & Superintendentibus gubernantur. Episcopus qualis ab Apologista describitur, Chimera est. Episcopi aliarum Ecclesiarum iidem cum Episcopis Anglicanis, in iis in quibus posita est Potestas Episcopalis.* Halbronerus, Heerbrandus, Humnius, Brochmandus, *Theologi Lutherani Episcopatum jure Divino niti docent. Laudatur* Schookius *à quo* Saravia *adversus* Brochmandum *defenditur. Fratrum* Bohemorum *Episcopi ab* Anglicanis *nulla in re quæ sit Episcopatui essentialis, differunt. Qui in iis Ecclesiis* Consenieres *dicuntur, sunt quasi Episcoporum Suffraganei. Describitur Episcopus Fratrum* Bohemorum, *juxta eorum Disciplinam: Eorum, quemadmodum Episcoporum & Superintendentium aliarum Ecclesiarum Reformatarum, quam inferiorum Ecclesiæ Ministrorum stipendia majora. Laudatur* Duræus. *A* Waldensium *Episcopis, qui originem suam ad ipsos Apostolos referebant, Ordinati primi Fratrum* Bohemorum *Episcopi. Qui sint Ecclesiarum Hungaricarum* Seniores. *Explicatur locus quem ex* Act. XX. *Adversarii afferre solent pro Pastorum æqualitate. Excutiuntur quæ habet Apologista de Superattendente in Ecclesiis* Polonicis, *ex Xansensis Synodi constitutionibus. De* Germanicarum *Ecclesiarum Superintendentibus. Ex*

Zanchio

Zanchio & Carpzovio *eorum munus idem esse quod Episcoporum, probatur.* Lutherus, Melancthon, Georgius Anhaltinus & *cæteri Augustanæ Confessionis Socii Concessere ut Episcopi Potestatem suam retinerent, modo Reformationem amplecterentur.* Bucerus *varios ab Apostolis in Ecclesia Ministrorum Ordines constitutos docet:* Oecolampadii, Bullingeri, Zanchii *de variis Ministrorum Ordinibus in Ecclesia, judicium.* Juelli & Martyris *de re eadem judicium; Itemque* Amyraldi & Capelli. Capellus *retractavit in Thesibus de Liturgiis quæ ex aliorum relatu in Thesibus de vario Ecclesiarum Reformatarum regimine ante triennium scripserat.* Petrus Molinæus *pro R. Ecclesiæ* Anglicanæ *Episcopis adversus Puritanos. Apologistæ audacia in corrumpendis iis quæ à* Molinæo *in eam sententiam scripta sunt. Vindicatur adversus Apologistæ exceptiones* Durelli *Narratio de* Johanne Antonio *Trecensi Episcopo, quæ habetur in Tractatu* Anglicano. *Laudatur* Petrus du Bosc *Cadomensis.* Drelincurtius *Parisiensis,* Langlæus, Dallæus *negant à se & Ecclesiis* Galliæ *Reformatis aut Episcopatum in genere, aut in specie Episcopatum Anglicanum damnari. Neque à Reformati Belgii Ecclesiis damnatur. Refutantur Apologistæ exceptiones. Compendio exhibentur quæ* Durellus *de Republica Ecclesiaque* Genevensi *annotavit in Tractatu* Anglico. *Ex quibus liquidò constat Reformatos* Genevenses *neque Perduellionis olim reos extitisse erga* Genevensem *Episcopum; neque Episcoporum Ordini esse iniquiores.* Beza, Sadeel, Danæus, Jacobus Lectius, Diodatus, Spanhemius, *Genevenses Professores, Ecclesiæ* Anglicanæ *Episcopos reverentur.* Schoockii *judicium de Concionatoribus Puritanis non est temerarium. Elogium à* Bacono *Ecclesiæ* Anglicanæ *Theologis datum, Puritanis Schismaticis tribuit Apologista.* Sculteti *sententia de Jure Divino Episcopatus.* Pag. 493, 494, 495, 496.

LECTORI.

LECTORI.

Cum vacarent sequentes paginæ, visum est, Lector, Præfatoriam Apologistæ *Epistolam hic integram tibi exhibere, specimen scilicet illius modestiæ & candoris;*

JOHANNI DURELLO

Cœtus Gallici in Sacello Sabaudico, Anglicano Pastori, S. D. I. E.

Cum librum tuum primò legerem, (Reverende *Durelle*) nihil minus cogitabam, quàm in eo refutando vel unicam horulam collocare. Speravi enim futurum, ut calumniarum tuarum portentis sua absurditas fidem omnem adimeret. Ast ubi comperi molem illam mendaciorum à *Stradlinio*, & *Molinæo* laudari, & suspicio esset te ex silentio nostro animum & spiritus sumere, manum calamo admovi, imploratâ tamen prius divinâ gratiâ, nequid mihi inter scribendum excidat, quod à Christianâ moderatione abhorreat. Neque enim *pro Christo* bellum gererem, nisi *secundum Christum* qui mitis est, & pacatus, dimicarem. Verùm cùm in præstantissimos Dei servos prælicenter arietes, & *Presbyterianorum* tergis petulanter inequites, non est quod ægrè feras si mordaciori veritate aures tibi quandoque radantur. Duplicem cum errantibus, agendi viam prævivit, & præscripsit *Apostolus Judas*, Epistolæ suæ versibus 22, 23. Καὶ οὓς μὲν ἐλεεῖτε διακρινόμενοι, οὓς δὲ ἐν φόβῳ σώζετε, ἐκ πυρὸς ἁρπάζοντες. Leniter tractandi sunt, qui re diu & diligenter apud se expensâ, ex quâdam animi infirmitate errant & decipiuntur. Siqui id unum agunt, ut ex aliorum insectatione famam aliquam sibi concilient, eos nunquam in viam revocaveris, nisi ἀποτόμως reprehendas. In posteriori hac peccantium classe te collocandum esse, utinam quælibet tua pagina non ita nimis attestaretur. In Epilogo vociferaris, "Presbyterianos, ex omnibus qui Reformatam Religionem profitentur, sectam esse singularem, cui similis sub sole non existit. Dicis etiam. Si in ullâ aliâ essent Ecclesiâ, necessum esse, modò principiis suis stare velint, ut sint Non-Conformes, & evertant omnem bonum ordinem illic constitutum. Quis verò vel inter tuos paulò cordatior ferat tot Theologos á te damnari? á te (inquam) qui Controversiarum nostrarum statum, vel prorsus dissimulas, vel penitus ignoras. Etiam *lippis & tonsoribus* notum est, exigi ab iis qui per classem Presbyterorum ordinati sunt, "Ut demùo ordinentur Presbyteri per impositionem manuum, & quidem ista verborum formulâ, Recipite Spiritum Sanctum; quorum peccata remiseritis, &c. Imò ut creentur Diaconi, & palàm profiteantur se à Spiritu Sancto moveri ad illum gradum Diaconatus suscipiendum, in quo etiam tenentur per integrum annum permanere, nisi Episcopo ob graves causas aliter videatur; At profectò si Romanæ Ecclesiæ Legati (toto Concilio Chalcedone congregato approbante) rectè pronunciarunt Ἱεροσυλία ἐστὶ Ἐπίσκοπον εἰς πρεσβυτέρου καθάγειν βαθμόν, majus erit Sacrilegium, ut Presbyterio per multos an-

nos

nos probè defunctus ad Diaconatum detrudatur. Tuum erat fratribus tuis eximere hunc scrupulum, quod adeò non facis, ut per summam calumniam fingas pag. 201. Quæstiones hodiè in Angliâ agitatas ad quatuor capita posse revocari, " 1. An Episcopatus sit licitum Regimen in Ecclesiâ Christianâ? 2. An præ- " scriptæ precationum formulæ usurpari possint? 3. An sit penes quamlibet par- " ticularem Ecclesiam Nationalem leges ferre de externis circumstantiis, ad cul- " tum Dei pertinentibus? Et an obligentur privati ad præstandam obedientiam " talibus legibus? 4: An debeat esse Uniformitas in particularibus cœtibus cujus- " libet Ecclesiæ Nationalis? At vide, quæso, quo te transversum rapuerit vitili- tigandi impetus; Serenissima Regis Majestas, *in declaratione de rebus Ecclesiasticis*, agnoscit eos quos tu lancinas, *non aversari Episcopatum, Præscriptas precationum formulas non damnare.* Et patet utrumque ex Chartulis propositionum quas Regi obtulerunt Theologi, quos in consilium adhibuit. Neque unquam incidi in Presbyterianum, qui quæstionibus tuis *tertiæ* & *quartæ*, prout à te proponuntur, non responderet affirmativè. Adeo non erat cur de Cœlo descenderent Christi Heroes ad hæc dubia decidenda. *Potest & debet Ecclesia leges ferre de circumstantiis quibusdam externis; non potest nec debet instituere ritus Symbolicos & Doctrinales.* Ii enim non sunt circumstantiæ, sed partes cultus externi. Potest Ecclesia Uniformitatem urgere, *sed in iis, quæ fundantur in lege divinâ, vel naturali, vel positivâ; non in iis, quæ vel charitati vel libertati Christianæ contrariantur, sed nec in iis, quæ nullam adferunt utilitatem.* Alioqui quis erit præceptorum Ecclesiasticorum modus? Dicam planè, & ad captum tyronum Logicorum. Potest Ecclesia determinare de *specie*, ubi Deus determinavit de *genere*; de *individuo* ubi ille de *specie*. Hosce limites si transcendat, nimiùm sibi arrogat. Deus præcepit ut fiat applicatio aquæ baptismalis ad baptizatum. Est in manu Ecclesiæ *ter* aut *semel* hanc applicationem facere. Proba Deum ullibi præcepisse, ut Sacerdos induatur *veste Symbolicâ*. Ultrò largiemur penes Ecclesiam esse, statuere, de *colore Sympmá*. At nullibi probasti Deum præcepisse, ut *veste mysticâ & doctrinali* indutus. Minister sacra faciat. Videris valdè desudasse in colligendis testimoniis, quibus probes Transmarinos vel laudare, vel saltem non damnare Hierarchiam Anglicanam. Quam infeliciter lubet tibi uno dilemmate ostendere; " Vel credunt Pastores Transmarini Ordinationem fieri posse validè " absque Episcopo κατ' ἐξοχὴν sic dicto, vel non credunt. Si credunt, Ergo non " arrident iis Episcopi, qui omnem tum jurisdictionem tum ordinis potestatem " sibi solis vendicant, ὅσα ἔδει δεῖξαι: si non credant, quid est ergo, quod non " fateantur, temerè eos hactenus & absque omni vocatione sese in munus Sacer- " dotale ingessisse? Quid est quod non advolent Angliam nostram, ut per impo- " sitionem manuum Præsulum recipiant Spiritum Sanctum?

In approbatione *Stradlian*â, quam libro tuo præfixisti, dicitur *Conformitatem, & consensum cæterarum Ecclesiarum Reformatarum cum nostrâ Anglicanâ plenissimè te demonstrasse.* Ego verò pernego te hoc vel præstitisse, vel aggressum esse; sed nec in æternum aggredieris, nisi non expendas.

Quid valeant humeri, quid ferre recusent.

Nam ad probandum consensum nostræ Anglicanæ cum aliis Ecclesiis Reformatis, probari debet ab aliis Ecclesiis.

1. Lege caveri ut reordinentur ii qui à Presbyteris ordinati sunt.

2. Formulas precatorias ita rigidè imponi ut non liceat Pastori proprium χάρισμα τῆς εὐχῆς exercere, (nam in Ecclesiâ Anglicanâ hoc non licet, vel saltem professi sunt Hierarchici in grandi certamine pag. 19 se summâ curâ id acturos ne non liceat)

3. Festa.

3. Festa Sanctorum dici Dominicæ æquari.

4. Scripta Apocrypha publicè legi cum exclusione plurium capitulorum Canonicorum.

5. Lineam vestem præcipi tanquam medium aut motivum cultûs.

6. *Gloriam Patris* octies recitari in eodem officio, & quidem assurgente toto cœtu.

7. Evangeliis quàm Epistolis majorem exhiberi reverentiam.

8. Genuflecti ad omnem recitationem nominis Jesu.

9. Sacram Cœnam iis omnibus denegari, qui eam flexis genibus nolunt participare.

10. Susceptores adhiberi in Baptismo cum exclusione Parentum.

11. Signum Crucis usurpari tanquàm signum Sacramentale.

12. Sacramento Baptismi adscribi vim infantum regenerativam, & necessariò salvificam.

13. Editionem Psalmorum corruptam præferri correctiori & emendatiori.

14. Episcopos eligi sine consensu Cleri, omnemque cum *Jurisdictionis*, tum *Ordinis*, potestatem iis solis adjudicari, idque Jure Divino.

15. Episcopis permitti Jurisdictionem temporalem, Laicis verò Cancellariis deputari Spiritualem.

16. Præcedentiam tribui Archiepiscopis supra omnes Duces Regni.

17. Beneficiarium non obligari ad Residentiam.

18. Sacris initiato plura beneficia Ecclesiastica conferri, curata quidem intra distantiam 36. milliarium, non curata absque ullâ ratione distantiæ.

19. Nihil à Ministris aliud requiri, quàm ut declarationem fidei Latino sermone reddere possint, & eandem aliquot Scripturæ testimoniis corroborare.

20 Divelli Sacramenta quæ conjunxit Christus, ita ut Baptismum administrare ei liceat, cui fas non est Cœnam consecrare.

Hæc omnia si tibi videare posse demonstrare, *summè profectò te aut ignorantem, aut impudentem esse oportet.*

Sed hæc clarius edisseruntur in ipsâmet Apologiâ, quam ideo Latinam prodire volui, ut constet etiam exteris, "per Presbyterianorum latera omnes Ecclesias "Reformatas confodi, & eos, qui sub odioso Novatorum titulo vapulant, ne latum quidem unguem discedere à veterum Protestantium doctrinâ. Hoc si obtinuero, gaudebo laboris mei successu: sin minùs, solabor me boni propositi conscientiâ. Clamabis tu, hac ratione refricari vulnus dissidii, & *Matris meæ* faciem deturpari. Verùm ego didici *pacifici Theologi* nomen perdere, ne *conscientiam* perdam. Expectant me carceres & exilia; ast hisce non commoveor, imò nec vitam meam mihi charam duco, si afflictæ innocentiæ aliquâ ex parte patrocinium præstare possim. Deum Optimum Maximum veneror, ut velit acceptilare quod suum, ignoscere quod meum est. Idem Deus faxit, ut tu Durelle, diei in quo reddenda est ratio *περὶ πάντων σκληρῶν* quæ vel effutisti, vel conscribillasti, recorderis, & resipiscas.

Vale.

CAPUT

CAPUT I.

Rerum à Presbyterianis in Magnâ Britannia *Carolo* I. & *Carolo* II. Regnantibus geſtarum Narratio compendioſa. Ex qua Manifeſtum fit, quàm imprudenter Presbyterianorum Apologiſta in Reſponſione *Latina* ad Tractatum *Anglicum*, *De cæterum Eccleſiarum Reformatarum Conſenſu cum Anglicana*, non modo læſæ olim Majeſtatis crimen ab iis amoliri, ſed in Hierarchicos quos vocat, & ſimul ipſum etiam Regicidium transferre conatus ſit, non ignarus rerum memorabilium, quæ ex motuum nuperorum Hiſtoria, ſequente capite exhibentur.

Ipſi Presbyteriani *intempeſtivis ſuis querelis atq; iniquis accuſationibus, in eorum placita moreſq; inquirendi, invitis occaſionem præbuerunt. Quæ hic in eos ſcribuntur, non omnes ex æquo, ſed cerebroſos tantùm, atq; Eccleſiæ Anglicanæ implacabiles hoſtes feriunt. Perduelles in duos Presbyterianorum & Independentium factiones ſciſſi. Lis inter* Anglos *&* Scotos *Perduelles, utris Rex captivus cederet: Eam dirimit ingens pecuniæ ſumma. Quæ partes* Presbyterianis, *quæ* Independentibus *in ipſo Regicidio aſſignari poſſint. Ut ſe* Presbyteriani *geſſerint erga debellatum Regem, & quas pacis conditiones ei obtulerint. An in Regis*

 vitam

vitam conspirâsse dici queant. Qualem in Ecclesiasticis potestatem sibi arrogent eorum Ministri. Quantum in suos Reges Subditis licere doceant. Lanceloti Wintoniensis, Vaughani Londinensis, Jacobi *Regis de sui temporis* Puritanis *testimonia hodiernos nihil juvant. Neque iis magis favent Sereniss.* CAROLI II. *literæ* Bredæ *datæ. Quid contulerint* Presbyteriani *in Serenissimo Rege restituendo. De Regis in omnes cùm Personas tum Causas Ecclesiasticas ac civiles Primatu, quem publicè agnoscere* Presbyteriani *noluerunt. Nihil adversus ejusmodi Primatum apud* Calvinū. *Michaëlis Gasparis* Lundorpii ab Apologistâ citati *ignorantia crassa & putida mendacia. Perstringitur* Sorberius. *Laudatur* Spratus. *Variorum Ministrorum* Presbyterianorum *dicta factaq; quibus* CAROLI I. *Parricidium suasisse, maturâsse, approbâsseq; videntur.*

HAud inauspicatiùs sanè quidem Apologista pro *Presbyterianis* suis exordiri potuit, quam ab amolitione perduellionis criminis quo toto spectante horrenteq; terrarum orbe, atrocissimo bello Regiæ Majestati illato, perq; annos complures feroci pertinaciâ continuato, fœdè sese polluerunt. Attamen *læsam Majestatem falsò sibi objici* queruntur, nec patiuntur viri boni scilicet, & de Rege optimè meriti, *ut animi ad Seditionem propensi* à quoquam postulentur; Imo sanctissimè asseverant Reverendum D. D. *Morleum Wintoniensem* Episcopum dignissimum, atque Illustrissimorum Cyaneæ Periscelidis Commilitonum Prælatum amplissimum, & cum eo *Prælaticos* (quos vocant) hoc est, Protestantes Anglicanos, "Omnes inverecundè calumniari, qui hoc esse *Presbyterianorum* placitum scribunt; *Presbyteros* in iis omnibus quæ ad Ecclesiam quoquo modo pertinent, summam habere potestatem, nec ab eorum collegio summo dari provocationem: Item Reges posse vi & armis à subditis cogi in ordinem; & si se præbeant immorigeros, de solio deturbari, in carcerem conjici, sisti in jus, per carnificem denique capite plecti. "Quin profitetur coram Deo & hominibus; *Apologista*, se nescire an "ullus Theologus *Presbyterianus* in Regis vitam conspiraverit; at ex "Hierarchicis erant, *inquit*, non pauci, qui turbato rerum civilium ordine, *Independentismum* præ se ferrent, & parricidium in Regem admissum vel concionibus, vel scriptis approbarent. Quæ cum ego audio, cùmque eorum Seditiones, tumultus, bella nefaria, aliasq; in Sacrosanctam Majestatem Regiam proditorias molitiones cogito; subit mirari

Apol p. 2. Ibid. p. 3.

In admonitione ad Lectorem.

rari perditorum hominum non impudentiam modò (qui quod palam perpetrarunt, quod perpetratum defenderunt, in quo etiam gloriati sunt, id nunc, versis fatis, à se factum inficiari non vereantur) sed & imprudentiam, qui quæ æterno silentio premi, æternæq; oblivioni tradi è re ipsorum vel maximè esse, nemo prudens non videt, ea nos, ut idiomate omnibus gentibus per Europam intellecto atq; eruditis quasi vernaculo, evulgemus, etiam invitos adigant. Longè mehercule consultiùs & sibi, & quodammodo nobis etiam, facturi, si Camarinam istam non movissent. Verùmenimverò, quandoquidem causam hanc denuo agi voluerunt, vera dicentem, & scapham scapham vocantem, audiant necesse est.

Absit verò ut *Presbyterianos* omnes ac singulos sive clericalis ordinis sive laicos, animo æquè infesto adversus Regem rebellâsse asseverem. Quippe qui nullus dubitem, quin multi eorum *simplici corde* (quod de Hierosolymitanis *cum Absalon euntibus* legitur) turbarum nostrarum Authores & in execrandâ illâ rebellione, numquam sine horrore cogitandâ, Antesignanos sequuti sint, *causam penitus ignorantes*; Absit etiam ut vel ipsis belli Ducibus ac tumultuum concitatoribus, quotquot tandem seriò tanti sceleris pœnituit, ullam infamiæ notam hic inustam velim; Absit deniq; ut eos cujuscunq; ordinis, qui, licet ipsis fortè Regimen ac Liturgia Anglicana in nonnullis, ob præconceptas opinationes, minùs arrideant, nec huic tamen interesse, nec illi subesse detrectant; Absit inquam, ut eos Schismaticis accenseam; Et ut quæ hic scribuntur in *Pyrgopolinicem* aliosq; cerebrosos *Puritanos* qui Politiam nostram Ecclesiasticam totis viribus nec odiis minoribus quam ipsam Romani Pontificis αὐτοκρατορίαν oppugnant, quiq; maledictis & calumniis, quibus sacram Ecclesiæ nostræ Liturgiam gravare solent, id denique unum agere videntur, ut a sacris nostris plebs imperita perinde atque à Missâ Romanâ abhorreat; Absit, inquam, ut ea homines pacis alioqui amantes nec expertes modestiæ (quamquam à nobis diversi abeunt in quibusdam minoris momenti) ullo modo feriant.

§ Negat imprimis Apologista *læsam à* Presbyterianis *suis Sacram Regum nostrorum Majestatem*; Et ne videatur sine ratione insanire, dat rationem negati. Primò scilicet, *lacrymis suis decollato* Carolo *parentaverunt*; *Ergo* Caroli I. *Majestatem non læserunt*. Egregia sanè, & Artium Magistro, qui se gloriatur Keckermanni Dialecticam, vix ephebum didicisse, digna consecutio! Pari, imo potiori jure quis negaverit Christum à *Juda* proditum. Nam damnato Christo *Judas* impensius parentavit quam *Presbyteriani* decollato *Carolo*, ut qui cum videret ad mortem rapi Dominum quem tradiderat, pœnitentiâ ductus, *retulit triginta argenteos principibus Sacerdotum, dicens, peccavi tradens sanguinem justum* (quam restitutionem quamque vocem ab istis quibuscum jam nobis res est, huc usque frustra expectavimus) *& de se ipso*

ipso supplicium sumpsit. Sed hisce hominibus idem usu venit quod perditissimis quibusq, ut si quos fortè viderint se nequiores in eodem genere nequitiæ, nullo delictorum suorum sensu teneantur, sed sibi plaudant & omnem scelerum conscientiam facillimè aut excutiant aut sopiant.

§ Perduellium apud nos natio universa, quæ ab initio in Regis perniciem (si quosdam simpliciores excipias, ut suprà monui) unanimis conspiraverat, in duas postmodum factiones præcipuas, *Presbyterianorum* scilicet, atque *Independentium* scissa est. Hi concordes egerunt donec debellatis Regiis exercitibus, expugnatisq; oppidis atque subactis Provinciis quæ à Rege steterant, Regem ipsum tandem eò adegissent ut *Presbyterianis Scotis*, et ipsis strenuè rebellantibus se dederet, ipsorumq; potestati se permitteret. Nec dùm tamèn nata discordia in bellum apertum erupit. De personâ Regis tantùm per id tempus inter *Anglos, Presbyterianos* æquè ac *Independentes*, atque *Scotos* perduelles, exorta lis est, utris nempè cederet? Nùm his, licet in eo bello auxiliaribus ac mercenariis meris (uti volebant adversarii) an vero illis, belli principibus ac Regiæ Majestatis hostibus primariis? sed litem diremit facili negotio ingens pecuniæ summa, quam *Angli Scotis* numerârunt, stipendii quidem nomine, sed revera *pretium appretiati quem appretiaverunt*. Nam solutâ summâ, statim & argumenta soluta sunt, quibus *Scoti*, jus suum retinendæ apud se Regis personæ, paulò antè fortiter serióque asserere videbantur. (Quamquam & in ea gente fuere, ut hoc in *Scotorum* gratiam addam, multi omnium ordinum, qui fortitudinis & fidei erga Regem summæ; alii quidem ab initio & deinceps constanter; alii vero post erratorum agnitionem, exempla non vulgaria ediderunt; in quibus supereminuit, velut inter ignes Luna minores, *Montis-rosarum* Marchio, Vir planè Heroicus; Quem *Presbyteriani* ad æternam ipsorum infamiam, in Patibulo latronis instar, laqueo peremerunt, discerptis etiam & variis locis expositis Magni Herois post mortem membris.) Tum verò demum cœpit *Independentium* factio caput efferre, & Regem (quem *Presbyteriani* vi & armis impetere non destiterant, donec eum Regnis & omni authoritate Regiâ prorsus spoliassent) apud se in exercitu, tum partem longè maximam *Independente*, arctâ atque illiberali custodiâ tenere, deinde ad judicium poscere, ac postremò, proh nefas! ad supplicium rapere. Fateor quidem, si atrocis illius tragœdiæ tot actus fuerint, quot ludicrarum esse solent, postremum ferè *Independentium* fuisse. Dico ferè: Nam fuere in exercitu *Presbyteriani* non pauci tum gregarii milites tum Centuriones & Tribuni. Quin etiam toti exercitui præfuit *Presbyterianus* Imperator, cum Regem serenissimum securi percusserunt. At quatuor priores (ut cuiq; quod suum est tribuatur) *Presbyteriani* ferè sibi solis jure merito vendicare possunt. Adeò ut non acutè magis quam verè dixerit *L' Estrangius* noster,

Zach. 11. 13. Matth. 27. 9.

Vide Historiam Independentiæ.

noster, *Regem primo à* Presbyterianis *peremptum*, CAROLUM *deinde ab* Independentibus *interfectum*. Verum Apologista non nisi parricidio lædi Regum Majestatem putat. Itaque licet *Presbyteriani* Augustissimo Principi oculos eruerint, linguam absciderint, manus, brachia, pedes amputaverint; si modò *Independentibus* caput obtruncandum reliquerint, & *decollato* CAROLO *illacrymaverint*, ab iis læsa Regis Majestas nisi falsò dici non potest.

§ Sed ne allegoriâ abuti videar, ut se *Presbyteriani* gesserint erga optimum pientissimumque atque sæculo meliore melioribusque subditis dignum Principem paucis planisque verbis accipe. Primò, Regem frequente hominum seditiosorum ad Regiam concursu, urbe *Londino* pulsum, aliis oppidis non secus ac hostem publicum excluserunt; Illius arces, Munimenta, Classes, armamentaria, æraria occupârunt; Exercitum adversus eum, impositis in concives tributis, ad militum stipendia, conscripserunt; cum ipso sæpius confertâ manu præliati sunt; *Oxonium* oppidum in quo Rex consederat, obsidione cinxerunt, atque eò Maximum Principem adegerunt, ut mutato habitu cum uno aut altero itineris comite, fugâ saluti suæ consuleret. Quum ad extinguendum belli incendium, quo tria Regna Britannica conflagrabant, Princeps optimus ardentissimis votis expeteret atq; identidem enixissimè per internuncios ac literas rogaret, ut cum ipso *Presbyterianorum* Parlamento coram, de rebus ad pacem facientibus, sibi colloquendi copia fieret, quo sic facilius omnes dissentionum causæ præciderentur, id à σκληροτραχήλοις καὶ ἀπεριτμήτοις τῇ καρδίᾳ καὶ τοῖς ὠσὶ, nequaquam impetrari potuit, quamquam eò se demittebat Excellentissima Regia Majestas, ut *Londinum* Perduellium arcem ac quasi castra, cum exiguo vixq; Regio comitatu profecturum se profiteretur. Quùm vero Regis flagitationibus assiduis fatigati, eò se demisissent, ut pacis conditiones Regi suo offerre non dedignarentur; tam iniquas obtulerunt, ut metus sit, ne eas, licet fide summâ, referenti, fides tamen non habeatur. Etenim quis sibi persuadeat, homines puriorem Christianismum præ se ferentes, fidelitatisque sacramento Regi adstrictos, etiam dum se profitentur Regiæ Mâjestatis *subditos humillimos atque fidelissimos* (his enim verbis præfari semper oportuit; & his ludificare Maximum Principem tum libuit) eò impudentiæ atque impietatis devenisse, ut eversis Patriæ legibus (quibus innixa Britonum Monarchia per plura sæcula floruit) lege novâ sanciri postularent, ne in posterum Regi Regisve Successoribus fas esset Rei bellicæ terrâ Marive præesse; Exercitibus classibusve Imperatores, Tribunos, Centuriones, Rectores, &c. præficere; Arces præsidiis munire; cum Exteris Principibus ac Rebus Publicis fœdera icere, aut bella gerere; ad Cancellarii, Thesaurarii, aliaque majorum gentium munera quemquam promovere; Judices dirimendis litibus & pœnis infligendis, per

Vide Batei Elenchum Motuum Nuper: in Anglia. Part. 1. p. 37. *Edit.* 1663.

Civitates

Civitates & municipia constituere; Consiliarios in Senatum Regium cooptare; Novos Barones ac Regni Pares creare; Proprios liberos in matrimonium collocare; sed hæc omnia & reliqua, quæ juris Regii apud nos semper fuerunt, utriusque Consessus Parlamenti, atq; in Parlamentorum interregnis, Parlamenti Legatorum (quos vocant Commissionarios) arbitrio permitterentur. Rogabant præterea ne Regi Regisve successoribus liberum esset in posterum Parlamenti consulta (quas *billas* vocant) si minùs placerent, rejicere (quod tamen Regum Angliæ jus indubitatum est) sed ut quæcunque ab utroque consessu ipsis offerrentur volentes nolentes, etiam reclamante conscientiâ, ea rata haberent & authoritate Regiâ (si tamen Regia tum dicenda) sancirent Quod quid aliud esse dixeris quàm Regi oculos eruere, Linguam abscindere, manus, brachia, pedes amputare, vixque caput aliis obtruncandum relinquere;& Augustissimum Monarcham jure summo (eoq; per leges concesso) imperantem, in *Venetorum* aut *Genuensium* Ducum ordinem deturbare, & inclytum Regnum in Rempublicam nescio quam convertere.

§ Sed profitetur homo noster *coram Deo & hominibus* se nescire, an ullus Theologus *Presbyterianus in Regis vitam conspiraverit*. Sed cave credas etiam jurato. Ego tamen ita cum eo agam ac si crederem. Tu nescis,an ullus Theologus *Presbyterianus* in Regis vitam conspiraverit. At faciam scias. Nam vulgo noti sunt non unus aut alter sed multi è Theologis tuis, qui, quod ab ullo eorum factum fuisse ignoras, id in Dei & hominum conspectu perpetrarunt. Quæro enim à te, quid sit in Regis vitam conspirare? An non in Regis vitam conspirasse dicendus est qui immisit aut conduxit percussorem; qui sicam quâ confoderetur, tradidit; qui sicarium fovit, & per Deum atq; homines obtestatus est, nec destitit orare donec ad scelus aggrediendum tandem perpulerit? Quæro deinde an non *Theologi Presbyteriani* pro concione in Templo assiduè,& orationibus in Prætorio *Londinensi* habitis,quoties eorum voce ad seditionem uti voluit Parlamentum; scriptisq; etiam publicis non paucis, modò Parlamentum,modò Cives *Londinenses*,modò alios ad rebellandum contra Regem,& jam rebellantes ad perseverandum in rebellione hortati sunt? Affirmaverat Cl. *Andreas Eliensis* Episcopus, justas à Papa sibi metuendi causas habere Principes. Respondit Bellarminus quæstionem esse an Principem ullum unquam Pontifex cædi mandaverit. Ad quæ reponit Eliensis, "Quæstionis eum statum non esse; sed, "an Princeps ullus justam sibi unquam à Papa timendi causam habuerit. Deinde pergens, Hic importunè, *inquit*, de cæde mentio fit à "Cardinale; quasi nullum Principi periculum nisi vitæ; quasi extra "cædem nihil Principi metuendum. Ubi semel hoc habeto. Generosa "indoles pro pari habet de vitâ & Regno deponi. Cædi mandat Pontifex

Vide eorum conciones coram inferiore consessu habitas.
Vide Mr. *Calamy* his Speech in *Guildhall.*
Andre. Eliens. Episcop. Resp. ad Card. Bellarm. Apolog. p.239.

" tifex si de Regno cedere. Perinde enim est. Verùm cædi non mandavit;
" ex mente Cardinalis jam nihil aliud significare dicit Tortus, quàm
" quòd non submisit sicarium. Quid interest ad cædem si immisit Ex-
" ercitum, si concitavit seditionem. Et alio loco Tortum, Cardinalis Sacellanum alloquens; " Sed tu nunquam Dominum tuum fingas tam
" ineptum ut Reges ita miserè solari velit: Bono animo estote; nolite
" vero timere, nihil attentabit Papa ad cædem vestram, tantummodo
" depositionem minatur; nec vitam vobis sed sceptra ereptum venit;
" nec per sicarios hoc sed per legiones exteras vel per Rebelles de Sub-
" ditis vestris effectum dabit. *Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi.* S. Jacob. c. 2. 1. Quæ hic ut verè & falsè in Romanum Pontificem à Reverendo Præsule cum applausu Reformati omnes ubiq; exceperunt, ad res apud nos, à *Presbyterianis* gestas accommodentur. An non enim Theologi *Presbyteriani* per universam *Magnam Britanniam* classicum cecinerunt et ad arma contra Regem conclamarunt? An non & ipsi commeatus præbuere, & obvios quosq; sollicitârunt ut præberent, scribendo alendoq; Militi contra Regem præliaturo? An non uti strenuè dimicarent, uti hostem (Regem) frangerent, obtererent, vincerent, vehementer monuerunt, & rem Deo gratam futuram, id si facerent, tanquam de tripode pronunciârunt? At dices differre Militem à sicario. Differt sanè, si gladio miles cinctus fuerit ab eo qui habet jus gladii. Differt etiam, si ab eo qui non habet; sed differt ut latro publicus à fure clanculario. Neq; tu mihi dixeris Parlamentarios tuos, etsi cum Rege armis contenderent, Regem tamen ipsum salvum voluisse. Nam verissimè sanè quidem dixit *Baxterus* tuus; *si qui adversus hostem præliantur, iis in animo esse illum occidere?* De Sacra Respub. p. 422. Nec quamvis taceat *Baxterus*, id aliter fieri posse res ipsa loquitur. Nam quis nescit tormenta bellica in eos omnes, qui in acie hostili stant, sine discrimine displodi ut quemlibet obvium, *Tros, Rutulusve, Rex, Lixave fuat*, feriant & obterant. Et quis unquam vel fando audivit *Baxterum* aut alios castrenses Theologos, antequam prælium committeretur, milites hortatos uti à Rege manus abstinerent, suumq; potius quam illius sanguinem profunderent? Quin constat eos hoc nec fecisse, nec verò facere potuisse; siquidem bellum à se adversus Regem susceptum, Legitimum (quod profitebantur) fuisse crediderint. Nam quem vi & armis petere nefas non est, eum fas est occidere; quæ fuit conditio Regis: Et vice versâ, eum nefas est occidi, quem fas non est armis impetere; quæ fuit Parlamentariorum militum conditio, juxta *Presbyterianorum* Theologiam. Itaq; si id consilii commilitonibus suis dedissent, perindè fuisset, ac si illis authores fuissent mortis sibi inferendæ. A quo scelerato consilio, immane quantum abhorret Theologorum *Presbyterianorum* tenera conscientia. Tibine dixeram Camarinam istam à te imprudenter motam?

§ At.

§ " At occurrendum erat, *inquis*, *Morlao* qui hoc esse Pres-
" byterianorum placitum scribit, Presbyteros in iis omnibus quæ
" ad Ecclesiam quoquomodo pertinent, summam habere potesta-
" tem, nec ab eorum collegio summo ullam dari provocationem: Item
" Reges posse vi & armis a subditis cogi in ordinem, & si se præbeant
" immorigeros, de solio deturbari, in carcerem conjici, sisti in jus, per
" carnificem deniq; plecti. De potestate quam sibi arrogant *Presbyterianorum* Ministri, legatur Historia Ecclesiæ Scoticanæ à R. *Spotswoodo* Sant-Andreano Archiepiscopo, eo stylo, eaq; moderatione atq; animi candore scripta ut subactum judicium summamq; authoris fidem cuivis ingenuo lectori approbet. Legatur Reverendiss. *Bramhalli* Archiepiscopi Armachani Tractatus de *Disciplinâ Ecclesia Scoticana*. Legantur quæ de *Scotis Presbyterianis* observavit eorum nunc amicus summus ac ὑπερασπιστὴς *Ludovicus Molinæus* in suâ Parænesi; legatur ipse *Calderwoodus* in Altari Damasceno; atq; ex iis judicet lector numquid alienum à vero hactenus scripserit Reverendus D. *Wintoniensis*. Ad *Scoticanos Presbyterianos* lectorem ablego, ut ab iis Anglicanorum placita ediscat, quia semper his *Independentes* obfuerunt quominus quid sibi juris tribuant in causis Ecclesiasticis, factis rebusque liberè testarentur. Quoniam vero eorum Authorum ad quos lectorem amando, alii Anglicè scripserunt, alii vero non omnium manibus teruntur, paginas quasdam ex ejusdem *Ludov. Molinæi corollario ad suam Paranesin* describere hic non gravabor in eorum gratiam qui aut Anglicum Sermonem non intelligunt, aut libros illos non sibi compararunt. Hoc verò lectores monitos velim, ne, quia cæterarum Ecclesiarum Reformatarum Pastoribus, prout Anglicanæ Episcopis esse solet, iniquus admodùm est *Molinæus*, ideo de fide eorum quæ de *Scotis* commemorat, dubitandum putet juxta illud, *semel malus semper præsumitur esse malus in eodem genere mali*. Hoc enim interest, quod hìc res istorum gestas narrat, prout in publicis rerum Scoticarum commentariis aliisque Scriptis authenticis leguntur, cum de illorum consiliis ac propositis duntaxat temerè pronunciet, ea sibi fingens quæ nusquam existunt aut extitere. De istis igitur sic infit *Ludovicus*, *Quoniam fratres* Scoti *solent suam Disciplinam Ecclesiasticam obtrudere & commendare aliis Ecclesiis ut legem Christi, consilium est ejus specimen exhibendo strictim edocere ex archivis regni, Senatus-consultis, constitutionibus Synodalibus, tum ex ipsa formula Disciplina Ecclesiastica, atque ex usu recepto à conventibus Ecclesiasticis &* Presbyteriis, *Pastores introduxisse potestatem planè æmulam & paria facientem cum Papali Hierarchiâ, & ad summum fastigium evexisse molimen ædificandi imperii in imperio. Ut quod (ut in magnis) voluisse satis fuerit cæteris Ecclesiarum Reformatarum Pastoribus, Scoticanarum Pastores ad perfectum opus perduxerint. Etenim*

Ludovic. Molinæi Corollar. ad Paranes. c. 12.

nim apud eos Magistratuum jura maximè decurtantur, eripiendo eis omnem jurisdictionem in religionis negotio, eumque mancipando Ecclesiasticis censuris & excommunicationibus juxta ac minimum de plebe. Tum ibi non minùs quàm ubi Pontifex regnat, viri Ecclesiastici immunes habentur a potestate Magistratus. Sed nec tantum involant in jura Magistratus sed etiam privatorum, eisque libertatem suam accidunt. Quæ omnia variis argumentis ac exemplis probata dat. Sed in eo uno instabo quod adduxit de exemptione Clericorum. *Longè gravissimum est*, inquit, *quod Disciplina Scoticana eximat Clericos a jurisdictione Magistratus, adeoque reipsa imperium in imperio ædificet, cujus iniqua vendicationis aliquot exempla attulimus; unum imprimis* Davidis Blaki, *quod quia strictim tantùm tetigimus, juvat paulo fusiùs ejus actus varios enarrare ad rei memoriam. Neque enim quicquam magis exprimit imaginem imperii in imperio assumpti & vendicati.* David Blakus *fani* Andreæ *Minister*, Anno 1596. *pro concione inter alia dixit*, Regis malam mentem, malum & perfidum animum hactenus dissimulatione pressum, se in apertum prodidisse, cum permisit Pontificiis Dynastis reditum ad suos; Reges quotquot essent Diaboli progeniem esse; Diabolum sedem in aula & aulæ Præfectis habere; Reginam *Elizabetham* planè ejurati esse numinis; Proceres de nobilitate confidentes in Curia Sessionis, esse infideles & avaritiâ corruptos; Ipsam verò nobilitatem degenerem, atheam, perfidam & Ecclesiæ infidam. *De Senatu vero loquutus est ut de Phalocrocoracibus & viris qui omnem sensum religionis abjecerant. Ubi ad preces ventum est, precandum*, inquit, *nobis est, sed dicis tantum gratia, pro Reginâ; Frustra enim ab ea quicquam boni expectandum est. Quæ pro dictis merces rependenda esset huic tenebrioni*, sic pergit Molinæus, *reputandum cuique permitto. Conqueritur* Angliæ *legatus Dominæ violatam Majestatem, quo nomine jussus est sistere se Senatui Regio. At non ipse* Blakus, *sed Ecclesiarum Delegati comparent, & pro* Blako *dicunt, non concordare cum libertate Ecclesiæ ut delationibus tam frivolis fides habeatur, neve crimen rectè factis intentetur;* Blakum *remittendum ad* Presbyterium; *Causam hanc non esse judicii Regii; atque palam minantur & testantur ni absisterent, se jus suum tuituros, evulgando scriptum, seu exceptionem fori, quàm,* Declinatorem *vocant; quo publicè contestarentur de vi illatâ Jesu Christo, & de transitu potestatum secularium in castra Ecclesiæ & Regnum Christi; se non dubitare quin virum quemque Zelo calentem permoveant, ut reputent jam actum de causâ Dei nisi se viros & strenuos præstarent. Conscribitur ejusmodi Declinator, & ejus exemplaria plura distrahuntur & mittuntur ad* Presbyteria, *adjunctâ gravi adhortatione & denunciatione ut eum singuli subscriberent, & hanc causam (quam non tam* Blaki *quàm Dei*

Ibid. p. 119.

esse

esse dicebant) precibus ad Deum tum privatis tum maximè publicis commendarent. Ibi Rex conventum Delegatorum solvi jubet; perstantibus nihilominùs Delegatis considere, & per legatos ad Regem monentibus sibi imputaret, siquid gravius ex solutione conventus consequeretur. Rex licet pars læsa non leviter territus & metuens tempestatem impendentem a Presbyteriis, si omnibus eadem esset mens, blanda & pacem offert, quam non tantum non acceptant nisi priùs fieret satis, ut loquebantur, Jesu Christo Domino & Regi, cui tanta injuria facta esset: sed & libellum supplicem (at nomine tenus cùm potiùs παῤῥησίαν *esset) Regi offerunt; in quo se in easdem querimonias effundunt. Repudiato libello, causa* Blaki *disceptata est a Senatu Regio & judicata capitalis, adeoque cognitione Regia. Ibi tum* Rob. Pontius *nomine totius Ecclesiæ Scoticanæ, interposita solenni denunciatione, conqueritur de injuria admissa in Jesum Christum, & ipse* Blakus *novam fori exceptionem seu Declinatorem scribit. Perstat Rex repetitis nunciis pacis conditiones offerre, sed frustra omnia.* Robertus *enim* Brucius *Ecclesiæ Orator, palam & vehementer apud Regem queritur de iniqua ejus agendi ratione, per quam præter jus & æquum occupaverat jura & privilegia regni Domini Jesu; quâ quidem graviùs corda bonorum afflicta essent, quam supplicio viginti ejusdem cum* Blako *mentis. Nec inter hæc Rex se præbet adversum pacis & reconciliationis conditionibus, quin ultro de suo jure paratum se cedere testatur, modo conquiesceret hæc turba. Quocirca Senatus Regius decernit ut Rex exoraretur declarationem edere in gratiam Ecclesiæ, quâ* Blako *præteritorum veniam daret, siquidem culpam agnosceret Regina. Hanc cùm accepisset conditionem Rex;* Blakus *sibi non placere respondit, nec potuit adduci ut cujusquam delicti reum se fateretur, aut a quoquam deprecaretur culpam: Sed Regem & Senatum Regium ejuravit ut tribunal illegitimum, apud quod non deberet disceptari causa, aut ipse judicari. Affirmavitque judicium de sua concione ad populum alteriùs esse fori quam Regii & terreni. Quo nomine à Senatu reus læsa verbis & falsis criminationibus Majestatis, & ad arbitrium Regis puniendus. Placet nihilominus Regi mitior sententia; lubenter habituro reum extra noxam, modò paululum de inflexibili pertinaciæ rigore remitteret. Sed Ministri omnem repudiant conditionem, jejunium indicunt, præmisso programmate, significante non alia ratione potuisse vindicari damna & injurias illatas Jesu Christo. Omnia, turbis, metu implent* Edinburgi. *Pœnitentia quidem flectitur populus; sed in pervicaciâ perstant Ministri, & instigant ad seditionem & fœdus nationale ineundum ad mutuam tutelam. Usque adeo exarserant animi utrinque ut quidam* Walche *dixerit ad populum pro suggestu Regem detineri Diabolo, imò septem Diabolis, liberum esse subditis*

arma

arma corripere, & gladium ab ejus manibus extorquere. Hamiltonus *Dynasta per litteras tentatur ut dux partium esset.* En ut Presbyteriani, *Regem in omnibus causis & supra omnes personas tam Ecclesiasticas quam civiles supremum Gubernatorem agnoscunt*, quod noster statim affirmabit.

§. Sed pergamus ad reliqua. Inverecundam R. D. *Wintoniensis* criminationem dicere non verecundatur impudentissimus rabula, quod hoc esse *Presbyterianorum* placitum scripserit, *Reges posse vi & armis a subditis cogi in ordinem*, &c. Impure! siccine putas viri præstantissimi verbis fidem posse detrahi, si modo illius affirmationi negationem tuam opposueris? Numquid Lectores ità stupidos arbitraris ut quæ sciunt ita se habere prout scripsit Reverendus Ecclesiæ Præsul, ea se aliter habere credituri sint ideo quod Anonymus Schismaticorum Apologista ipsi convitiatus fuerit? Sed ex te scire velim quid aut immodestum aut iniquum à pio & gravi Præsule hic in tuos scriptum asserere audeas. Scilicet *Presbyterianorum* fidem ex eorum operibus æstimandam esse duxit Antistes Reverendus, *Jacobum* Apostolum, imo Christum Dominum sequutus. (*Jacobi* 2. *Matth.* 7.) Itaque cum *Presbyteriani* Carolum Martyrem, tunc Regem suum legitimum, vi & armis oppresserint, ut oppressum pro sua libidine in ordinem cogerent; cumque eum, quod Princeps magnanimus se eorum imperatis minus obsequentem præberet, de solio in carcerem deturbarint; quid, per Dei & hominum fidem, expostulas si quæ *Presbyterianorum* (subditorum) armis & artibus in Regem patrata sunt facinora, ea ex *Presbyterianorum* sententiâ, a subditis in Reges patrari posse vir sapientissimus asseveret? Legantur præterea quæ de hoc argumento scripserunt *Marshallus, Baxterus*, aliique Ministri *Presbyteriani*, (*In concionibus ac libris a se editis, passim.*) undè liquebit *Presbyterianos* nostros a *Bellarmino* aliisque Jesuitis hic, ne latum quidem unguem discedere; nec illos aliundè quam ex istorum scholâ hausisse axiomata sua politica. Sed non illud est quod adeò succenseas. Nam facilè concederes scio, si soli absque arbitris ageremus; aut si factio tua jam rerum potiretur, non displicere *Presbyterianis* ut Reges a subditis vi & armis cogantur in ordinem. Et si rem uti se habet eloqui velles, hæc præcipua est inter causas, quas vobis multas & graves esse dicis, cur secundæ Declarationi subscribere detrectetis, quod scilicet subscribentem disertis verbis profiteri oporteat *subditis non licere sub quovis prætextu adversus Regem arma gerere.* Hoc unum est igitur quod concoquere non potes in iis quæ de *Presbyterianis* scripsit Rev. *Wintoniensis*; scilicet, iis etiam non displicere ut *fas sit a subditis Reges in jus sisti*; At quæso te, quidni etiam hoc scribat? An non qui subditi Regem suum vi & armis opprimendum pro tribunali decreverunt, eos rectè dicas in hac esse sententiâ, Reges in jus sisti posse a subditis? Quod factum ab utroque consessu Parlamenti adversus Carolum

Regem, *Presbyterianis* adhuc rerum Dominis, nemo nescit. At scribit præterea *Wintoniensis* eos censere, *Reges posse a subditis capite plecti per carnificem.* Gravis mehercule accusatio, sed ut gravis ita vera. Nam qui contra Regem tot armare militum millia non dubitârunt, unum carnificem armare quid vereantur? Certè cum de capite deque salute agitur, seu lictor securi, seu gladio miles percutiat, parum Judicis qui damnavit, & Rei qui periturus est, aut nihil prorsus interest. Quin lictorem hac in parte cum milite si conferas, hujus quam illius causa longè deterior futura est, cum lictor ad necem inferendam tanquam ad officium invitus interdum adigatur; miles vero infensus & spontè suscepto percussoris munere in scelus ruens, si Regem, Parricida, si civem a Rege stantem occiderit, homicida voluntarius evadat. Ne autem putetur venerandus Præsul *Presbyterianorum* fidem ex operibus tantum æstimasse, & ἀκολουθήματα tantum quædam ipsis attribuisse, quæ licet ex eorum praxi & malis moribus legitimè deducantur, menti tamen & doctrinæ quod sæpè fit, non consonent, unus *Buchananus* locuples testis est, *Presbyterianos* hac in parte haud melius sentire quam vivere; & quæ immani scelere in *Britanniâ Magnâ* antè aliquot annos patrarunt, ea impudentiori nequitiâ prius scriptis libris edocuisse. Multus ille est ut probet Reges ipsos si quid adversus Reipublicæ leges deliquerint, perinde ac si essent homines privati, in jus coram Judicibus vocandos & pœnis publicè subjiciendos. Deindè *Thomæ Matellano* dicenti, *Quid si Rex suâ sponte nolit, nec vi cogi possit ut in jus veniat? Hæc ei causa*, inquit, *cum omnibus facinorosis est communis. Nullus enim aut latro aut veneficus ultro in jus veniet. Sed scis quid Lex permittat, furem nocturnum quovis modo, diurnum, si se telo defenderit, interficere. Quod si aliter quam vi in jus protrahi non possit, meministi quid tum fieri soleat. Latrones enim potentiores quam ut jure cum eis agi possit, bello & armis persequimur.* Et statim, *De injuriis, cum judicio non potest decerni, ferro cernitur.* Ut rectissimè concludas ex *Presbyterianorum* bello adversus Regem suscepto, eos in hâc esse sententiâ, Reges a subditis in jus sisti, & capite ut latrones, ut veneficos, ut fures per carnificem plecti posse. Et quamvis *Buchananus* instar omnium esse queat & hic possem dicere, *Crimine ab uno disce omnes*; Ne quis tamen illud unius *Buchanani* placitum fuisse dicat, legatur & *Joannes Knoxius* quem in eandem sententiam manibus pedibusque passim euntem reperias in *Provocatione ad Scotiæ Proceres*, Editionis *Londinensis*, Anno 1644. ab *Anglis Presbyterianis* tum ferro cum Rege decernentibus procuratæ, ut patet ex Præfatione *Knoxii* operibus præfixâ. *Andreæ* autem *Melvino*, quem *Scoto Presbyteriani* veluti alterum Patriarcham suspiciunt, adeo arrisit *Buchanani* de Jure Regni libellus, ut illum variis Epigrammatibus quæ ad illius calcem vulgo edi solent, laudandum sibi putaverit.

Buchan. *de jure Regni apud Scotos toto libello.*

Knoxii *Provocatio.* p. 21. 24, 25, *&c.* *Edit. Londin.*

putaverit. Sunt verò *Scoti* & *Angli Presbyteriani*, ut *Simeon & Levi fratres*; *& vasa iniquitatis bellantia*. Genes. 49. 5.

§. Sed *quanto modestius ac verius*, inquis, *Lancelotus Andreas* Episcopus *Eliensis* (qui tamen a te hoc ipso libello corrupti textûs biblici accusatur) *Presbyterio fortè lis est cum Episcopis; cum Rege nulla est; utrobique Regi defertur; ultro utrinque quod* Cæsaris Cæsari *redditur*. Fateor ista apud clarissimum *Andream* reperiri. At cur nobis locum integrum non exhibuisti? Cur parenthesin, quæ iis inseritur hoc modo, *Presbyterio fortè lis est cum Episcopis* (*quamquam & illa jam refrixit, Cardinali præierunt viam; recognoverunt errorem suum*) expunxisti? Quorsum plagium illud? nam quæ citasti (exclusa parenthesi) satis ostendunt te hic malæ fidei sophistam agere & Lectoribus tuis fraudem insignem facere, quum *Eliensem* qui scripsit ante annos circiter quinquaginta, nobis producis quasi de hodiernis *Presbyterianis* sententiam ferentem. Sed quandoquidem Reverendi *Andreæ* æquitatem adversum *Puritanos* agnoscit Apologista, non abs re fuerit viri magni sagacitatem & mentem futuri præsagam, non ex ullo afflatu prophetico, sed ex *Puritanorum* moribus, hic annotare. Sic igitur ille in concione quam 5 *Novembr. Anno* 1614. Habuit in Regio Sacello coram *Jacobo* Rege. *Quid aiunt alii*, inquit, postquam de Pontificiis verba fecisset, *istud cum præclaro Ecclesiæ Regimine commutabitis. Presbyteriale Regimen longè præstaret Hierarchico; paulò post Rempublicam Monarchiæ fortè etiam prælaturi. Noli cum istis commisceri.* Ejusdem farinæ est quam subjungit de *Vaughano Londinensi* Episcopo, historiola. Nam dato, non concesso, veram esse hanc, non fabulosam (cujusmodi innumeras comminisci solent *Presbyteriani* ut postea dicetur) narrationem, quis non hominis aut imperiti stultitiam aut audacissimi frontem admiretur, qui ut probet quales *Presbyteriani* se nuper præstiterint, adducit testimonium referentis quales olim esse præ se ferrent, & cum vires deficerent & cum haud satis tutum esset ingenitum sectæ virus factis dictisve prodere. Nam vixit *Vaughanus Londinensis* sub *Jacobo*, & ex hac ad meliorem vitam commigravit, *Anno* 1607. Eodem pertinent quæ affert hic noster ex *Jacobo* Rege, in gratiam *Presbyterianorum*, uti somniat, ab eo scripta, quæque ut & reliqua huc facientia satius fuisset prætermittere. Objicit sibi, Jacobum *Regem* Puritanorum *mores sic describere ut majorem ingratitudinem aut perfidiam inter Montanos aut limitaneos latrones reperiri posse neget, quam inter Fanaticos illos nebulones; nec filius pati possit ut eadem cum illo patriâ fruantur, si pacatè vivere decreverit.* Quibus ita Respondet: *si ipsi Regi seipsum explicanti fides in Præfatione ad βασιλικὸν δῶρον, per* Puritanos *intellexit vilissimam* Anabaptistarum *sectam quam Familiam amoris vulgo nuncupant*;

Lanceloti Andreæ Wintoniensis Concio. p. 951.

Pagini 71. secunda Edit.

pant; ut & istiusmodi concionatores cerebrosos qui cum ipsum nomen aversa entur, eadem dogmata cum Anabaptistis, *eandem disciplinam pertinacissime propugnarunt, & non minores in quibusvis Ecclesiastica Politia minutiis tragœdias excitarunt, quam si de Trini Numinis* ὑποστάσει *digladiarentur.* Sed hic iterum non tantum lectori ut semper, fraudem facit, sed & ipsi Regi, innuens *Puritanos* Regi non esse homines cum *Presbyterianis* nostris consentientes. Nam nusquam dixit Rex per *Puritanos Anabaptistarum* sectam se intelligere. Videsis locum, unde constabit *Jacobo* Regi tria esse genera *Puritanorum*; *Primum*, eorum, quibus tripli jure nomen illud debetur, cujusmodi sunt sectæ illius *Anabaptistarum* homines, quæ Familia amoris vulgo dicitur, qui se puros & ab omni peccati labe immunes arbitrantur. *Secundum*, malesanorum & vertiginosorum quorumdam concionatorum qui tametsi Familistarum *Puritanorumque* nomen respuant, eorum tamen moribus & erroribus affines sunt; ut qui inter alia, satius esse sentiant *Regem, Legem, Gregem, pedibus conculcari, quam ab ulla praeconceptarum opinationum suarum circa politiam Ecclesiasticam aut cultum externum recedere; Et bellum sacrum ex ejusmodi causis excitatum impiæ paci esse praeferendum. Tertium* Puritanorum, sic dictorum genus, eorum est à quibus Ecclesiæ *Scoticana* Politia, qualis aliquando obtinuit, *Anglicana* præfertur; sed tamen seditiosi non sunt, nec circa res adiaphoras rixantur. Quam distinctionem & nos amplexamur; Nec tota hac disputatione alios intelligi volumus quam malesanos & vertiginosos illos secundi generis *Puritanos*; *Quos nec beneficiis devincias*, inquit *Jacobus* Rex, *nec jurejurando fidos facias, nec promissis constringas, sine modo ambitiosos, sine causa maledicos, nec quicquam spirantes nisi seditiones & calumnias.* Atque ut scias, non alios *Puritanos* hîc a Rege intelligi, quam eos ipsos aut eorum patres ac Magistros, qui solemni jurejurando cum iis, quorum causam agit Apologista, in Ecclesiæ Regnique *Anglicani* ruinam conspirarunt, *Calderwoodus* ipse post hanc *Puritanorum* descriptionem a se recitatam; *Hac opprobria*, inquit, *in fidos Dei servos conjecta & typis evulgata cum ferveret animorum contentio & optimorum oppositio sufflaminantium, quem studebat* (Jacobus *in* Scotiam) *invehere Pseudo-Episcopatum.* Nec alios *vertiginosos & fanaticos se in* Scotia *novisse profitetur, quam qui a* Presbyterianorum *Disciplinâ steterant*; Deinde nominatim appellat, quos putat a Rege intelligi, *Robertum Brucium, Andræam* & *Jacobum, Andreæ* ex fratre nepotem, *Melvinos, Jacobum Balfurium*, CAROLUM *Ferminum* & *Joannem Welshium* cujus vertiginem expertæ sunt Ecclesiæ Reformatæ Gallicanæ, ut alibi a me observatum est) qui omnes & singuli a *Presbyterianis*, *Anglis* æquè ac *Scotis*, heroibus accensentur.

In Basilico doro. | *In Præfation. ad Altare Damascenum.* | *Ibid.* | *In Epilogo tract. Anglici de concord. cæterarum Ecclesiarum Reform. cum Anglicanâ.*

§. Sed

§. Sed & ipsum Sereniss. Regem jam *Magnæ Britanniæ* feliciter imperantem fingit Apologista a *Presbyterianis* stare adversus *Prælaticos*. *Non est*, inquit, *cur solliciti simus de hac labe quam studiosè abstersit Serenissimus Rex*, *cùm in litteris quas ad Senatum dedit cum* Bredæ *esset*, *tum in orationibus quas habuit vel per se vel per Cancellarium post restitutas antiquas Regni leges*. In litteris *Bredæ* datis Rex Sereniss. omnis generis perduellibus sine discrimine, seu *Presbyterianis*, seu alterius cujuscunque Sectæ aut nominis (si solos Parricidas exceperis) quicquid vel in Augustissimi Parentis vel in ipsius Majestatem peccaverant, clementer condonavit; Atque in iis litteris, ut & in orationibus a se & ab amplissimo Cancellario ex ipsius mandato ad Parlamentum habitis, professus est se de illis in posterum benè speraturum; Quin & gratiam (ne quid, quod pro ipsis facere videatur, reticeam) iis habere se, quod in Regna redeunti ostium non præcluserint. Quid autem indè sequitur? *Presbyterianos* non fuisse seditiosos ac perduelles, atque ab ipsis haud læsam Majestatem Regiam? Minimè verò. Quin liquidò constat vel ex iis litteris atque orationibus eos, cum Regis veniâ & condonatione indiguerint, Regis Majestatem læsisse & delictorum plurimorum reos extitisse. Nam qui nihil peccarunt, iis nihil opus est quicquam condonari.

§. Supersunt argumenta quatuor quibus demonstratum putat egregius disputator, *læsam Majestatem* Presbyterianis *falsò objici*. Primò scilicet eos *conatibus assiduis restitutionem* CAROLI Secundi *enixos esse*. Perindè ac si dixeris Dominum ab eo servo numquam læsum, qui illatam injuriam quacunque arte potest, ubi pœnitentia suis rationibus conducibilior visa est, resarcire satagit. Nam quæso te a quibus patriâ pulsus fuerat? an non a *Presbyterianis*? Tum enim *Independentium* nomen vix auditum in *Angliâ*. Deindè ut detur *Presbyterianos* Regiæ Majestatis *restitutionem*, ut tu loqueris, *enixos*; an non majoribus magisque assiduis conatibus ipsum destituere enixi sunt, quum augustissimum ipsius parentem vi & armis persequerentur, cumque offerrent iniquissimas illas pacis conditiones a me supra commemoratas, quibus CAROLO I. & omnibus deinceps *Magnæ Britanniæ* Monarchis, adeoque CAROLO II. ereptum jus Regium ad se rapere conabantur? Quum autem *Jenkensius* in libello supplici quem *Anno* 1651. usurpatoribus a Regis cæde adhuc madidis, obtulit, disertis verbis affirmaret, *Quod si quis sub prætextu cujuscunque jura tuendi, ipsis subjici nollet, eum eadem opera sapienti justoque Dei beneplacito nolle acquiescere*; *Nec quemquam posse pacatâ conscientiâ frui*, *seu quid ageret adversus eos*, *seu quid gravius ab illis pateretur*; *quod nempè cœli terraque summus moderator*, *ipsis rerum imperium in hanc gentem dedisset*; *Nosque teneri eorum authoritati omnimodam obedientiam ex animo*

præstare

præstare in Domino, etiam propter conscientiam: Quum *Mantonus* prece solemni votisque ardentissimis, quod orantis vox, gestus, oculi indicabant, *Cromwellum* immanem illum Parricidam ac Tyrannum in *Magnæ Britanniæ* Monarcham inauguraret; Quum *Baxterus, Richardo Olivarii* filio pro *Britanniarum* Monarchâ se gerente, serenissimo autem Rege exulante, hæc scriberet, *si Providentia eo summum Magistratum redigat ut non amplius penes eum sit subditos ad legum obsequium cogere, bonos cives protegere & alia quæ ad Reipublicæ bonum spectant, procurare, eum reddit inhabilem ad imperandum, atque ita eum abdicat. Et quamquam fieri possit & verisimile sit, ut eorum culpa qui Principem deseruerunt, factus sit inhabilis ad imperandum, abdicatus tamen & ab omni imperii curâ liber censendus est: Nec tenentur homines privati, qui nihil adversus eum peccaverunt, ipsius imperio subjici. Sin vero Princeps Imperio, jure motus fuerit, puta bello legitimo, quo jus suum amiserit; maximè autem si Reipublicæ constitutionem evertat & armato milite populum adoriatur, ab eo vero superetur, nequaquam tenentur eum restituere, nisi fidelitati quam Principibus debent subditi, accedat nova obligatio. Item si Princeps quamquam injuriâ motus imperio, postea evadat inhabilis ad imperandum (hoc est si subditorum desertione, viribus destituatur) non tenentur subditi illius restitutionem tentare; etiamsi tantum ex accidente sit inhabilis; puta si non aliter quam inimicorum Dei ac Reipublicæ hostium viribus illius restitutio procurari queat. Item si Populus (* nam omnes omninm scrupulos vir bonus eximere voluit, ut pacatâ conscientiâ possent, neglecto Principe legitimo, Tyrannis adhærere) *qui jurejurando solemni Principi obstrictus est, injustè eum abjiciat, & contra pactum alium eligat, ac cum eo paciscatur, possunt, pacto priore nequicquam obstante, posteriore obligari. Multis persuasum est non sine miraculo evenisse, ut tu* (Richardum Cromwellum larvam illam hominis sic alloquitur) *cruentorum illorum dissidiorum quæ nos nuper exercuerunt, nulla pars extiteris; nempe ut te Deus constitueret vulnerum nostrorum sanatorem, & opera tua uteretur ad templum illud extruendum, quod ipsi* David *extruere non concessum est. Sic maximam tibi existimationem, maximumque amorem apud populum tuum conciliabis, faciesque ut cognoscant te a Deo constitutum servatorem & Restauratorem, & ut in te glorientur Deoque benedicant propter te felicitatis nostræ instrumentum. Zelus tuus in Deum accendet subditorum tuorum Zelum in te; Te Parlamenta amore & honore prosequentur; Te Ministri precibus suis Numini ex animo commendabunt, plebemque universam ita instituent, ut te ament honorentque, atque tibi obsequantur.* Quum hæc (inquam) affirmarent, facerent, scriberent *Jenkensius, Mantonus, Baxterus* inter ejectos & Non-Conformistas

Baxterus *de Sacra Republ.* Thes. 137.

Ibid. Thes. 145.

Ibid. Thes. 146.

Ibid. Thes. 181.

Baxterus de Regimine in Epistolâ Celsitudini suæ *Richardo* Reipub. Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ Domino Protectori, scriptâ.

mistas Ministros, pro quibus rhetoricatur Apologista, Præcipui, egregiis sanè conatibus CAROLI *Secundi Restitutionem eniti*, & in Regna redeunti latam portam aperire, homo nugax, tibi videbantur. Quæ hic non ideo scribo ut si qui de gente *Presbyterianâ* in restituendo Serenissimo Rege quavis ratione adjutores fuerint, eos debitâ laude fraudatos velim. Scio multos eorum qui initio turbarum nostrarum ac deinceps sæviente rebellione, *Presbyteriani* audiebant, & audire volebant, strenuèque bellum adversus Regem ciebant, Regiæ Majestati postea operam non inutilem navasse ut tandem Regnis redderetur. Et quamquam non desunt multi & sapientes viri, quibus ambigendum videatur num Regis amore magis quam *Independentium* odio & metu, numque modo hujus modo illius Tyranni injuriarum & crebræ rerum mutationis pertæsi, an verò conscientiæ stimulis permoti ad Regem accesserint? laudandi tamen quod officio suo demum non defuerunt. At *Presbyterianos* Regiam Majestatem non læsisse quia læsisse pœnituit, seu, mutato consilio, etiam demereri juvit, ne delirus quidem Apologista somniet.

§. Alterum argumentum quo probat læsam Majestatem *Presbyterianis* falso objici, ejusmodi est ut refutatione minimè indigeat. CAROLO II. inquit, *fidelitatem læti lubentesque vovimus:* Nam quid hic *Presbyteriani* quod non aliæ perduellium Familiæ (si eos excipias quibus jurare religio est) præstiterint? Quid quod non & CAROLO I. ab iis omnibus, a quibus imperio, libertate, & tandem vitâ, spoliatus est, sæpius præstitum? Sed *Tertium* duo priora absurditate adhuc superat. *Testantur*, inquit, *læsam Majestatem falsò nobis objici, preces quibus etiamnum in privatis Familiis Deum veneramur ne unquam desit è Familia* Stuartorum *qui* Magnæ Britanniæ, Franciæ *&* Hiberniæ *Monarcha audiat.* Nam quibus hoc testantur (si testari dicendæ sunt) preces illæ vestræ in privatis conclavibus fusæ; Vobis? At nobis aliisque id testatum oportuit. Nec dubium est, Regem Regiamque Familiam a multis qui Regum nostrorum Majestatem graviter læserunt, publicè privatimque ardentissimis votis Deo commendari. Sed quid illud sibi vult, *qui* Magnæ Britanniæ *Monarcha audiat*? cur non, *qui sit*. Nam grassante bello, cum iniquissimas illas pacis conditiones (de quibus supra) Regiæ Majestati offerret *Presbyteriana* factio, id ei tum concedebant viri boni, *ut Rex audiret*, modo ipsi regnarent. Quartum argumentum ex superabundante est. *Quinimò*, inquit, *Regem fidei defensorem, in omnibus causis & supra omnes personas, tam Ecclesiasticas quam civiles, supremum caput & Gubernatorem faciles agnoscimus.* Quod si sic haberet, prout ab isto affirmatur, non indè tamen sequeretur læsam Majestatem illis falsò objici. Sed Regem nè *supremum caput ac Gubernatorem*, &c. tam faciles agnoscitis? Quid erat igitur

In admonitione ad Lectorem statim initio. quod Lectorem tuum tam sedulò moneres, phrasin illam, *Regem supremum esse caput & Gubernatorem, tam male sonare ut præstaret numquam auditam fuisse?* Cur eam in oratione, seu potius ad orandum exhortatione, quæ immediatè ante concionem præmitti solet, vel te fatente, omiserunt Ministri *Presbyteriani?* Vix puto quemquam adeo credulum fore ut fidem habeat tibi dicenti, *Presbyterianos in privatis Familiis, titulos eos Regi sponte tribuere*, quos in cœtu publico, jussi licet, numquam recensere voluerunt, nisi si mores imitentur mulierum, quæ juxta Poetam, *si quid vis nolunt, si non vis cupiunt ultrò.* Sed *Paginâ 9.* supra vidimus, ut ut sit de Titulis, quam nihil reipsa in rebus Ecclesiasticis *Presbyteriani* Regiæ Majestati deferant.

§. Sed hic monendus est Lector, quandoquidem id ex te discere non poterit quod nescire videris, *Capitis Ecclesiæ titulum*, quem Clerus Anglicanus, Pontifici *Romano* ereptum, quamquam Ecclesiæ *Romanæ* erroribus adhuc infectus, *Henrico* VIII. Regi detulerat, quemque *Maria* Pon- *Vide Camdeni Elizabetham ad An. 1559.* tificia licet, per aliquod tempus usurpavit, ab *Elizabethâ* Reginâ repudiatum; pro quo dici voluit (suadente Ecclesiæ Anglicanæ Clero Reformato) *in omnibus causis & supra omnes personas tam Ecclesiasticas quam civiles intra sua Majestatis Regna & ditiones, suprema Gubernatrix.* Qui titulus exindè a Principibus nostris ad hanc usque diem semper usurpatus est, quique a nobis in orationibus nostris, seu ad orandum exhortationibus antè concionem, non alius, illis tribui solet. Ut frustra fueris, cum Lectorem *imprimis* monendum duxeris phrasin illam, *Regem supremum esse caput*, &c. *tam malè sonare ut*, &c. Item frustra, cùm *Henricum* VIII. Regem, & Gardinerum *Wintoniensem a Calvino*, Commentario in *Amosum*, Cap. 7. ideo reprehensos narras, quod ille capitis Ecclesiæ titulum ab isto delatum usurpaverit. Quam enim nihil ad nos & Reges nostros Reformatos spectet illa *Calvini* censura, jam diu clarissimus *Andreas* tum *Eliensis* Episcopus manifestum fecit his verbis, quibus *Bellarmino* eundem *Calvini* *Andreas Episcop. Eliensis in Respons. ad Cardinal. Bellarm. Apolog. p. 377.* locum nobis objectanti respondet. *Calvinus ut Papam Regem*, inquit, *ita Regem Papam non probavit. Neque nos quod in Papa detestamur, in Rege approbamus. At & ille nobiscum & nos cum illo sentimus, easdem esse in Ecclesiâ Anglicanâ Regis* Jacobi *partes, quæ* Josiæ *fuerunt in* Judaicâ, *nec nos ultra fieri quicquam ambimus.* Frustra dènique infrunitus ille ac stolidè facetus, qui se pro rerum *Germanicarum Historiographo* venditat, *Michaël Gaspar Lundorpius*, quem ad onerandam mendaciis suis Ecclesiam Anglicanam, folio primo libelli secundæ Editionis, adduxisti, cum de *Capitis Ecclesiæ* titulo sic fabula- *Lundorpius in continuat. Sleidani ad An. 1604.* tur. *Jacobus sextus qui ab* Henrico VIII. *genus ducit, ut in avitum Regnum, sic ab eo in arrogatos sibi titulos & commentitios successit. Ille enim caput Anglicanæ Ecclesiæ se professus est, tot Martyrum*

centuriis insaniam illam cruentavit, Reginaldi Poli, Thomæ Mori, & *tot sanctitate, nobilitate, eruditione* inclytorum Procerum *publicâ carnificinâ se fœdavit*. Deinde post pauca, *ut ab illo* Henrico *in Nepotes lepra illa defluxit, sic portentosus titulus in consuetudinem abiit, ita ut* Elizabetha *virgo* (*nam sepulcro hoc elogium incidi voluit*) *seu virago, seu fœmina* (*neutrum nec tertium illi invideo*) *se Caput Ecclesiæ Anglicanæ professa sit*. Crassam enim his verbis multiplicemque ignorantiam suam prodit homo imperitus. *Primò*, in eo quod scribit *Jacobum* ab *Henrico* VIII. Originem duxisse, cum eam duxerit ab *Henrico* VII. per *Margaretam* filiam quæ *Jacobo* IV. Scotorum Regi nupserat. *Henrici* vero VIII. posteritatem in *Elizabethâ* extinctam fuisse, præter unum *Lundorpium* nemo nescit. Deinde in eo quod asserit, *Reginaldum Polum ab* Henrico VIII. *Capitali supplicio affectum*, quem vel pueri nôrunt sub *Mariâ Henrici* filia floruisse, *Angliam* cum *Romano* Pontifice solemni ritu reconciliasse, Protestantium lanienæ quæ *Marianis* temporibus, *Romani* Pontificis nomine facta est, præfuisse, *Cranmero* præstantissimo illi Dei servo vivicomburium passo in Archiepiscopatum *Cantuariensem* successisse; In eo denique quod *Elizabetham affirmat, se Caput Ecclesiæ Anglicanæ professam fuisse*, a quo titulo abhorruit; & *Jacobum in eundem titulum successisse, & eum titulum in consuetudinem abiisse*: Quem tamen constat a nemine Principum nostrorum post *Mariam* quæ Pontificia fuit, usurpatum fuisse. Ex quibus Lector intelligit quam dignus sit *Lundorpius* iste qui Ecclesiæ Anglicanæ Adversariorum agmen ducat, & quam fidem mereantur quæ ex fabulosa illius Historia adversus illam protulit Apologista. Nam & ea hic data hac occasione perstringere lubet. Legantur Acta consessus *Hamptoncuriani* quæ a *Lundorpio* citantur; in iis ne una quidem earum rerum quas ibi adversus *Puritanos* decretas asserit, reperietur. Videtur quidem *Constitutiones Ecclesiasticas Synodi Londinensis*, quam perperam *Consessum Hampton-curianum* vocat, innuere. Sed neque in iis pleraque habentur, quæ inde se cum delectu excerpsisse profitetur; quod cuivis factâ collatione manifestò liquebit. Egregium sanè Historicum qui *Consessum Hampton-curianum* pro *Synodo Londinensi* allegat, ut siquis *Colloquium Possiacenum* citaret pro *Concilio Tridentino*; quique ea se ex eo excerpsisse, idque *cum delectu*, ait, quæ neutrobique habentur. Egregiam quoque Apologistæ fidem, qui ex ejusmodi Scriptoris testimonio, quod falsum esse novit, Ecclesiam Anglicanam æstimari velit. Sed ut ad rem de qua Sermonem institui, redeam. Calumniam illam de usurpato ab *Elizabethâ*, *Capitis Ecclesiæ titulo*, ante annos circiter centum sic paucis refutaverat *Juellus* Sarisburiensis ille celeberrimus Episcopus, aduersus *Hardingum*. *Titulum illum*, inquit, *nos non excogitavimus, nec nostris Principibus tribuimus*; *nec*

Apolog. fol. 1. *Versa Paginâ.*

Juell. *Defens. Apolog. Eccles. Anglic. Parte* 6. p. 676. Edit. An. 1571.

nec ipsi sibi arrogant; *Vestri vero homines* Henrico *octavo detulerunt*, *&* Maria *etiam usurpavit*. Quæ cum ita sint, de eodem tamen titulo, quasi etiamnum a Serenissimo Rege usurparetur, *Samueli Sorberio*, & ipsi, si Diis placet, Christianissimi Galliarum Regis Historiographo, Scriptori ejusdem planè furfuris cum *Lundorpio*, nuper garrire visum est in ineptâ illâ quam edidit Excursionis suæ in *Angliam* Narratione. Sed illius errores crassos, pellucida mendacia, ignorantiam puerilem, insulsos Sarcasmos, nænias putidissimas, infelix denique & magno conatu magnas ubique nugas enitens ingenium, in elegantissimis suis ad eam Narrationem Animadversionibus notavit, & hominis quacunque ratione nomen querentis procacitatem compescuit clarissimus *Spratus*. Intereà Concionatores *Presbyteriani*, vel eo nomine quod titulum, non illum qui tam malè sonat, sed quem modo recensui, qui non nisi auribus aut Pontificiorum aut Pontificatum in Ecclesiâ ambientium, malè sonare potest, tam præfractè detrectarint, licet Ecclesiæ Anglicanæ Canonibus Regiâ authoritate sancitis, orationi, seu ad precandum exhortationi quæ concioni præmitti solet, inseri jubeatur, non modo *mentis ad rebellionem propensæ*; sed actu rebellantis a Rev. Episcopo *Lincolniensi*, jure merito accusari potuerunt.

§. Ubi Apologista eorum nomina ediderit *quos ex Hierarchicis non paucos fuisse* dicit, *qui turbato rerum civilium ordine* Independentismum *præ se ferrent, & Parricidium in Regem admissum vel concionibus vel scriptis approbarent*; Quid tam atroci criminationi reponendum fuerit, tum videbitur. Intereà pernego ullos Hierarchicos (nisi Hierarchicos dicas quomodo dicuntur cæci qui vident, surdi qui audiunt, infirmi qui valent, quod antea coecutierint, surdique atque infirmi fuerint) se illo tanto scelere umquam polluisse. Miros sanè fingit sibi Lectores quos putet ipsi ista ab omni similitudine veri tam aliena nudè & absque ulla probatione affirmanti fidem habituros. Ego verò, quousque nefandum Parricidium in Regem admissum *Herleus*, *Jenkensius*, *Mantonus*, *Baxterus* inter Theologos *Presbyterianos* nominatissimi, dictis, scriptis, factisque approbaverint, non dicam; sed Lectori ex sequentibus judicandum relinquam. *Frustra exaltationes Dei in gutture vestro, nisi sint gladii ancipites in manibus vestris. Non majore se reatu* Achab *implicuit ob effusum sanguinem* Naboth, *quam ob servatum* Benhadad. *Gladio animadvertite in potentissimos*, Saulis *filiis non parcitur, imò nec* Agag *aut* Benhadad *quamquam Reges essent.* Zimri *&* Cosbi *licet Principes populi, intra propria ipsorum tabernacula insequi oportet. Hac viâ & ratione futurum est, ut vos ipsos Deo consecretis.* Hæc *Herleus* conventus *Westmonasteriensis* post *Twissi* obitum Præses. *Providentia Dei numquam clarius eluxit in eversione aut constitutione ullius Imperii (quantum quidem in Historiis videre*

Herleus *Concion. in Genes.* 22. 2. p 23.

Idem *Concion. in* 2 *Sam.* 21. 16, 17. p. 16.

videre est) quàm in ablatione Regis, ac Senatorum inferioris consessus Parlamenti (à quibus Rex Parricidio sublatus fuerat) *in Regis locum substitutione, ut huic genti praeessent.* Hæc *Jenkensius* in libello supplici Regis interfectoribus oblato *An.* 1651. Jam supra observatum est *Cromwellum* nefarium illum CAROLI Regis parricidam & parricidii ἐργοδιώκτην, a *Mantono* inauguratum, & Deo tanquam eximiæ virtutis ac pietatis Principem precibus ferventissimis commendatum. Notum autem quam malè audiant apud omnes Reformatos Patriarcha *Constantinopolitanus* quod Phocam, dum *Mauritius* fugâ sibi consuleret, coronaverit; & *Gregorius Romanus*, quod litteris ad Phocam, post sublatum ab eo *Mauritium* datis, *nihil fecerit reliqui ad turpissimam adulationem*, uti loquitur illustrissimus *Mornæus*; quam tamen in famosa illa inaugurali precatione a *Mantono* superatam affirmant qui præsentes adfuerunt. *Mornæi Myster. iniquit. l. c.* *Si quaeris ecquis ita apud te monitorem audeat agere; ille ego sum qui exulto ob praesentem felicitatem* Angliæ; *qui serio exoptem ut aeque benè foret reliquis mundi regionibus; quique, OMNES Providentiae Divinae eventus, quibus ad eum rerum statum quo nunc gaudemus, adducti fuimus, exosculor.* Hæc *Baxterus* ad *Richardum*. Quo quid clarius dicere potuit ut ostenderet horrendum illud Regicidium sibi haud improbari; Atque ingentem illam quam somniabat sub *Richardo* felicitatem vel pretioso illo Principis optimi sanguine emptam tantum non lætari. Baxterus *in clavi pro Cathollcis. In Epistola dedicat.* Superioribus annumerari debet *Johannes de la Marche* ex insulâ *Guernesejâ* a Parlamento evocatus ut inter *Westmonasterienses* Theologos consideret, & a coetu *Gallo-Londinensi* tum in Ministrorum suorum numerum cooptatus. De eo sic testatur vir omni exceptione major, sincerâ pietate scilicet, summoque animi candore atque eruditione multiplici clarissimus, Reverendus *Heraldus* ejusdem coetus jam Ecclesiastes dignissimus. *Audivi*, inquit, *nec id semel, nec id solus, & quoties id cogito prorsus stupore defigor, coaxatorem illum scelestissimum convitia contra Principis dignationem, vitam, & salutem è suggestu tamquam è plaustro conjicientem, in sanctissimum Principis caput stomachum erumpentem, ac venenatae linguae jacula contorquentem. Imò audivi, ut & alii permulti, hisce auribus inquam audivi impium istum & ἐναγῆ Sacrilegum ipsissima hac verba pro suggestu evomentem, ac plenis buccis, ' horresco referens, buccinantum atque intonantem.* *In Epistola Latina ad Amicum An. 1658. scripta; cujus exemplar ipsius Manuscriptum penes me est.* Quis hodie ' nobis dabit Zelum illum *Phineae*, qui cùm deprehendisset *Zimri*, hominem *Israëlitam* inter Primarios, Principem in *Israële*, unius ex Tribubus Caput, scortantem cum *Cozbi* foeminâ Madianitide è stirpe regiâ, ' apud Vicinos Madianitas (*& hoc non incassum, nec de nihilo dictum animum adverte*) oriundâ, utriusque titulis insuper habitis, utrumque spiculo, quod manu tenebat, transfixit, ipse priùs Zelo Dei transfixus. Sed hæc Lectori satis superque fuerint ut ex iis intelligat, jure ne an injuriâ *Presbyterianis* læsa olim Majestas objiciatur.

CAPUT

CAPUT. II.

De *Westmonasteriensi* Theologorum conventu.

Quæ habetur abs rerum nostrarum imperitis Nationalis Synodus Westmonasterii *Congregata, merum Schismaticorum Conventiculum fuit. Ratio Synodorum Anglicanarum. Describitur Conventiculum* Westmonasteriense. *Antiquam atque genuinam Ecclesiæ Anglicanæ Confessionem fidei, non novam ac spuriam illam* Westmonasteriensium *Syntagmati Confessionum* Anno 1654. *inseruerunt* Genevenses; *quo nomine Ecclesiam Anglicanam sibi obstrinxerunt quicquid ogganniat Apologista. Qualis fuerit Ecclesiæ* Scoticanæ *Politia a Reformatâ Religione. Quamquam talem esse fatentur Ecclesiæ Anglicanæ* Confessionem *Adversarii, ut ei bonâ conscientiâ possint subscribere, eam tamen obliterare conati sunt. De Clausulâ Articuli* 20. Ecclesia habet potestatem Ritus & Ceremonias constituendi, *an a* Prælatis *inserta, an vero a* Puritanis *erasa. Perperam negat Apologista penes Reges esse concionatores reformare, iisque materiam concionum suggerere, quæ ad ædificationem fidelium magis conducat.*

Queritur secundò Apologista Presbyterianis *Hæreseos notam immerito ab Hierarchicis inuri.* Sed quinam ex Hierarchicis notam illam *Presbyterianis* inusserint, quoniam nec dicit, nec vero dicere potest, quod sciam; (Nisi Aerianam Hæresin intelligat) nec id a me umquam affirmatum est. Quoniam etiam hic statim excurrit in laudes *Westmonasteriensis* Theologorum conventus, & Confessionis fidei ab iis editæ, haud abs re futurum puto si exteros qualis fuerit famosus ille Theologorum conventus melius edoceam, quam ex eorum libris mihi videntur eam rem hactenus edocti. Quæ habita est à plerisque rerum nostrarum imperitis, Nationalis Synodus *Westmonasterii* legitimè

Vide *Batei. Elench. Edit.* 1663. p. 53.

legitimè congregata, ea Schismaticorum, partim Theologorum, partim Laicorum Conventiculum fuit, contra leges Regni, contra canones Ecclesiæ, contra rationem Synodorum omnium in aliis Ecclesiis Reformatis usurpari solitam, coactum. Cogi enim apud nos Synodum Nationalem nisi annuente jubenteque Regia Majestate nefas; Nec ullis e Clero (si Archidiaconos, Decanosque Ecclesiarum Cathedralium excipias, quibus hoc pro muneris dignitatisque ratione incumbit) in Synodum coire licet, nisi electis a parte majore Cleri ejusdem Archdiaconatus in quo habent Beneficium Ecclesiasticum, aut Capitulorum quorum membra sunt, per libera suffragia. Laicis verò cum jure suffragii Synodis nostris interesse fas non est. Neque debet quicquam statuere inferioris Cleri consessus nisi annuente Episcoporum consessu, quemadmodum nec horum consessus quicquam decernit nisi consentiente inferioris Cleri consessu. *Westmonasterienses* verò Theologi, non collegarum suffragiis electi, non ab Ecclesiis missi, non Rege aut annuente aut jubente coacti: sed a factiosis rebellantis Parlamenti membris hinc indè prout è re sua maximè visum est, vocati, reliquo Clero Ecclesiisque prorsus inconsultis. Undè factum ut tot malesana capita venerabili isti conventiculo interfuerint, in quibus primas facilè tenuere, *Johannes de la Marche*, de quo supra, & *Petrus Sterry*. Quamquam æmulos non paucos habuere. Neque sanior fuit Laicorum delectus: undè *Philippus Pembroch.æ* Comes, & *Henricus Vane Henrici* filius: Ille, ne quid aliud dicam, satis notus; Hic *Anabaptisticis* furoribus notissimus; ad suffragia ferenda etiam de capitibus fidei, una cum Theologis in conciliabulum admissi. Quemadmodum autem Ecclesiæ Anglicanæ Clero jus Procuratores seu Delegatos eligendi & mittendi ad Synodum, a Rebelli Parlamento ereptum est; ita ipsi Pseudo-synodo Præsidem creandi libertas adempta. Nam Præsidem inconsulto conventu Parlamentum ipsum creavit, quomodo conventuales inconsultis Ecclesiis creaverat; Et jus novos Præsides porro creandi, si ferret occasio, ne quid non ad ipsius mentem in eo gereretur, nominatim sibi reservatum voluit. Quo factum ut defuncto *Twisso* suffectus sit *Herleus* furibundus ille *Presbyterianus*, de quo capite superiore. Vocati tamen seu ab honestioribus Parlamenti membris seu, dicis causâ, ad fucum faciendum viri aliqui doctrinâ, pietate, atque erga regem illibata fide conspicui, Reverendissimus *Usserius* Archipræsul *Armachanus*, *Hiberniæ* Primas; Reverendus D. *Morley*, & Reverendus D. *Earles*, hic postea *Wigorniensis* deinde & *Sarisburiensis*, ille nunc *Wintoniensis* Episcopus meritissimus; Itemque D. *Nicholson* & D. *Hacket*; ille jam *Glocestrensis* Ecclesiæ, hic verò *Litchfieldensis* vigilantissimi Episcopi; Clarissimus etiam *Hammondus* ὁ μακαρίτης, aliique non pauci (pauci tamen præ turba tenebrionum qui Schisma moliebantur, quique pro Synodi Nationalis Patribus

sese

ſeſe venditarunt) qui ne Regi, Eccleſiæ, Patriæ, ſibique injuriam facerent, vocantibus parere & conventiculo intereſſe conſtanter detrectarunt. Atque hic ille eſt Theologorum conventus quem pro Eccleſiæ Anglicanæ Synodo legitimâ minimè habendum innueram (Tractatus Anglicani, *pag.* 173.) quemque a *Genevatibus*, ut oſtenderem eos melius adverſum nos animatos eſſe, quàm perhibere ſolent *Presbyteriani*, pro legitima Synodo minimè habitum annotaveram. Quod mihi probè collegiſſe videor ex eo, quod cum *Corpus & Syntagma Confeſſionum fidei* Eccleſiarum per Europam Reformatarum *Genevæ* denuo excuderetur *Anno* 1654; Confeſſio fidei 39 Articulis comprehenſa, quæ in Eccleſiâ Anglicanâ obtinuit ab *Anno* 1562. regnante *Elizabethâ*, ſuo loco quemadmodum in prioribus editionibus inſerta ſit, quamquam non defuiſſent qui eam, quod a *Weſtmonaſterienſi* Theologorum conventu Rebellantis Parlamenti authoritate coacto, antiquata eſſet, expunctam vellent; & ſpuriam iſtam *Weſtmonaſterienſium*, quaſi geminam Eccleſiæ Anglicanæ Confeſſionem in illius locum ſubſtitui. Quod neque ab Academiâ, neque ab Eccleſiâ, neque a Senatu *Genevenſi* impetratum eſt; Quod tamen impetrari par erat, ſi conventum *Weſtmonaſterienſem Genevates* pro legitimâ Eccleſiæ Anglicanæ Synodo Nationali habuiſſent; &, ſi Hierarchia noſtra, quæ Articulo 36. antiquæ illius Confeſſionis, legitima aſſeritur, ipſis æquè ac *Presbyterianis* noſtris, qui eam pro Antichriſtianiſmo habent, exoſa foret. Sed non patitur Schiſmaticorum Apologiſta, ut eam gratiam *Genevenſibus* habeamus. Quid ita? *Quia Confeſſio* Weſtmonaſterienſis *non antè* Annum 1656. *latinitate donata eſt. Ea fortean cauſa eſt* (inquit) cur deſideretur in Editione *Genevenſi*, Anno 1654. Mavult venerabilium Theologorum ſuorum inſcitiam prodere, quam *Genevenſium* æquitatem erga Eccleſiam Anglicanam agnoſcere. Fuit ſanè Theologis *Weſtmonaſterienſibus* linguæ latinæ admodum curta ſupellex; ut ex eorum ad exteros datâ Epiſtolâ (cujus elegantias *Petrus Molinæus Petri* filius, Eccleſiæ *Cantuarienſis* Præbendarius ac Regiæ Majeſtati à Sacris, vir omni litterarum genere cultiſſimus, annotavit) videre eſt. Itaque fieri poteſt ut quam Anglicè ediderant fidei Confeſſionem, ea non ſit ante illud tempus in latinum converſa. Sed annon erant multi *Genevæ* qui Anglicè ſciebant? Annon illam Confeſſionem *Genevenſes* Gallico idiomate typis *Londinenſibus* diu antè editam legerant? Quam facili negotio igitur poterant *Genevenſes* ſi res tanti videbatur, illius verſionem latinam procurare? Sed eſto quod eam nec Anglicam intellexerint, nec Gallicam viderint: At ſciebant extare ejuſmodi Confeſſionem a *Weſtmonaſterienſibus* Theologis exaratam, eamque pro veteri eâ quæ antea obtinuerat, quantum in ipſis fuit, Eccleſiæ Anglicanæ ab iis obtruſam. Undè illis neceſſario incumbebat eam latinam facere, ut in opere ipſo præſtarent

Hierarchia Anglicana Antichriſtianiſmus ille eſt, cujus extirpationem ſolemni fœdere juravimus, Marſhallus concione in Pſalm 102. v.16,17. Anno 1645.

In Defenſione Eccleſiæ Anglicanæ Anglico Gallicoque idiomate edita.

præstarent quod in titulo pollicentur, scilicet, *Eas fidei Confessiones exhiberi quæ in diversis Regnis & Nationibus Ecclesiarum nomine fuerunt authenticè editæ, in celeberrimis conventibus exhibitæ, publicaque authoritate comprobatæ*; & ut, obliteratâ illâ priore (siquidem posteriorem istam pro Confessione Synodi Nationalis legitimè congregatæ habuerint) unà cum aliarum Ecclesiarum Confessionibus excuderetur, ne fraudem facerent Lectoribus, quibus alioqui pro Ecclesiæ Anglicanæ Confessione obtrusissent, quæ Ecclesiæ Anglicanæ Confessio non erat.

§. Quæ affert Apologista de Ecclesiæ Scoticanæ Confessione, eam scilicet in primâ Harmoniæ Confessionum Editione desiderari, nihil ad rem. Nam quum primò ederetur Confessionum fidei Harmonia anno Nulla tunc temporis fuit Ecclesiæ Scoticanæ Confessio, publicâ authoritate comprobata, quam cum cæteris ut authenticam evulgare posset *Gaspar Laurentius* earum Editor. Neque enim priùs authenticè comprobata est quam ei subscripsissent Regia Majestas & Ordines Regni; quod in Parlamento demum factum est *Anno* 1580. Deinde verisimile est, de Scoticanâ Confessione *Laurentio* ne auditum quidem quum Harmoniam primùm ederet; quod de *Westmonasteriensium* Confessione & Syntagmatis Editoribus *Anno* 1654. dici nequit. Adde quod *Laurentius* nullam aliam Confessionem Scoticanam, quæ antiquata ac repudiata diceretur, exhibuit. Neque felicius colligit Apologista ex Interpretis Scoticanæ Confessionis præfatione, *Genevenses* Ecclesiam Scoticanam, eo nomine, *quod ei nihil invisius sit quam Episcopus Dioecesanus, aliis Ecclesiis Reformatis anteferre.* Nam tantum abest, ut per eam quam Nobilissimus Interpres, *Apostolorum Disciplinam vocat, quam paulatim cum doctrinâ Christi unà receptam & secundum quam (quantum quidem fieri potuit) in totum regimen Ecclesiasticum administratum fuisse* dicit, *Presbyterianorum* paritatem innuat, ut contrà planum sit eum, non nisi Hierarchiam intellexisse, nec verò intelligere potuisse, cum constet, vel fatente ipso Apologistâ, superintendentes statim ab initio emendatæ religionis, Ecclesiis Scoticanis præfuisse; deinde & nomine & re Episcopos a *Jacobo* Rege iisdem præfectos *Anno* 1584. longè antequam sic versioni suæ præfaretur nobilissimus Interpres. Qua de re vide ipsum Serenissimum *Jacobum* in Præfatione Apologiæ Juramento fidelitatis præfixâ. Sed ut ad *Westmonasterienses* conventicularios revertatur oratio, Lectorum patientiâ abutitur Apologista, operamque atque oleum perdit, dum narrat qualis sit Confessio fidei quam Ecclesiæ Anglicanæ obtrudere enixi sunt, quidque de ea vel clarissimo *Molinæo* vel Reverendissimo *Usserio* aut alii cuicunque visum fuerit. Nam quamquam quæ hic habet tum de Confessione ipsâ, tum de viris præstantissimis, ea vera esse concederentur; non indè tamen efficeretur *Westmonasteriensium* conventiculum Schismaticum

ticum non fuisse; aut Confessionem, de qua agitur, ab iis ad exitiale Schisma faciendum in Ecclesia, non fabricatam; quod demonstratum oportuit: quodque numquam demonstrari poterit nisi prius Anglicana fidei Confessio Articulis 39. comprehensa, de quibus convenerat inter Archiepiscopos & Episcopos utriusque Provinciæ & Clerum universum in Synodo *Londinensi*, *Anno Domini* 1562. ejusmodi fuisse demonstretur, ut repudiari atque obliterari debuerit. Sed ne ipse quidem Apologista (quo tamen non alter est audentior aut confidentior homo) hoc affirmare ausus est; Cum contrà eam talem esse fateatur *ut illi subscribere* Presbyteriani *numquam detrectarint secundum formam statuti.* Responsione porrò dignum non est quod addit, *se nescire an hoc de suis Prælaticis dicere sustinebit Durellus*; cum constet neminem in Ecclesiâ Anglicanâ sacris ordinibus initiari, aut in ullum beneficium Ecclesiasticum induci, qui non priùs 39 Articulis subscripserit; Et privari quemlibet beneficio qui Articulos illos omnes & singulos ante mensem alterum ab inductione in suam Ecclesiam exactum publicè inter sacrorum solemnia non prælegerit atque approbaverit. Verum oscitanter prætereundum non est quod annotavit de Articulo vigesimo in quo agitur de *Ecclesiæ Authoritate*. *In eo Articulo*, inquit, *prout* Genevenses *Lectoribus illum exhibent, nec vola nec vestigium clausulæ illius*, Ecclesia potest instituere Ritus & Ceremonias; *Nec sanè extat illa clausula in Articulis* EDVARDI VI. *aut in Articulis* Elizabethæ: *Ita ut possibile sit obtrusam esse Ecclesiæ Præsulum audaciâ. In illâ tamen causæ suæ proram puppimque ponunt Hierarchici.* Ita sanè Articulus 20. Exhibetur in *Genevensi* Confessionum Editione; *Ecclesiæ non licet quicquam instituere quod verbo Dei adversetur, neque unum Scripturæ locum sic exponere potest ut alteri contradicat. Quarè licet Ecclesia sit divinorum librorum testis & conservatrix, attamen ut adversus eos nihil decernere, ita præter illos nihil credendum de necessitate salutis debet obtrudere.* An vero clausula de qua agitur in Articulis EDVARDI VI. extiterit necne, parùm refert; cùm multa in illis immutata fuerint *Anno* 1562. a Synodo Nationali sub *Elizabethâ Londini* habitâ. Ex quo Religionis Articulis non quales sub EDVARDO obtinuerant, sed prout fuerunt tum emendati, constanter subscripserunt omnes Ecclesiæ Anglicanæ Ministri. In iis autem sic Articulus integer exhibetur: *Habet Ecclesia Ritus sive Ceremonias statuendi jus, & in Fidei controversiis authoritatem; quamquam Ecclesiæ non licet quicquam instituere, quod verbo Dei scripto adversetur, nec unum Scripturæ locum*, & quæ sequuntur; quibus limitatur, juxta Reformatorum omnium sententiam, Ecclesiæ authoritas. Ita habet Articulus in omnibus Editionibus Anglicis (quas quidem mihi videre contigit) quibus usi sunt Parochi, Regnante *Elizabethâ* & deinceps, cùm juxta laudabilem

Pag. 6.

laudabilem Ecclesiæ Anglicanæ morem Articulos Religionis ante alterum ab Inductione in Ecclesias suas mensem exactum, publicè coram fidelium coetu prælegerunt & approbarunt. Cum autem a Puritanicâ factione, non multùm ante turbatam sub CAROLO I. *Magnam Britanniam*, quæ jam tum Schisma quod tandem perfecit, apertius quàm anteà moliebatur, de clausulâ illâ quæstio mota esset, missus est Notarius publicus qui Articulum ex autographo fideliter exscriberet, a quo productus est manu propriâ scriptus & subscriptus Articulus integer cum clausulâ qualem eum supra exhibui. Neque sanè absque eâ clausulâ legi potest, si debeat, quod aiunt, *nigrum rubro convenire*, hoc est, textus cum titulo congruere. Titulus enim Articuli sic habet, *de Ecclesiæ Anthoritate*. Jam si clausulam de qua quæritur, eraseris, Ecclesiæ authoritas nulla tribuetur; quod absurdum planè fuerit. Quì verò factum ut Articulum ita mancum *lacerumque crudeliter ora Genevenses* exhibuerint, non est difficilis conjectura. *Genevensibus* tam turpe facinus cave imputes. Non solent illi quos edunt libros, licet ipsis non usquequaque probentur, more Inquisitorum Pontificiorum expurgare. Articulum exhibuerunt juxta quandam Articulorum Editionem quæ (*Puritanorum* artibus dubio procul) *Anno* 1571. latine prodiit, in quâ clausula desideratur. Nam judicet æquus Lector utrum verisimilius sit, eam, cùm extet in ipso Synodi autographo & omnibus Editionibus Anglicis, Episcoporum fraude Ecclesiæ obtrusam fuisse, an verò *Puritanorum* artibus erasam. Certè qui integram Confessionem obliterare palam conati sunt, & quantum in ipsis fuit reipsa obliterarunt, illis injuriam fieri nemo dixerit, si deletæ unius Articuli clausulæ, cui præ cæteris malè volunt, accusentur. Interea; *Quis tulerit Gracchos de seditione querentes?*

Vide *Reverendiss. Laudi Cantuariens. Archiepiscopi orationem* in Camera Stellata *habitam.*

§. Narrat deindè Theophilo suo Apologista *quantum soleat* Cæsari *tribuere*; nam quid faciat Rex *Antiochus* ni fautorem habeat *Pyrgopolinicem*? Non vult tamen ut penes Principes sit reformare Concionatores & Parochos. At quæso te mi *Pyrgopolinices* quo jam statu res forent in Ecclesiâ Christi, ni Principes, Parochos & Concionatores, imò & ipsos Præsules reformassent, patrum nostrorum memoria? Et ni dixissent, *ita debes prædicare & sic concionaberis*; adeo ut mirum sit si, quod ais, id *Lutherus* improbaverit. Sed utut habeat, id semper licuit, ac porrò licebit piis Principibus. Neque est cur erubescant Episcopi nostri, si iis rogantibus, Rex Serenissimus Parochos & Concionatores a sublimioribus Electionis, Reprobationis, aliisque hujus commatis capitibus, quæ aliâ atque aliâ methodo, ac ferè nimio contentionis æstu, nec sine infirmiorum scandalo ubivis gentium tractari solent, inter concionandum abstinere jusserit, ne indè in Ecclesiâ jam nimiùm scissâ tandem gravius dissidium exoriatur; & ne dum istiusmodi quæstionibus toti distinentur Concionatores, intereà plebem sibi commissam in aliis Christianæ Religionis magis necessariis capitibus instituere, atque uti sobriè, justè, pièque vivere indesinenter hortari negligant. CAP.

CAPUT III.

De neglectâ a *Presbyterianis* Sacræ Eucharistiæ celebratione; deque omissa ab iisdem Orationis Dominicæ in Sacris coetibus recitatione. Quæ duo Apologista asserit a *Durello* illis perperam falsòque objecta.

Apologistæ in Durellum *convitia, & de eo injustæ querelæ. Quantum sit* Directorianis *circa neglectam sacræ Cœnæ celebrationem peccatum ex ipsius Apologistæ Confessione. Pluribus idoneis testibus, imprimis vero amplissimo Domino* Moricio *Regio Senatore ac Secretario status, necnon* Gulielmo Prynnio *probatur* Durellum *nihil hac in parte, quod non verissimum sit, de* Presbyterianis *retulisse. Orationem Dominicam a* Directorianis *& ipso* Mantono *Ministro* Presbyteriano *nominatissimo publicè omissam. Illius recitationi nullus locus assignatur in* Presbyterianorum Directorio *cultûs publici; sæpius apud omnes Ecclesias Reformatas in sacrorum celebratione repetitur, & benedictioni mensali in Belgio Reformato, & aliis locis addi solet.*

D*Urellus, inquit Apologista*, "pro sua mentiendi atque maledi-" cendi libidine, scribere non erubuit, eos qui inter Orthodoxos" nomina profitentur, vel penitùs omisisse Eucharistiæ admini-" strationem per multos Annos in plerisque Paroeciis trium" Regnorum, & in utrâque Academiâ (in *Oxoniensi* per duodecim" Annos, & quod excurrit, nulla erat communio) aut saltem ad eam" invitâsse selectas quasdam personas, interdicentes aliis quarum externa" conversatio erat sobria, honesta & pia. Quid faciam homini tam" gnaviter impudenti? Hæc Apologista paginis 7, & 8: secundæ Edi-" tionis.

" tionis. Et paulo post; Oxonii per 12 Annos ne semel quidem cele-
" bratam synaxim, putidum est mendacium. Et statim paginâ 9.
" Illa verò quam effrons est calumnia arcere *Presbyterianos* a commu-
" nione sacramentali, eos quorum vita est inculpata! Bona verba! Hic mihi videor vocem audire militis; atque eccum! ipsus est. O salve mi Pyrgopolinices! Hæccine illa est *Christiana moderatio* quam nobis pollicitus es? istucne est *secundum Christum, qui mitis est & pacatus, dimicare?* At *facit indignatio versum.* Oleum fortè *Durellus* addidit camino tuo jam plus satis calenti, unde tanto ardore inflammatur. Nequaquam. Nam ne verbum quidem asperius in *Presbyterianos*, nedum convitium toto Tractatu qui eos adeo malè habet, reperietur. Quin eos identidem fratres compello, & eo ipso loco ubi Pyrgopolinicem meum adeo iratum habeo, illos Orthodoxis accenseo. Verum commiseratione veniâque homo dignus est, qui furente caniculâ quum efferari canes solent, libellum suum scriptitavit. Sed ad rem. Primò, quod das accipio. A *Presbyterianis* neglectam in plerisque trium Regnorum Paroeciis *Sacræ Eucharistiæ* celebrationem dixi. De *Hiberniæ* regno silentio tuo consentire videris. De *Scotiâ* ais *te nescire, an de ullâ regni illius Paroeciâ saltem antequam fundamenta ejus a Cromwello* (& cur non ab *Argathelio Presbyterianorum* apud *Scotos* Coryphæo) *essent concussa, affirmari possit?* Quid tum si alii sciant, id experientia edocti! nam hic scire aut nescire tuum nihil est, hoc si sciat alter. Deindè cur tum omissa *Eucharistiæ* celebratio? Id enim *Cromwellus* non prohibuit. *At in* Angliâ *Pastores* Presbyteriani (*de plerisque & celeberrimis intelligi hoc volo*, inquis) *non magis Sacramento quam verbo greges suos defraudaverunt.* Ergo, vel te fatente, fuerunt *quidam*, & ii fortè *celebres*, quamquam non celeberrimi, qui cœnam Domini gregibus suis non præbuere. Fateris præterea, *fieri potuisse ut* Cantabrigienses *non pauci, rem esse minimè necessariam crederent communicare per symbola:* Nec inficiaris ab ipsâ Academiâ *Cantabrigiensi Eucharistiæ* celebrationem per multos Annos fuisse omissam; quod ego affirmaveram. Jam subducamus. De *Hiberniâ* non negas; De *Scotiâ* nescis; De *Angliâ* concedis *Pastores* Presbyterianos *quosdam*, & eos non *incelebres*, *Academiarum* etiam *alteram sacræ synaxeos administrationem omisisse:* imò verisimile esse ut *Cantabrigienses multi* condiscipuli contribulesque tui (quorum integra colonia, *Oxoniam* deducta, expulsis iis qui a Rege & Ecclesiâ Anglicanâ steterant) *sacram communionem rem esse minimè necessariam crediderint.* Nunquid verò, teipsum appello Pyrgopolinices, reliquum de quo inter nos non convenit, tanti erat, ut id propter plaustra convitiorum a Theologo *Puritano* qui se *Irenæum* vocat, in me conjici debuerint? *At* Oxonii *per duodecim Annos ne semel quidem celebratam esse synaxin putidum*

In præfatione statim initio.

putidum est mendacium, inquis. At quis hoc dixit? Non ego quidem. Relege verba mea etiam prout à te corrupta sunt. *Oxonium oppidum* & *Oxonium* seu *Oxonia Academia* non sunt idem. Ego non de oppido, sed de *Academia Oxoniensi* loquutus sum. Seu autem oppidum, seu *Academiam Oxoniensem* intellexerim, quid ad refutandum quod de *Presbyterianis* affirmaveram, si, quod ais, *Oxonii habita sint frequentissimæ synaxes ab Hierarchicis rigidioribus & congregationalibus*, hoc est, *Independentibus, in privatis cameris?* Præterea, *Oxoniensis Academia* intelligi potest, vel ut collegia omnia complectitur cum omnibus eorum tum Rectoribus tum Studiosis; vel ut constat *Vice-cancellario*, aliisque collegiorum Præfectis, sacræ Theologiæ & aliarum facultatum Professoribus, Academiæ Procuratoribus, & si qui sunt, qui præter hos, corpus Universitatis, ut loquuntur, constituant. Cæterum hoc non illo sensu dixi, non in *Oxoniensi Academiâ nullam fuisse communionem*, prout malæ fidei Interpres verba mea transtulit; sed, *Academiam Oxoniensem nullam celebrasse sacram synaxin per annos duodecim & quod excurrit*. Id autem ita certum, ita pro vero compertum, ita lippis & tonsoribus notum, ut in dubium vocari, nedum negari, nisi ab eo qui a *Presbyterianis* minimè læsam Majestatem affirmat, non potuerit. At quia abundantia juris, quod aiunt, non nocet, audiantur testes de re sibi comperta testimonium ferentes, quorum syngraphæ penes me sunt.

§. De Academiâ (quæ juxta statuta sæpius in anno sacram synaxim celebrare tenetur in æde sanctæ *Mariæ*) his verbis testatur *Richardus Heart*, ædis illius Clericus, quem vocant, cujus testimonium de rebus ejusmodi apud ipsos Magistratus validum esse solet. "Ego testor iis "omnibus quorum interest, quod a tempore visitationis Academiæ *Ox*-"*oniensis* anno 1648. usque ad felicem Regiæ Majestatis restitutionem "anno 1660. ne semel quidem in templo sanctæ *Mariæ* celebrata est "sacra synaxis à dicta Academia. De collegiis sic testantur viri clarissimi fideque dignissimi. "Nos quorum nomina subscripta sunt te-"stamur quod ab anno 1648. usque ad annum 1660. in Ecclesia Ca-"thedrali & collegio Aedis Christi *Oxoniensis* sacra Eucharistia nun-"quam celebrata fuit. *Th. Lockey, S. Theol. D. Ricardus Washbourne, S. Theol. Bacalaureus.*

"Nos infrascripti omnibus quorum hocce intererit, testatum faci-"mus; Quod per duodecennium & amplius (quo durante spatio Præ-"fecti Collegii *Jesu Oxon*, a Doctore *Roberts*, & Magistro *Howell* "successive occupata est (Amoto interim & excluso venerabili viro "*Francisco Mansell* S. Th. Professore, legitimo dicti Collegii Princi-"pali) nobis in dicto Collegio residentibus vel saltem nostrum alicui "nunquam non ibidem præsenti, neque ex ulla occasione comperire, ne-"que fando audire contigit, sacram synaxim, seu cœnæ Dominicæ com-

"memorationem

"memorationem in Capellâ dicti Collegii, per totum istud spatium, "celebratam fuisse; sive secundum Ritus, in *Directorio*, quod vocant, "præscriptos; sive secundum ullam aliam Administrationis formulam. "Testamur insuper (quod & nemo unus ex cœtu in dicto Collegio jam "tum commorante de se non fatebitur) Nos, per duodecennium antè "dictum neque submonitos neque rogatos fuisse ex parte illorum qui di-"ctam Præfecturam invaserant, ut nosmet ad certum diem pararemus vel "sisteremus ad sacram Eucharistiam participandam, in dicta Capella; "loco scilicet ad sacram synaxin juxta atque alia Religionis officia cele-"branda, in ipsa fundatione destinato. *Datum Oxonii 17. August. 1664. Tho. Ellis S. Th. Bac. Ben. Parry S. Th. B. Philippus Roberts A. M. Rob. Parry A. M.*

"Nos infrascripti testamur, per illud intervallum quod inter expul-"sionem Doctoris *Sheldon* Collegii omnium Animarum custodis atque "ipsius restitutionem intercessit (hoc est ab anno 1648. ad annum "1660.) nunquam quod aut novimus aut fando audivimus, sacram sy-"naxin ibidem omninò celebratam fuisse. *Tho. Millington Vice-custos. Jo. Prestwich senior socius.*

"Nos quorum nomina subscripta sunt, testamur, per illos omnes an-"nos quibus Dr. *Hoyle* & Magister *Johnson* se pro Magistris Collegii "Universitatis gessere, sacram synaxin celebratam non fuisse. *Rob. Norton A. M. Colleg. Universit. socius. Henricus Thomas A. M. ejusdem Collegii socius.*

"Nos quorum nomina infra scripta sunt testamur, quod in Collegio "*Sanctæ Trinitatis Oxon* per integrum duodecennium, quo, exulante "Rege, res Academiæ perduellium imperio agebantur, sacra Eucha-"ristia semel aut (quod fando audivimus) bis tantum celebrata fuit. *Rad. Bathurst. M.D. Collegii Sanctæ Trinitatis Præses. Nic. Meesey. Dan. Danvers.*

"Ego *Carolus Blount* testor sacræ Eucharistiæ Sacramentum in no-"stri Collegii Capellâ quoad certam meam memoriam nullo modo ce-"lebratum a tempore visitationis anno 1648. usque ad annum 1650. *Carolus Blount A. M. novi Collegii socius.*

"Idem testor ab anno 1651. ad annum prædictum. *David Thomas A. M. novi Collegii socius.*

"Idem testor ab anno 1652. ad annum prædictum *Henricus Deane LL. Bac. novi Collegii socius.*

Hæc testimonia ad me *Oxoniâ* transmisit vir humanissimus Reverendus *Johannes Fell* S. Th. Professor, Ecclesiæ Cathedralis Christi *Oxoniensis* Decanus meritissimus, atque omni eruditionis ac virtutis genere clarissimus, plura quæ de reliquis Collegiis idem affirment, si opus sit transmissurus; sed hoc plus satis ad hominis, licet supra modum confi-

dentis,

dentis, obterendam atque contundendam temerariam mentiendi licentiam.

Pagina 9. §. *Illa vero*, inquit, *quam effrons est calumnia, arcere* Presbyterianos *a communione Sacramentali, eos quorum vita est inculpata!* Quis non credat rem ab isto hic saltem serio agi? maximè cum *ad Directorium cultus, fidei Declarationem & Catechismum majorem Classicalium*, hoc est *Presbyterianorum* provocet. At jam diu didicimus *Presbyterianorum* declarationibus fidei, fidem non habendam. A fructibus eorum eos novimus; nec verba audimus, dum facta videmus. Regi fidelitatem juraverant, quem bello internecino persequuti sunt; seque humillimos Regis servos profitebantur, dum Majestatem Regiam conculcabant, & supra ipsum thronum Regium sese efferebant. Quia vero hic de *Presbyterianorum* Ministris propriè agitur; an non & ipsi Episcopis suis Canonicam obedientiam jurejurando promiserant? an non Liturgiam Ecclesiæ Anglicanæ cum Confessione fidei subscriptionibus suis singuli approbaverant? Episcoporum tamen jugum excusserunt, Liturgiam abjecerunt; Confessionem fidei obliterarunt. Itaque hic & semper non quid dixerint aut præ se tulerint, sed quid egerint, & ut se gesserint, advertendum. Eos vero ita se gessisse erga plebem Christianam, ut plurimos etiam integros vitæ, scelerisque puros a sacrâ synaxi arcuerint; nec nisi selectis personis cœnam Dominicam porrexerint, testantur scriptis publicis *Gulielmus Moricius* Eques Auratus Regiæ Majestatis a sanctioribus consiliis & Principalium Secretariorum status, (quos vocant) alter, vir amplissimus, multiplici eruditione clarissimus atque omni exceptione major; Ac *Gulielmus Prynne* jure-consultus, homo notissimus, *Pyrgopolinici* meo *pagina* 65 laudatus, & hîc, si ullibi, cùm Ecclesiam Anglicanam acerrimè semper oppugnarit & a *Presbyterianis* in cæteris semper steterit, fide dignissimus. Ille libro erudito quem de hoc argumento scripsit, cui titulus, *COENA*, ΚΟΙΝΗ, toto volumine: Hic libro qui inscribitur, *suspensio suspensa*, de eodem argumento; his verbis: "Quæ omnia refutant ac reprehendunt nuperam illam injustam, ne dicam impiam, Papisticam ac tyrannicam praxin "MULTORUM E MINISTRIS NOSTRIS, qui ex "nescio quibus novitiis phantasmatibus & prætensis conscientiæ scrupulis contra Antiquitatem, Scripturam, Leges ac constantem Ecclesiæ "praxin in omnibus sæculis, Sacramentum (*Eucharistiæ*) Parochianis suis administrare renuunt annos integros aut amplius, cœlestem illam Christi institutionem denegantes piis, licet illius usum enixè petentibus, æquè ac ignorantibus, scandalosis ac prophanis, hâc Christi "ipsius institutione ambitiosis animi sui propositis prostitutâ, ut eam "quasi suæ jurisdictionis faciant, & imperium impio hoc stratagemate "Deo pariter ac hominibus exoso in plebis conscientias usurpent. Eat nunc

nunc Apologista & nos effrontis calumniæ postulet. Sed non potest quo pede cœpit, non eodem porrò pergere.

"Alia, *inquit*, neque vera neque verisimilia nobis affingit *Durellus*, quale est illud *p.* 37. *Directorianos* plerosque, si non omnes, Orationem Dominicam per longum tempus in cultu publico non usurpâsse. At illud advertas quæso, quomodo neque verum esse neque verisimile probet. "Erat, *inquit*, in *Anglia* Theologus nominatissimus, Academiæ *Oxoniensis* per quinquennium Vice-cancellarius, qui censuit Orationem Dominicam non præscriptam esse, ut formulam verborum in precatione observandam: sed ut exemplar vel ideam juxta quam Orationes nostras dirigere debeamus. At hæc firmant quæ ego affirmaveram. Nam Theologus ille fuit *Directorianus*. "Atque hæc opinio tam altè animum insedit suum (*sic pergit eleganter Apologista*) ut semel cum divinissima illa verborum formula à *Presbyteriano* recitaretur, caput induere non vereretur. Ego id *Directorianis* nolui imputare; tum quod etsi hoc verum foret, iniquum videbatur, quod unius erat peccatum, illud in omnes derivare; tum quia vir ille id a se factum negavit in Epistolâ ad *Ludovicum Molinæum* Medicum data, quæ habetur in *Ludovici* opusculo quodam Gallico *Londini* typis *Dugardianis* edito. "Illi ut subpalparent (*sic iterum Apologista*) "Concionatores quidam in Academico templo (*illo ipso a quo tamdiu* "*Eucharistia exulavit*) Orationem Dominicam nunquam recitarunt. *Hi etiam omnes* Directoriani. Sed nullo hoc, *inquit*, Presbyterianorum vitio accidit, quorum ALIQUI, præsente magno illo viro Orationem Dominicam cum suis conjungere non dubitarunt. Non illorum quidem vitio accidit, ut omitteretur Oratio Dominica, qui eam ausi sunt cum suis conjungere; *sed Presbyteriani aliqui* duntaxat, non omnes ausi sunt illud tam audax facinus aggredi; cæteri autem, *Directoriani* itidem, *Presbyteriani* etiam, non ausi sunt. "Imò, *inquit*, pro eadem Apologias evulgarunt "elucubratissimas: Et hoc adversus *Directorianos*. Interim advertat Christianus Lector quo loci apud nos Religio Schismaticorum operâ devenerat, quum celeberrimæ Academiæ Vice-cancellarium ageret integrum quinquennium Theologus, cujus aures Orationem Dominicam ferre non poterant, quumque sanctissima illa precationis formula Apologiis indigeret. Addit deinde Apologista, "se nescire "an umquam extiterit veri nominis *Presbyterianus* qui Orationem "Dominicam Deo sæpius non offerret. At parum refert, sciat ne an nesciat. Nam præterquam quod tanti non est apud quemquam agyrtæ ejusmodi testimonium, non dicuntur *Directoriani*, seu illi *Presbyteriani*, seu *Independentes* fuerint (utrique enim *Directorium*

F sequebantur)

sequebantur) Orationem Dominicam Deo *nunquam* obtulisse; sed *eam per longum tempus in cultu publico non usurpasse.* Quod usque adeo verum est ut Dominus *Mantonus* jam lectori multis nominibus homo notissimus, *Presbyterianismi* assertor rigidissimus, cum concionem haberet in funere honestæ cujusdam Matronæ Gallicæ, vix unam aut alteram septimanam antequam sese sacro Ministerio abdicaret, præsentibus Reverendis viris D. D. *Geraldo*, *Frimirosio* atque *Feleo* cœtûs *Londino-Gallici* Pastoribus, suggestum ascenderit, deque eo descenderit, Orationis Dominicæ recitatione prorsus omissâ, quamvis precationes duas alteram antè, alteram post concionem per spiritum, uti loqui amant, hoc est, proprio marte fudisset; adeo illi familiare fuit Divinæ illius Orationis oblivisci. Alios nihil attinet hic commemorare, quum certum sit plerosque eorum Orationem Dominicam in cœtu publico non sæpius usurpasse, quam sacram synaxin celebrasse. Quod nemini debet mirum videri, quum in ipso *Directorio* nullus Divinissimæ Orationi locus assignetur, non antè, non post concionem; non in Sacramentorum administratione aut Matrimonii celebratione. Sed unico paragrapho *monent* tantum Directores, non jubent aut præscribunt, ut adhibeatur in precibus publicis. Quod ideò ab iis consultò factum est, ut eam usurpare aut prætermittere cuivis liberum esset, secùs atque in aliarum omnium Ecclesiarum Reformatarum Liturgiis & Agendis, in quibus, quemadmodum & in Liturgia Anglicana quam Directores eliminabant, ubi & quando cæteris addenda Dominica Oratio, expressè præscribitur. Quod ferè in quolibet officio fieri solet ac debet vel ex ipsius Apologistæ sententiâ; Cui, *quum vix aut ne vix quidèm possit quæ ad vitam & pietatem spectant particulatim a Deo petere, tutissimum videtur quà publicè, qua privatim, preces istâ Oratione concludere, ut quæ in iis omissa sunt, summatim a Deo postulentur.* Sed ne contribules suos secus sentientes offendat, subjungit illicò, *se non audere eos ideò ex albo Christianorum delere:* quasi vero quis eos propterea Mahumetanis annumeret. Quin & pro istis non dubitat ἀπολογίζεσθαι, *siquidem*, *Ecclesia antiquissima inquit*, *in cœtu promiscuo qualem vulgò in Angliâ habemus*, *non recitavit Orationem Dominicam*; illudque indè probari putat, quod *ea nisi sint veteres ad Sacrificium faciendum* (nota benè *Presbyteriani* hominis phraseologiam, quâ si Hierarchicus uteretur....) *quod non antè celebratum est quàm recederent Catechumeni ac Pœnitentes.* Quasi verò, quia tum recitabatur, inde sequatur non alio tempore recitari, aut recitari non debuisse, ex mente veterum, præsentibus Catechumenis ac Pœnitentibus; ideoque eos recessisse, ne audirent Orationem Dominicam. Sed esto quod antiquissima Eccle-

sia

ſia Orationem Dominicam non uſurpaverit, niſi dum celebraretur Euchariſtia; Quid tum? Ergo veniâ digni ſunt qui eam nunquam uſurpant neque omnino uſurpandam cenſent in cætu fidelium. Qualis conſecutio! Pudeat almam *Cantabrigienſem* Academiam ad Artium Magiſterium tam inſulſum diſputatorem admiſiſſe. Quæ affert ex D. VOETIO de uſu Orationis Dominicæ in aliis Eccleſiis Reformatis mihi nihil officiunt, nec *Directorianis* quicquam proſunt. Nam ſuppoſito quod ſint in Belgio Reformato Miniſtri, quibus quod libet licet, qualis eſt ipſe D. VOETIUS; nihil tamen a me annotatum circa uſum Orationis Dominicæ, quod in Eccleſiarum Reformatarum Liturgiis & Agendis non reperiatur; aut eorum praxi quotidianâ non confirmetur, ſcilicet frequentem illius uſum eſſe & in ſacrorum celebratione identidem repeti. Imo quod dicit Dominus VOETIUS, *Miniſtros quoſdam ſolam Orationem Dominicam antè & poſt concionem aliquando recitare*, & quot addere potuiſſet, nempe, menſali benedictioni vulgo addi ſolere in Belgio Reformato, ſicuti apud pleroſque Auguſtanæ Confeſſionis ſocios, eo nihil dici poteſt, quod *Directorianis*, qui illius uſum prorſus abjecerant, magis adverſetur. Quod liquebit ſi fiat inter Miniſtros illos Belgicos & Dominum *Mantonum* comparatio.

CAPUT IV.

De adorandi Orientem versus consuetudine, aliisque Numinis colendi ritibus in Ecclesiâ Anglicanâ observari solitis, ob quos Superstitionis à *Presbyterianorum* factione postulatur.

Presbyterianorum *rusticitas atque irreverentià in sacro fidelium cœtu. Ritus adorandi versâ ad Orientem facie indifferens habetur ab Ecclesia Anglicana. A* Bullingero *approbatur. Canon Synodi Nationalis* Londini *habitæ anno* 1640. *de isto ritu, deque situ Sacræ Mensæ. Quo sensu sit & dici possit Altare. Ejusdem Synodi Canon alius, quo continetur juramentum, quod à* Puritanis *odiosè dictum est juramentum* etcætera. *Gallicæ* Puritanorum *Apologiæ scriptor notatur ob ea quæ in illud juramentum deblaterat. Subjicitur ejusdem Synodi Canon alter de summarum potestatum imperio, & earum dictis parendi obligatione.*

Quod *meum esse commentum*, ait Apologista, *Presbyterianos valdè irreverenter precari in cœtibus suis, paucissimis genuflectentibus, multis ne pileos quidem exuentibus, sed nullam capitis partem vel tantum verticem nudantibus*, ut illius veritatem argumentis aut testibus adstruere laborem, haud operæ pretium videtur. Nam prætérquam quod ita vulgo notum non aliter plerosque eorum Numen coluisse, ut nisi ab isto negari nequiverit, id non ex aliorum relatu: sed ut mihi compertum, nempè propriis oculis sæpius visum, atque attentè nec sine indignatione &c. παροξύσμῳ τῦ πνεύματος observatum scripsisse professus sum, atque etiamnum profiteor. Deinde ex iis quæ supra de celebrationis atque administrationis Eucharistiæ negotio, inter nos disputata sunt, securus esse debeo, utri nostrum deinceps, mihi ne

ne affirmanti, an vero isti neganti Lectores sint fidem habituri. Tantum rogo fratres *Genevenses* aliosque Reformatos, apud quos verbum Dei in Ecclesia apertis capitibus audire, de geniculis orare, aliasque reverentiæ atque humilitatis significationes in cœtu fidelium edere moris est, ut cum inter eos divertuntur *Angli*, observare velint, qui differant hac in parte Ecclesiæ Anglicanæ filii genuini ac obsequentes ab immorigeris ac Schismaticis; atque utri sint *rusticitatis* seu potius irreverentiæ illius rei, in Domo Dei, *quam* Apologista *cordatiorem quemvis execrari ait.* Neque mihi refellenda puto quæ iste hic affert in Reverendissimum *Cantuariensem* τὸν μακαρίτην, aliosque viros Reverendos atque eruditissimos *de adorandi Orientem versus consuetudine*; aut quæ huc illuc spargit sine methodo & ratione de aliis Numinis colendi in Ecclesiâ Anglicanâ receptis ritibus, ad examen vocanda. Scio enim rem magis gratam magisque utilem Lectoribus facturum me, si quæ sit Ecclesiæ Anglicanæ super iis omnibus sententia, perspicuè ostendero. Quod ut ingenuè candidèque præstem, ipse Ecclesiæ Anglicanæ Canon de iis rebus in Synodo *Londinensi* conditus anno 1640. fideliter latinitate donatus, in medium à me proferendus videtur, de quo judicent Lectores, digladieturque Miles noster gloriosus cum latronibus suis, quantum libuerit. Sed Reverendissimum Antistitem ac Beatum Christi Martyrem, & quos ibidem allatrat, injuriâ affecero ni moneam haud melius cum eis ac mecum egisse Apologistam, cui solemne est, ubi adversus mea disputat, unum aut alterum duntaxat argumentum, quod quidem ipsi & fortè etiam mihi, cæteris infirmius videtur, e pluribus refutandum seligere, reliquis, quibus causa præcipuè nititur, omissis ac prorsus intactis. Cujus sophistices vide infra exemplum insigne, cap. Præterea Reverendissimi *Cantuariensis* & reliquorum mentem aut assequutus non est Apologista, aut iis omnibus sciens volensque imponit. Nam ita adversus eos disputat, ac si hunc adorandi ritum tanquam necessarium, ab omnibus, semper & ubique observandum urgerent; quem tamen ut convenientem tantùm, & antiquum, atque in Ecclesiâ Christi antequam Pontificiorum Superstitionibus cultus divinus inquinatus esset, usu receptum adeoque legitimum laudant ac defendunt. Quæ fuit *Bullingeri* quæque omnium esse debet sententia, quotquot Ecclesiam veterem in qua hunc ritum obtinuisse extra controversiam est, Superstitionis idcirco non damnant. Ecclesiæ Anglicanæ Canon sic habet.

De Calvini sententia circa Episcopatum.

Bullinger. *De cad.*

De quibusdam Ritibus ac Ceremoniis Declaratio.

" Quoniam optandum est in genere ut unitatem fidei sequatur uniformitas praxeos in iis quæ ad exteriorem Numinis cultum pertinent; " maximè ad præcidendas causas omnes tum uanarum suspicionum iis e

" nostris

" nostris qui sunt infirmiores; tum malitiosarum calumniarum iis qui " se Religionis nostræ hostes apertè profitentur; dum illi metuunt ne " quid innovetur in Religione; isti vero bona spe se lactant, Fore ut ad " eorum Papisticam Superstitionem relabamur ob sacræ Mensæ situm & " ad eandem accessum, Synodus declarat quod sequitur.

" Quod sacræ mensæ situs sub fenestrâ orientali Ecclesiarum Cathe- " dralium aut Sacellorum, ita ut laterum mensæ alterum parieti adhæ- " reat, res est naturâ suâ indifferens, utpote quæ verbo Dei neque præ- " cepta sit neque prohibita, sive expressè sive ex immediata consequen- " tia; atque ideo nec Religio ulla in illa collocari, nec scrupulus ullus " circa illam esse debet. Et licet quo tempore Religio a crassis illis Pa- " pismi Superstitionibus repurgata est, cura summa adhibita sit, ut quâ- " vis ratione earum non amor tantum sed & memoria e plebis animis " eradicaretur; maxime vero IDOLOLATRIÆ quæ in missâ committi " solet, quamobrem Altaria omnia Papistica diruta sunt: attamen eo ipso " tempore *Elizabethæ*, Beatæ Memoriæ Principis Injunctionibus ac mo- " nitis cautum est, ut sacræ Mensæ in eodem loco starent, in quo Altaria " steterant; Quem situm ex eo constanter habuere in trium Nobilissimo- " rum ac Pientissimorum Principum Sacellis, plerisque Cathedralibus ac " quibusdam Parochialibus Ecclesiis. Quo satis demonstratur cùm eo " & loco & situ sacræ Mensæ collocantur, nihil contra Leges fieri, ni- " hilque committi quod Papisticæ Superstitionis aut ullius innovationis " suspicionem jure possit suggerere. Æquum esse igitur atque expedire " judicamus ut Cathedralium seu Matrum Ecclesiarum aliæ omnes Ec- " clesiæ seu Capellæ hac in parte exemplum imitentur; salvâ tamen " semper Episcopo, quæ ipsi juxta Legem competit generali libertate (scilicet removendi sacram Mensam in alium locum si ita expedire visum fuerit in gratiam communicantium, quo tempore administratur sacra communio.)" Porrò declaramus eo sacræ Mensæ situ minimè innui eam " esse verum ac propriè dictum Altare, aut habendam esse pro vero ac " propriè dicto Altari, in quo Christus denuò in sacrificium realiter of- " feratur. Verùm & est, & nobis quidem Altare dici potest, quo sensu " ab Ecclesia primitiva Altare dicebatur, & non alio.

" Quoniam vèrò nobis experientiâ compertum est, quanta sit multo- " rum e plebe multis in locis irreverentia, sacræ mensæ aliis innitentibus " aliis pileos imponentibus, aliis etiam insidentibus, aliis vero subter eâ- " dem aut stantibus aut considentibus, dum Sacra peraguntur; Horum " aliorumque similium abusuum ut occasio præripiatur, æquum esse at- " que expedire Synodo videtur, ut sacræ Mensæ in omnibus Choris ac " Sacellis clathris decentibus circumdentur, quibus ejusmodi pejoresve " prophanationes ab iis arceantur.

"Quandoquidem verò Sacra cum omni εὐταξίᾳ ac reverentiâ ad-
"ministrari par sit, ideo æquum esse atque expedire judicamus juxta il-
"lud Sacræ Liturgiæ Parlamenti Decreto sancitæ; ACCEDITE, &c.
"ut singuli communicantes humiliter ac reverenter accedant ad sacram
"Mensam ut ibi accipiant Mysteria divina, quæ antea quibusdam locis a
"Ministro indecenter huc illuc deferebantur; nisi si (quod per locum
"aut alias ob causas sic fieri non liceat) ab Episcopo in sua ipsius juris-
"dictione aut aliis Ordinariis in suis, aliter injunctum fuerit.

"Denique cum Ecclesia sit Domus Dei, ipsius sacro cultui nuncupata,
"ac proinde mentibus nostris tum suggerere debeat quanta sit Majesta-
"tis illius bonitas atque magnitudo; Quin eas divini Numinis virtutes
"non interius corde solummodò, verum etiam exterius corpore confiteri
"atque revereri res sit in se pia, nobis utilis atque aliis ædificationi, ne-
"gari nequit. Nos itaque æquum atque utile imprimis arbitramur, id-
"que piis omnibus hujusce Ecclesiæ membris ex animo commendamus,
"ut reverentiam illam prompti facilesque Domino persolvant in ingressu
"atque egressu Ecclesiarum, Chororum & Sacellorum, genua humiliter
"flectentes ac corpora inclinantes, juxta antiquissimum purioribus tem-
"poribus, Ecclesiæ Primitivæ morem, ut & hujusce Ecclesiæ per annos
"complures Regni *Elizabethæ*.

"Quare antiquæ hujus consuetudinis instaurationem seriæ piorum
"omnium considerationi commendamus; non eo animo ut aut sacræ
"Mensæ aut Orienti aut Ecclesiæ, aut ulli rei ibi contentæ ullus cultus
"religiosus eo pacto exhibeatur; aut ut idem gestus in sacræ Euchari-
"stiæ celebratione adhibeatur ex ulla opinione corporalis præsentiæ
"Corporis Christi in sacra Mensa aut in elementis mysticis? sed ideo
"tantum ut magis illustretur Divina Majestas, atque ut Deo soli honor ac
"gloria debita tribuatur, & non alium ob finem. Seu autem hic ritus
"observetur seu omittatur, optamus ut hic locum habeat regula charita-
"tis ab Apostolo posita, scilicet ut qui eum usurpant, eos a quibus non
"observatur, minimè despiciant; & qui eum non observant, ne eos dam-
"nent à quibus observatur.

Quoniam verò illius tempestatis Clerum Anglicanum, maximè Reve-
rendissimum *Cantuariensem* & cæteros Præsules calumniis onerare *Pu-
ritani* non desierunt, ut eos intra & extra *Magnam Britanniam* Papis-
mi suspectos redderent; haud ingratum, scio, Lectoribus futurum est, si
ejusdem Synodi, cui præsidebant *Cantuariensis* & *Eboracensis* Archi-
episcopi, canonem sextum superiori addidero; unde liquidò constabit
quam immeritò tam odiosa illis nota a mortalium maledicentissimis in-
usta sit.

"Præsens Synodus cupiens testatam facere sinceritatem ac constanti-
"am suam in professione Doctrinæ ac Disciplinæ in Ecclesia Anglicana
"nunc

"nunc constitutarum; atque omnem à se propensi ad Papismum ali-"amve Superstitionem animi suspicionem amovere, statuit ut omnes Ar-"chiepiscopi, Episcopi aliique omnes Presbyteri ac Diaconi in locis ex-"emptis & non exemptis, ante octavum Idus *Novembris* proximè se-"quentis, jurent in verba sequentia adversus omnem innovationem "Doctrinæ aut Disciplinæ, *&c.*

"Ego *A. B.* Juro quod approbo Doctrinam ac Disciplinam seu Po-"litiam in Ecclesia Anglicana stabilitas, ut quibus omnia ad salutem ne-"cessaria continentur; Quodque ego sive per me sive per alium quem-"cunque directè aut indirectè non tentabo introducere ullamDoctrinam "Papisticam, Doctrinæ illi quæ sic stabilita est, contrariam; neque "unquam assentiar ut immutetur hujus Ecclesiæ Politia per Archiepis-"copos, Episcopos, Decanos, & Archidiaconos, *&c.* prout nunc stabi-"lita est, proutque eam jure stabiliri par est; neque ut umquam subjici-"atur usurpationibus ac superstitionibus Sedis *Romanæ*. Atque hæc om-"nia ego planè sincerèque agnosco, juroque juxta simplicem ac com-"munem sensum atque notationem eorundem verborum, absque ulla "æquivocatione, aut mentali evasione, aut ulla quacunque secreta reser-"vatione. Hocque ego præsto ex animo, volensque atque sincerè jux-"ta fidem Christiani hominis: sic me Deus adjuvet, in Christo Jesu.

Atque hoc illud Juramentum est quod à *Puritanis* odiosè vulgò diceba-tur *Juramentum* ETCÆTERA, quod vocem, *Archidiaconos* sequatur τὸ, &c. quasi quid perniciosum subintelligatur quod Synodi Patres apertè eloqui non ausi sint; licet verba sequentia planè innuant nihil ali-ud intelligi per illud, &c. quàm reliquum Ecclesiæ Anglicanæ Clerum, cujus partes aliquæ in administrandâ illius Politiâ. Imo eo impuden-tiæ dicam ne an vero vesaniæ pervenit ineptus ille *Puritanorum* Apolo-giæ Gallicæ scriptor, de quo supra in præfatione, ut per illud, &c. *Car-dinales, & ipsum Romanum Pontificem* (& cur non potius *Bonzos* Ja-ponenses & *Muftium Constantinopolitanum*? Nam clausulâ proximè sequenti expressè promittit, qui jurat, se numquam passurum ut Ecclesia Anglicana *usurpationibus Sedis* Romanæ *subjiciatur*) intelligi posse af-firmet; atque ideo Juramentum ipsum tanquam tyrannicam execra-bilemque Prælatorum machinam, furenti similis exagitet.

Apologie des Puritains d'Angleterre. p. 29.

Canon de Jure Summarum Potestatum.

§. Ejusdem commatis est quod eodem loco habet contra Canonem primum; ex quo vult Lectorem discere *quo Spiritu sint animati Præsu-les Anglicani*, cum itaque hic exscribam in eundem finem, & ut inde ju-dicent æqui bonique omnes, quid Principibus sit a *Puritanis* expectan-dum qui Canonem hunc publicè insectari non dubitant.

"Summus

" Summus facerque Regum Ordo, *inquiunt Synodi Patres*, juris est
" Divini, cùm sit Dei ipsius institutio ipsius naturæ legibus fundata, &
" expressis cùm Veteris tum Novi Testamenti verbis stabilita. Excellen-
" tissimo huic Ordini summa potestas a Deo ipso in Scripturis tribuitur,
" quæ in hac sita est ut Reges, omnes & singulos cujuscunque Ordinis ac
" conditionis Ditionum suarum personas seu Ecclesiasticas seuCiviles re-
" gant iisque imperent; utque gladio politico facinorosos omnes repri-
" mant & suppliciis debitis afficiant.

" Ecclesiæ Dei cura Regibus in Scripturis ita commissa est, ut si in viis
" Domini ambulet, laudem, sin ab iis aberret, vituperium consequantur.
" Unde liquet illius Gubernationem ad Regum curam præcipuè perti-
" nere. Alioqui fieri posset ut quis ob alterius curam aut culpam commen-
" daretur aut reprehenderetur; a quâ agendi ratione abhorret Deus.

" Jus omnium Regum ac Principum Christianorum proprium est in-
" tra Regna & Ditiones suas Concilia cùm Generalia tum Provincialia
" convocare ac dimittere. Cùm verò primis Ecclesiæ temporibus eo jure
" usi sunt Episcopi, id ab iis ideo tantum factum est, quia non agebant
" sub Christianis Principibus, ac pro ratione temporis & afflicti Ecclesiæ
" statûs, persecutionem scilicet patientis; adeo ut semper parati essent
" vel vitam suam (si juberentur) legibus ac constitutionibus, ipsorum eti-
" am Ethnicorum Principum submittere, ne vel terrenorum eorum
" Imperiorum (ad quæ firmanda, nullatenus autem convellenda venit
" Christus) turbatores viderentur.

" Si quis erigat, foveat, aut approbet in ullis eorum Regnis aut Ditioni-
" bus quocunque prætextu ullam coercivam independentem Potestatem,
" seu Papalem seu Popularem, directè aut indirectè, is summum eorum
" munus Regium labefactat, ac subdolè sanctissimam illam Ordinationem
" evertit, quam ipse Deus instituit; atque adeo læsæ Divinæ perinde ac
" Regiæ Majestatis reus evadit.

" Siqui subditi arma seu offensiva seu defensiva quocunque prætextu
" contra Reges suos gesserint, ii Potestatibus a Deo institutis saltem re-
" sistunt; & quamvis bellum non inferant, sed repellant, expressè dicit
" Apostolus fore ut in seipsis damnationem recipiant. Et quamquam Tri-
" buta, Vectigalia, atque omnis generis subsidia Regibus suis debent Sub-
" diti, idque jure Divino, Naturali & Gentium, cùm ab iis publicè defen-
" dantur ac protegantur: attamen Subditi non modò gaudent rerum sua-
" rum possessione, sed etiam jus habent ad eas omnes & in iis omnibus,
" atque uti habeant, æquum est. Quæ duo tantum abest ut sibi invicem
" adversentur, ut sibi opem mutuam ferant ad utriusque commodum ac
" honorificam sustentationem. Nam quemadmodum Subditis incumbit
" ut Regi suo subveniant, ita Regii Officii est adesse Subditis in asserendo
" eorum jure ad res suas, & ut iis liberè utantur fruantur.

CAPUT V.

De causis Ejectionis quorundam Ministrorum e Beneficiis suis in *Anglia.*

Apologistæ suo & contribulum nomine confessio sine pœnitentia. Tria Ejectorum Ministrorum genera; sc: 1. Alienorum Beneficiorum usurpatores. 2. Non ritè Ordinati. 3. Legibus cùm Politicis tum Ecclesiasticis immorigeri. Ingens numerus Ecclesiæ Anglicanæ Ministrorum & ipsi etiam Præsules universi, vi & armis ab iis qui se jam vocant Ejectos Ministros, Ecclesiis ac sedibus pulsi. Istis tamen Præsules vicem rependere noluerunt. Præsules Anglicani nihil agunt nisi ex prescripto legum Patriarum & Canonum Ecclesiasticorum. Ab eorum sententia ad Tribunalia civilia & ipsum Senatum Regium datur provocatio. Nulli tales Ministri in cæteris Ecclesiis Reformatis feruntur, quales ab Anglicanâ ejecti sunt. Iis nulla facta est injuria.

POllicetur Apologista se causas dicturum, cur ii quorum defensionem suscepit, e Beneficiis suis ejecti sint, *idque animo defæcato & ab omni partium studio alieno.* Quod si dictis facta respondissent, frustra essem in iis recensendis. Primò agnoscit, *justum esse Deum & justa ejus judicia, quoniam peccaverunt modo non uno contra Majestatem Divinam.* Hic jure expectes apertam sinceramque peccatorum confessionem; sed verbis ludit ita ambiguis ut quid sibi velit vix capias; aut si capis, factionis illius cordis duritiem, audaciamque mireris atque execreris. *In Deum peccavimus facta eorum imitantes,* inquit, *quos terra ante oculos nostros evomuit; fratrum lapsus quos velo Charitatis tegi oportuit, propalavimus.* Ego cujusvis dicta factaque quantum possum benignè interpretari soleo; At si per eos *quos terra ante* Presbyterianorum *oculos evomuit*, Clerum Anglicanum ac cæteros *Angliæ* subditos qui a Rege steterunt; & per *fratres quorum lapsus propalasse dolet*, Independentium Sectam intelligat, ut intelligere

telligere videtur (nam nec nos fratrum loco habet, quos ubique punctim cæsimque hostiliter ferit; nec lapsus nostros, quos in aprico ante orbis oculos ponit, dissimulandos fuisse putat; nec alios præter Regios *Angliâ* aut Beneficiis ejectos novimus) Quid hoc aliud est quàm conatuum, quibus suprà dixit, *Presbyterianos* Regis serenissimi restitutionem enixos & eidem juratæ fidei, quin & lacrymarum ob CAROLI primi parricidium effusarum pœnitere (nam quæ alia facta, propriè nostra, se imitatos possint dicere, non video) & *Independentium* in Ecclesiâ ἀταξίαν & in Republica ἀναρχίαν pro nihilo habere, & tantum non laudare. Expectet Christianus lector rerum nostrarum gnarùs, ut si pietatis aut justitiæ vel minimo sensu tanguntur, saltem cum *Adonibesec* exclament, *sicut fecimus, ita reddidit nobis Deus*; ac secum reputantes quæ in Sacro-sanctam Regum nostrorum Majestatem, quæ in Prælatos, quæ in fratres ac comministros peccaverunt; ingenuè tandem dicant; *Reges nostros Domo, Regnis, patriâ; Episcopos sedibus & alios Christi ministros Ecclesiis ac privatis ædibus pepulimus; justus est Deus, & justa Dei judicia; injustè cum eis egimus, justè, sed & clementer, nobiscum agitur.* Sed *Presbyterianorum* gens est, si nescis, maximam partem ἀμεταμέλητος καὶ ἀμετανόητος, *pœnitere* ac *resipiscere* nescia, ut frustra sis, si ab eis ejusmodi peccatorum confessionem expectes.

Ejectorum apud nos Ministrorum tria sunt genera. Quidam enim ideò è Beneficiis ejecti sunt, quòd ex iisdem, sæviente bello, usurpatoribusque rerum potentibus, alios Ministros *incumbentes* quos vocant, id est, possessores legitimos, ob servatam Regi atque Ecclesiæ fidem ejecerant; in quorum censu *Baxterus*. Alii verò ideo Beneficiis exuti quod absque legitimâ ordinatione sacri Ministerii functiones objêrint, & oblatam ordinationem legitimam juxta morem Ecclesiæ Anglicanæ, præfractè respuerint. Ejectorum Ministrorum apud nos tertium genus eorum est, qui quamvis Ecclesiis propriis præessent & ritè ordinati forent, Ecclesiæ tamen morem gerere, Præsulibus subesse, Liturgiam sacram usurpare, ac juxta illam sacra administrare, denique Declarationibus subscribere quas manu propriâ approbare lege tenentur quotquot in Ecclesia Anglicanâ sacro Ministerio fungi volunt, renuerunt. En veras causas eorum ejectionis pro quibus Apologiam *Theophilo Prudentio*, ejusque Amico summo Pyrgopolinici scribi oportere visum est. Pernegat tamen Apologista *Præsules nostros satis justas habuisse causas cur eos silere facerent, & profano vulgo deridendos propinarent*; quod jam nobis dispiciendum venit. Prius tamen Lectores monendi, ad invidiam tantum Præsulibus nostris creandam ab isto scribi, eos à sacri Ministerii functionibus *Presbyterianorum* Ministros removisse. Quamvis enim ii, quos jam vocant *Ejectos Ministros*, rebellantis Parlamenti viribus adjuti, non modo Ministrorum plura millia (aiunt circiter octo, per universam

 Angliam;

Angliam; centum & quindecim Ecclesias Pastoribus suis a *Presbyterianorum* factione viduatas fuisse in una Civitate *Londinensi* certum est) sed & omnes omnino Episcopos nullo non contumeliarum genere affectos, ex Ecclesiis non aliam ob causam ejecerint, quàm quod rebellionem adversus Regem fovere & cœptum in Ecclesiâ schisma promovere nollent. "Hi (*Presbyteriani*) inquit Clarissimus *Bateus*, sæviunt inmaniter in dissentientes, qui fœdere hoc (*Perduellium*) Sacro-sancto teneri renuunt, quamvis contra factionem Parlamentariam nihil ante admisissent; quamvis nullas impositiones & tributa detrectassent, imò sponte in militis Parlamentarii stipendia pecunias erogassent. "Curiones præsertim Ecclesiarum qui opimis fruebantur Beneficiis, ædibus, bonis & reditibus sequestri nomine spoliantur; ergastulis, subterraneis carceribus inclusi per annos plures, imò & navibus in fluvio Thamesi, idque effervescente jam æstate (deportatione intentatâ) nec auditâ causâ, neque accusatione allatâ, squalore jejuniis & vigiliis macerant. Non tamen illis vicem rependere voluerunt pòst restitutionem suam Episcopi; Quin eos in schismate perseverantes integrum biennium patienter tolerarunt, donec Parlamenti ipsius decreto Regiâ authoritate sancito, quotquot spretâ Episcopali Ordinatione (quæ sola juxta leges tam Politicas quam Ecclesiasticas apud nos valida est) à meris Presbyteris ordinari placuerat, ab officio; quotquot vero sacram Ecclesiæ Anglicanæ Liturgiam subscriptione approbare; Itemque perduellium fœdus solemne tanquam illegitimum; ut & eorum sententiam qui arma gerere contra Regis personam ac mandatum subditis licere docent, conceptis verbis damnare recusarunt, licet ritè juxta Ecclesiæ Anglicanæ morem ordinati, a Beneficio & Officii functionibus moti sunt. Neque ea est Præsulum nostrorum in inferiorem Clerum potestas ut iis quemquam ab Officio aut Beneficio movere pro libitu liceat; Canonibus enim Ecclesiasticis ac Politicis legibus circa sacra latis circumscribitur omnis eorum authoritas, nec quicquam ferè ullius momenti eorum arbitrio mero permittitur. Quod si quid contrà faciant aut fecisse putentur, datur ab iis ad Tribunalia civilia & ad Senatum Regium ipsumque Regem provocatio. Imo si quando lis oriatur de jure ad aliquod Beneficium Ecclesiasticum, ea non coram Episcopo (nisi fortè inter litigantes ita convenerit) sed coram Magistratu Civili dirimi solet. Quæ hic annotare visum est ut liqueat quam iniquè cum Reverendis Episcopis nostris agatur, ubi Apologista cæterique cum eo *Presbyterianorum* Ministri, si quid ipsis gravius accidisse videatur, id statim Præsulibus acceptum ferunt; licet istis propriè lis sit, non cum Episcopis sed cum ipsa Majestate Regiâ, cum ipso Parlamento, cum Ecclesiæ Canonibus, cum ipsis denique Patriæ Legibus. Jam videamus itaque num justas contra Regem, contra Parlamentum, contrà Canones Ecclesiæ, contra Patriæ Leges

Elench. Part. 1. p. 59.

Hoc ipse Apologista agnoscit. p. 91.

Leges tanto conatu exclamandi causas habeant; idque arbitris quotquot sunt in transmarinis Reformatorum Ecclesiis, viris cordatis.

§. Tria esse dixi Ejectorum jam apud nos Ministrorum genera; primum, Usurpatorum, qui aliorum Beneficia, pulsis possessoribus legitimis, vi & armis invaserant. *Secundum* eorum est, qui revera Ministri neque sunt neque umquam fuerunt, quique ideo Sacri Ministerii usurpatores rectè dici possunt. *Tertii* sunt qui nec Ecclesiasticæ Disciplinæ subesse, nec Regni Legibus parere volunt. Jam verò si ejusmodi Ministri, hoc est, 1. Alienorum bonorum invasores & tantum non latrones publici; 2. Ordinatione legitimâ destituti, ac quasi Sacrilegi; 3. Independentes & exleges, in Ecclesiis Reformatis nullibi gentium tolerentur, nemini sanè æquo rerum judici iniquum videbitur, quod ab hac nostra Anglicana Ecclesia ejiciantur. Constat autem Beneficiorum seu Ecclesiarum invasores, aut Sacri Ministerii usurpatores, aut Disciplinæ Ecclesiasticæ contemptores, aut Legum politicarum violatores, nusquam gentium a Reformatis tolerari; nec cuiquam, nisi legitimè, juxta cujuslibet Ecclesiæ morem ordinato, ac post fidem, de Ecclesiastica Disciplina legibusque politicis observandis, manûs propriæ subscriptione aut jurejurando, aut utroque modo, datam, Sacro Ministerio inter Reformatos fungi licere. Quum Ejectos quos vocant, Ministros clamantes audio injuriam sibi factam quod e Beneficiis ejecti sint; ideo quia vel ex iisdem legitimos possessores antea ejecerant; vel quia ab iis ordinati fuere qui ordinandi potestate apud nos minimè gaudent; vel quia Legibus tum Ecclesiasticis tum politicis obtemperare nolunt, eos audire mihi videor qui a Reipublicæ administratione amoti sunt querentes sibi quoque injuriam factam, quod solium Regium sibi ereptum Regi Serenissimo restitutum sit; quodque qui a *Crommello* aliisve usurpatoribus Judices creati fuerant, eosdem a Regia Majestate Judices denuo creari oporteat; aut Independentes denique aliosque Sectarios, quod ipsis in Ecclesia quod libitum est, etiamnum, prout non ita pridem, id non liceat. Nam utrobique par ratio est. Neque hìc attinet dicere Ordinationem a solis Ministris absque Episcopo in aliis quibusdam Ecclesiis Reformatis validam esse; nam & Judicum aliorumque Magistratuum, Summorum etiam creatio a Senatu populove facta, in aliis regionibus valet. Sed quid hoc ad Regnum Ecclesiamque Anglicanam in quibus, aliis moribus ac institutis vivitur. At quæstio est, inquis, de moribus istis, qui iniqui & improbi, deque istis institutis, quæ injusta, superstitiosa, Papistica, tyrannica dicuntur. At id gratis atque sine omni ratione dici mox patebit.

CAPUT VI.

De iis, qui contemptis Episcopis, a meris Presbyteris ad Sacrum Mnisterium ordinari voluerunt.

Quamobrem prætereantur primi generis Ejecti Ministri. Reordinari propriè dici nequeunt secundi generis Ejecti Ministri. Antiquitatis judicium de iis qui spretis Episcopis a meris Presbyteris ordinati sunt. Apologistæ ignorantia circa ea quæ in Transmarinis *Reformatorum Ecclesiis geruntur, & statum illarum Ecclesiarum. Novâ benedictione cum manuum impositione ad Sacrum Ministerium in Ecclesiis Reformatis Galliæ vocantur Sacerdotes Pontificii, ad puriorem Christianismum conversi. Eadem ratione apud easdem Ecclesias agi solet, ex Synodi* Vapincensis *decreto cum Diaconis* Bernensibus *&* Genevensibus *Apostolis, licet in pleno Ministerio constitutis, siqui eorum in Gallia Ecclesiæ curam suscipiant. Non eodem loco ac censu apud nos sunt* Transmarinarum *Ecclesiarum Reformatarum, atque Schismaticorum Anglicanorum Ministri. Istorum nova Ordinatio, illorum Ministerio nihil nocet.*

DE alienorum Beneficiorum Invasoribus, quorum non est numerus exiguus, altum in Apologia silentium; Quamobrem & nos, iis tanquam confitentibus reis hic præteritis, ad alias duas Ejectorum Ministrorum Classes transitum faciemus. Ac primò de iis agemus, a quibus, cum a meris *Presbyteris* contra Ecclesiæ Anglicanæ Canones ad Sacri Ministerii officium admissi sint, jam exigitur, ut ab Episcopis ritè ordinentur, si Beneficiis frui velint. At hic Apologista *duram admodum iniquamque iis conditionem* imponi clamitat. Quamobrem vero? 1. Quia viri antiquitatis Ecclesiasticæ scilicet observantissimi, ei nolunt hac in parte adversari. "Adversarentur
" autem

"autem *Primò* Canonibus Apostolorum, quorum sexagesimo septimo, " quisquis ab aliquo secundam Ordinationem susceperit, deponendus, "ut & is qui ipsum ordinaverit. *Secundò*, Concilio Capuæ. *Tertiò*, " Augustino contra Epistolam Parmen. l. 2. c. 13. *Quartò*, Gregorio " Epist. l. 2. Ep. 32. qui censet consecratum, non magis in eodem or- " dine consecrari debere quàm semel Baptizatum, iterùm Baptizari. " *Quintò*, Cypriano. 2. Quia nec in Ecclesiis Reformatis Gallicanis " denuo ordinantur ipsi Ecclesiæ *Romanæ* Sacrificuli; si qui Papismo " nuncium remittant. Nam licet hoc vulgo dicatur, at falsò tamen; " quod constat ex Tthesibus Sedanensibus. 3. Quia in ipsa Ecclesia " Anglicana regnante *Jacobo* Presbyteri Scoticani, ex ipsius *Bancrofti* " *Cantuariensis* sententiâ, ne cæteris Ecclesiis Reformatis fraus fieret, " nulla præeunte Reordinatione consecrati sunt Episcopi, teste *Spotswoodo*: Nec *Mortonus Dunelmensis* Episcopus, exterarum Ecclesiarum " Ministros nova Ordinatione consecrare voluit. 4. Quia hac ratione " conclamatum erit de Ecclesiis Reformatis, quarum conditionem cum " hac sua eandem esse contendunt. 5. Quia non sunt Schismatici; nec " si essent, ideo eorum Ordinatio irrita esse deberet. At hic totus in fallacia est, seu fallat seu fallatur. Nam & Ordinationem vocat quæ revera Ordinatio non est; & Reordinationem dicit quæ propriè & reverâ Ordinatio est. Sicuti jam in Præfatione observatum est; Quam videat Lector, unde ipsi constabit non modo, non iniquè sed clementissimè cum secundi generis Ejectis Ministris agi, nec nisi sibiipsis ejectionem suam eos acceptam ferre posse.

§. Sed ad singula Respondeo; *Primò, Canon Apostolorum, Concilium Capuæ, Augustinus, Gregorius*, de iis loquuntur qui ab Episcopis juxta Canones Ecclesiæ ritè ordinati sunt. Hic vero de iis agitur qui spretis Episcopis suis & conculcatâ Disciplinâ Ecclesiasticâ, cui subesse debebant, ab iis penes quos jus ordinandi non erat, ordinari voluerunt non alia de causa quàm ut animo suo obsequerentur. Quo autem loco ab antiqua Christi Ecclesia habiti sint, qui præteritis Episcopis Ordinationem a meris Presbyteris suscipere non dubitarunt, discat ex his *Athanasii* magni verbis de *Ischyrâ* quodam qui a Colutho *Alexandrino* Presbytero, ordinatus dicebatur. " Quo pacto, *inquit*, Presbyter *Ischyras*? " aut quo tandem authore constitutus? numquid scilicet a Colutho? " id enim restat: Atqui Coluthum in gradu Presbyterii mortuum, omnemque ejus manuum impositionem rescissam, omnesque ab eo constitutos in Laicorum Ordinem redactos esse, & sub nomine Laicorum " ad synaxin admissos, adeo apud omnes constat, ut nemo eâ de re dubitandum putet. Sed eat ad Canones Apostolorum ad quos provocavit. Secundus sic habet, " Presbyter ab uno Episcopo ordinetur, &

Athanas. Apol. 2.

" Diaconus,

"Diaconus, & reliqui Clerici. Sic autem trigesimus, "si quis Presbyter, contempto proprio Episcopo, seorsim Congregationem fecerit, "& alterum Altare fixerit, Episcopo suo in Religione ac Justitiâ nullâ in "re a se condemnato, deponatur, ut imperium obtinendi cupidus. Est "enim Tyrannus. Similiter & reliqui Clerici & quotquot ei accesserint. Quinquagesimus quartus verò sic, "si quis Clericus Episcopum contu-"meliâ affecerit, deponatur. Ex quibus discat utri deponendi, Episcopíne nostri in Religione ac justitiâ nullâ in re condemnati, an vero qui absque Episcopo ordinarunt & ordinati sunt; Qui contemptis Episcopis seorsim Congregationem fecerunt; Qui Episcopos nullo non contumeliarum genere affecerunt. Respondeo *secundò*, Quam minimi quamque temerarii homo judicii sit Apologista, vel in eo prodit, quod sibi objicit de praxi Ecclesiarum Reformatarum Galliæ circa Ecclesiæ Romanæ Sacerdotes ad puriorem Christianismum conversos. Nam seu id fiat, quod ab iis fieri dicitur, seu secus, nihil quicquam ad rem nostram. Itaque verissimè, licet alio sensu quam putabat, dixit, *Sacerdotum Pontificiorum Reordinationis in Ecclesiis Reformatis Galliæ post conversionem, ne meminisse quidem* Durellum; *quia invenire non potuit quo nomine pratexeret.* At illius tamen meminisse potuit, si id ad rem facere putavisset. Nam quod vulgò dici solet, eos nova manuum impositione consecrari priusquam ad Sacri Ministerii functiones admittantur, id verissimè dici vulgò notum est, licet solitâ temeritate falsum esse pronunciet. Quod si contradicant *Theses Sedanenses*, quod verisimile non est, debuerat Apologista nobis locum indicare, non autem Lectorem ad duo ingentia volumina, neque loco neque paginâ indicatis ablegare. Quod ipsi cum aliis sublestæ fidei Scriptoribus perquam familiare est. Sed esto quod Theses Sedanenses sic habeant, ut asserit Apologista, sicque se gerat Ecclesia Sedanensis erga Ecclesiæ Romanæ Sacerdotes qui Religionem Reformatam amplectuntur; scire debuit Ecclesiam Sedanensem cum sui juris sit, Ecclesiarum Reformatarum Galliæ Synodis non subesse, ideoque ex illius praxi, quid apud istas fiat aut non fiat, non posse cognosci. Hìc verò silentio prætereundum non est, quotquot in agro *Bernensi* adeoque cæteris Helvetiorum Pagis, *Diaconatûs officio funguntur* (sunt autem Diaconi apud Helvetios Reformatos in pleno Ministerio constituti. Verbum enim prædicant & Sacramenta administrant; neque ab iis differunt qui Pastores dicuntur ac Paroeciarum Rectores sunt, nisi in eo, quod nondum gaudeant Beneficiis Ecclesiasticis, sed illis sint veluti adjutores & administri (quod proprium Diaconorum munus est) donec Ecclesiam propriam, quam ipsi regant, adipiscantur) ut & *Apostolos Genevenses* quos vocant (his ruri in

agri

agri *Genevensis* Ecclesiis & verbum prædicare & Sacramenta administrare licet, quamvis curam animarum non habeant, nec ulli certo gregi præsint) si in Galliam commorandi causâ migraverint, non prius a Reformatis, Ecclesiis præfici, quam novâ manuum impositione, eodem planè ritu ac si forent meri Candidati, ad Sacrum Ministerium admittantur, idque ex decreto Synodi Nationalis anno 1603. *Vapinci* habitæ; *Articulo 9. Observationum in Synodum præcedentem.* Cujus facti sui ratio ipsis reddenda non mihi, cui jam satis illud annotasse, ut inde liqueat *Reordinationem* etiam propriè dictam, non esse Ecclesiis Reformatis Galliæ inauditam; Apologistam verò, cum de earum moribus ac institutis loquitur, de rebus ipsi, ut cui maximè, ignotissimis loqui. Ad *tertiam* rationem, Respondeo, vel ex eo quod hic ex *Spotswoodo* atque *Mortonianis* litteris affertur, liquere, quâm non eodem loco & censu sint & habeantur apud nos Ecclesiarum extra *Angliam* Reformatarum, atque Schismaticorum nostrorum, seu Anglorum seu Scotorum, Ministri; cum hi a nobis pro Ministris legitimis nequaquam habeantur; illis vero de Ministerio Sacro quo funguntur, litem ullam nunquam moverimus: cumque *Bancroftius Cantuariensis*, qui de iis adeo sollicitus fuisse a *Spotswoodo* perhibetur, Puritanorum oppugnator acerrimus & Episcopatùs rigidissimus assertor semper extiterit. Ad *quartam* facilis est ex præcedente Responsio. Nam quid periclitentur cæteræ Ecclesiæ Reformatæ si Anglicana suo jure suisque moribus utatur; si, quotquot Disciplinam Ecclesiasticis Canonibus Legibusque Politicis apud nos sancitam scientes volentes pro libidine contempserunt, & quantum in ipsis fuit funditus everterunt, eos jam, Dei beneficio restituta, cogat in ordinem; si quod a nonnullis perperam temerèque inceptum est, id jam refigi & ab iis rectè riteque fieri velit jubeatque; quid inquam, hinc periclitentur cæteræ Reformatorum Ecclesiæ, non video. Contra vero, si Schismaticorum nostrorum in Disciplinam Ecclesiæ Anglicanæ ausus temerarii rati-habeantur, mihi videntur omnes & singulæ in summo periculo versari, ne scilicet superbi turbulentique ingenii homines, quorum ubique nimius numerus, tam pernicioso exemplo cum impunitate conjuncto, invitati, ad evertendum constitutum apud eos Ordinem Ecclesiasticum impellantur. At par est, inquis, Presbyterianorum ac Ecclesiarum Reformatarum extra *Angliam* Ministrorum conditio. Quid differant capite sequente demonstrabitur. Sed dato, non concesso, quod inter illos discrimen nullum intercedat, Quid tum? Sunt & Respublicæ, in quibus nec Monarcha imperat, nec Optimates præsunt. De earum tamen salute conclamatum non est, ideo quòd Perduellium apud

H nos

nos, ſubverſâ Republicâ, & antiquis Regni *Angliæ* reſtitutis legibus, pulſi Magiſtratu ſint, quotquot ad illum ab uſurpatoribus provecti fuerant; nec cuiquam ullo jam munere Politico, niſi prius Regiæ Majeſtatis impetrato diplomate, fungi liceat. Nempe jus Regnandi apud Gallos Helvetiorum Reipublicæ nihil nocet; Nec Eccleſiis Reformatis Galliæ aut aliarum Regionum eâdem ratione conſtitutis, Eccleſiæ Anglicanæ Hierarchia quicquam officit. Ad *quintam* rationem, Reſpondeo non ideo Ejectorum hujuſce ſecundæ Claſſis Miniſtrorum Ordinationem invalidam cenſeri, quod a Schiſmaticis, ſed quod ab iis penes quos jus ordinandi non eſt, ordinati ſint. Utrum autem Schiſmatici jure habeantur necne, ſequenti capite videbitur, in quo quid differant Eccleſiarum extra *Angliam* Reformatarum Miniſtri, a Sacri Miniſterii apud nos uſurpatoribus manifeſtum fiet.

CAP.

CAPUT VII.

Quid differant Ecclesiarum extra *Angliam* Ministri a Schismaticis Sacri Ministerii apud nos usurpatoribus.

Quandonam & quo fine Schismatici vulgato Puritanorum abjecto nomine Presbyteriani dici voluerint. Quibus rebus differant Reverendi Ecclesiarum Reformatarum Ministri a Ministerii Sacri apud nos usurpatoribus. Unde isti Schismatis rei peraguntur quod crimen ab iis amoliri frustra conatur Apologista. Concessiones Sereniss. Regis CAROLI I. *eos nihil juvant: Nec prodest iis juramentum a Sereniss.* CAROLO II. *in Scotia praestitum.* Fulwoodus Humphreiusque *vindicantur.*

UBi primum Schisma apud nos Puritanorum factio ante annos vigintiquinque meditata est, statim odioso apud cordatos omnes in Transmarinis Reformatorum Ecclesiis *Puritanorum* nomine deposito, *Presbyterianorum* appellationem studiosè adoptavit. Eo pacto scilicet se earum Ecclesiarum extra *Angliam* Reformatarum in quibus & Sacris & Ecclesiæ præsunt Presbyteri meri absque Episcopis, gratiam inituros homines astuti putarunt; quippe qui eandem quæ apud eas obtinet, Politiæ Ecclesiasticæ formam unicè sibi arridere, vel hac ipsa nomenclatione testarentur; atque exinde Sacri Ministerii in Ecclesia Anglicana usurpatorum ac verbi Divini Ministrorum in illis Ecclesiis parem esse rationem constanter pro data occasione affirmarunt. Unde Pyrgopolinices, qui non modò suam & suorum sed & *Regis Seleuci rem curare* solet, nec jussus nec rogatus, eorum etiam Apologistam agit. Quo dici non potest quam sint in viros præstantissimos injurii, quos iis artibus, ut graviore casu ruant, in Schismatis apud nos incœpti, aliorumque facinorum a se perpetratorum societatem trahere, eorumque animos in nos nostrorumque vicissim in eos exacerbare, atque ita æternum inter nos dissidium, quantum in ipsis est,

creare

creare satagunt. Quum autem & scriptis publicis, & privatis ad me aliosque datis litteris, quæ cum bona eorum venia publici juris factæ sunt, ostenderint multi Ecclesiarum Exterarum, Gallicanarum imprimis magni nominis Theologi, se Ecclesiam Anglicanam summo affectu summâque veneratione prosequi; nec Prælatis nostris pejus quàm sibimet velle, postulat æquitas ac fraterna Charitas, ut quæ sit inter eos ac Presbyterianorum Ministros Schismaticos differentia, & quàm ideo diverso apud nos amoris atque existimationis loco sint, semperque fuerint, disertè hic coram omnibus manifestum faciamus. *Primò*, quod secessionem ab Ecclesia Romana, ob illius Idololatriam, Tyrannidem, Superstitiones, erroresque atque corruptelas varias, facere debuerint primæ Reformationis ubique gentium Ministri, quotquot apud nos Reformatam Religionem profitentur, uno ore affirmabunt. Nam iis nobisque Ecclesiæ Romanæ nuncium remittendi causæ communes. Cur verò ab Ecclesia Anglicana Presbyteriani discederent, cur illius Politiam abrogarent, cur Sacris interesse renuerent, cur Liturgiam Sacram quâ utebatur unà cum Confessione fidei obliterarent, causas justas necessariasque habuisse nemo Reformatus dixerit. Quin ipse Apologista *Ecclesiam Anglicanam veram esse Christi Ecclesiam a qua separari non liceat* (quod tamen ii ausi sunt, pro quibus apologiam scripsit) disertis verbis fateri cogitur. *Secundo*, Qui Sacris Ordinibus initiati inter Reformatos non erant, non ideo ad meros Presbyteros se contulerunt ut ab iis ad Sacri Ministerii munus admitterentur, quod ab Episcopis nollent ordinari; sed quod non essent in iis regionibus ubi degebant, Episcopi qui eos, nisi prius Pontifici Romano ejusque erroribus aliisque corruptelis mancipatos, ordinare dignarentur. *Facile possent Episcopi legitimam obedientiam retinere*, inquit *Melancthon* (& quotquot Confessioni *Augustanæ* subscripserunt, inter quos *Calvinus*) *si non urgerent servare traditiones, quæ bonâ conscientiâ servari non possunt. Nam imperant cœlibatum, nullos recipiunt nisi jurent se puram Evangelii Doctrinam nolle docere. Ego certè* inquit *Georgius* Princeps *Anhaltinus*, *Pium Episcopum Brandeburgensem, Reverendum Dominum* Matthiam de Jagau, *qui puram tum Doctrinam, Dei beneficio, norat & profitebatur, & verum Sacramentorum usum jam receperat & manifestos in Ordinatione abusus abolerat, per Sacellanum meum D.* Jacobum Styrium, *ad ordinandum me rogavi; ac præstitisset is mihi officium, sicut summâ eum voluntate jam antè promiserat; nisi misericors Deus ante tempus, eum ex hac evocasset vitâ, nec enim erat tum in his terris, qui hoc præstaret Episcopus alius.* Undè aut Ecclesias omni verbi ac Sacramentorum Ministerio destitui, aut ad Sacrum Ministerium *quâ ratione fieri potuit*, eos admitti oportebat. Nostri verò Presbyteriani Episcopos Orthodoxos ad manum habebant, qui nihil ejusmodi, sed ea tantum quæ in aliis Ecclesiis

Pagin. 186.

In Augustana Confessione cap. de potestate Ecclesiastica.

Georgii Princ. Anhalt. Oper. Præfat. De Ordin. fol. 62.

clesiis Reformatis a quolibet Ministerii candidato exigi solent; ab iis exigebant; nempe Confessionis fidei, quam Orthodoxam agnoscit ipse Apologista, subscriptionem; Liturgiæ Sacræ approbationem atque usurpationem,& superioribus debitam subjectionem. Neque aliæ Pastoribus viduæ Ecclesiæ erant, præter eas quarum Pastores ejecerant ii qui se jam Ejectos Ministros vocant. *Tertio*, Ecclesiæ Anglicanæ Episcopos semper honorificè compellarunt, & omni reverentiâ pro datis occasionibus, coluerunt aliarum Ecclesiarum Reformatarum Ministri; quo satis testati sunt, se non Episcoporum suorum ὑπεροχὴν, sed corruptam fidem aversatos. At Præsulibus nostris *Presbyteriani Ærianorum* æmuli, non de Doctrina, quam omnes cum ipsis eandem profitebantur, sed de munere atque dignitate tantùm, litem moverunt; quosque ideo solùm quòd Episcopi essent, omni contumeliarum genere affecerunt. *Vide supra cap. 5. apud Epiphan.* *Quarto*, Ita jam a longo tempore comparatæ constitutæque res sunt in iis Ecclesiis Reformatis quæ Episcopis destituuntur, ut licet Episcopos maximè vellent, iis tamen necessitate Politicâ pene ineluctabili (quamquam non æquè dura nec iisdem rationibus omnes) carere cogerentur. Adeo ut hodiernis Ministris imputari jure nequeat, quod non sint ab Episcopis juxta veteris Ecclesiæ morem canonicè ordinati. Ecclesiæ vero Anglicanæ a prima Reformatione ad hunc usque diem semper præfuerunt Episcopi, a quibus debuerunt faciléque potuerunt Ordinationem suscipere Presbyterianorum Ministri quibuscum jam nobis lis est. *Quinto*, Aliarum Ecclesiarum Reformatarum Ministri eam omnes Ordinationem habent quæ in Ecclesiis, in quibus Sacro Ministerio funguntur, probatur & obtinet; nostris vero Presbyterianis ab iis ordinari placuit, quibus Ecclesia Anglicana ordinis potestatem neque unquam permisit, nec permittendam credidit. *Sexto*, ex superioribus constat Ecclesiarum Reformatarum extra *Angliam* Ministros nec Schismaticos esse nec Schismaticis annumerandos, utpote qui nec ab ipsa Ecclesia Romana ultro, sed justis de causis ac necessitate coacti, nec nisi quatenus ab Ecclesia primitiva prius ipsa discesserat, abierunt; nec ab Episcopis ordinari æquis conditionibus renuerunt; nec denique in Ecclesiarum suarum Politiam ac Constitutiones quicquam peccarunt; Presbyterianorum vero Ministros a meris Presbyteris ordinatos, Schismaticos esse & jure merito Schismaticis accensendos, utpote qui ab Ecclesia Anglicana, *quam veram Christi Ecclesiam, a qua separari nefas*, ipsi agnoscunt, spontè, & absque omni ratione discessere; qui Episcopos suos nihil præter æquum ab ipsis postulantes, superbè contemptos, quantum quidem in ipsis fuit, gradu dejecere; qui denique Disciplinam Ecclesiasticam contumaciter violatam funditus evertêre.

§. Verùm Schismatis infamiam ab iis depellere conatur Apologista his rationibus, 1. *Quia exors & supereminens Præsulum potestas, authoritate*

tate Parlamentariâ abolita est, cum ii de quibus loquimur manum ferulæ vix subduxerant. 2. Quia Serenissimus CAROLUS in Colloquio Neoportensi concesserat ut *per triennium obtineret regimen Presbyteriale.* 3. Quia CAROLUS II. ad illud promovendum *juramento postea in Scotia se obstrinxit.* Mirabar quid sibi vellet Pyrgopolinices, nunquam non satis aliàs feroculus, sub finem Præfationis cui nomen meum præfixit, cùm *de carceribus & exiliis quæ ipsum expectant* flebiliter sermocinatur. Sed debuit & mala crux, quâ se hic dignum reddidit, ipsius oculis obversari cum hæc scriberet. Majestatis enim rei sunt apud nos statuto quodam CAROLI II. quicunque audent affirmare *potestatem leges novas ferendi aut veteres abrogandi, esse penes utrumque Parlamenti consessum, excluso Rege. Prælati*, inquit, *Presbyterianis Schismatis notam absque omni ratione inurunt, quia exors & supereminens Præsulum potestas, authoritate Parlamentariâ abolita est.* Ecquando inquam, penes Parlamentum fuit Politiam Ecclesiasticam patriis legibus & Ecclesiasticis Canonibus sancitam, aut ullam aliam vel minimi momenti hujusce Regni legem haud consentiente, nedum reclamante, Majestate Regiâ, abolere? Eâdem ratione perduellionis crimen immeritò Parlamentariis exercitibus impingi dicas, quum Parlamentariâ authoritate adversus Regem conscripti fuerint. Sed quæro a te an sint Schismatis rei si Prælatorum potestas tum abolita non fuerit? id videris concedere. Atqui constat non modò ex jam dictis, sed & ex secunda tua ratione eorum potestatem tum haud abolitam fuisse. Nam quid sibi voluisset illa concessio Regia de futuro per integrum triennium Presbyterianorum Regno & quid eâ opus erat, si Potestas Episcoporum authoritate legitimâ jam antea abolita fuisset? Sed nec causam tuam quicquam juvat ipsa Regia concessio. Neque enim Presbyterianos ita in hac Ecclesiâ Regnum umquam occupare voluit Rex Serenissimus, ut quemquam absque Episcopi consortio Sacris Ordinibus initiarent meri Presbyteri. Illud enim semper Reverendis Christi Antistitibus reservatum voluit. Sed licet ordinandi jus in totum meris Presbyteris concessisset, nec sic quidem eos a Schismate absolveris; quum Regia concessio; præterquam quod fuit conditionalis (nempè si pax Magnæ Britanniæ, si Regi sua authoritas redderetur) à Parlamento seu potius a nova in ipso Parlamento exorta factione. Nihil nisi extrema volente jubenteque, superbè repudiata sit; Nec si tum obtinuisset, quicquam faceret ad eos excusandos qui antea à meris Presbyteris ordinati fuerant; aut qui illos, cum meri Presbyteri essent, ordinaverant. Nam hos etiam volumus vel imprimis Schismaticis annumerari. Ad juramentum a Rege Serenissimo in Scotia præstitum quod attinet, vix gratiam tibi habituri sunt fratres *Scoto-Presbyteriani* quod hic mihi eorum proterviam in Serenissimum Regem perstringendi, licet obiter tantùm, occasionem

præbueris.

præbueris. Scilicet pati noluerunt ut Serenissimus Princeps Regnum avitum apud illos reciperet, ni ipsi unà regnarent per universam Magnam Britanniam; nec fidelitatem Carolo Regi priùs jurare voluerunt, quæ fuit eorum æquitas ac moderatio, quàm eum jurejurando adegissent ad pollicendum se operam daturum ut eorum factio rerum potiretur quam latè patebet ejus imperium: sed præterquam quod juramenti illius tanquam vi extorti atque iniqui ab ipso Parlamento Scoticano cui præstitum fuerat, postèa obligatio omnis soluta est,; quid Scotorum Regis juramentum ad Regni Anglicani subditos? Aut si validum etiamnum foret, quid ad eos qui antea aut ordinaverant aut ordinati fuerant contra Canones Ecclesiæ & Regni leges? Verum & hic & alio loco Pagina Ministrorum transmarinorum nòmine litem nòbis movet Apologista, quod licet dicamus disparem esse eorum & Presbyterianorum conditionem, *utrisque tamen ex æquo apud nos præcludatur aditus ad beneficia Ecclesiastica, qui tamen patet ordinatis in Ecclesia Papana.* At quis non videt illud ipsum Bernenses Diaconos queri posse de Ecclesiis Gallicanis, si prout iste narrat, ordinati in Ecclesia Romana, ab illis Ecclesiis non reordinentur ut illis pateat aditus ad beneficia Ecclesiastica; Diaconis autem Helveticis Apostolisque Genevensibus præcludatur, nisi velint novo ritu ad Ministerium consecrari juxta decretum Synodi *Vapincensis*, de quo capite superiori. Sed Lector discere poterit ex Præfatione nostra ut studiose cautum sit Ecclesiarum Exterarum Ministris, eo ipso Parlamenti decreto quo ordinati a meris Presbyteris e beneficiis ejiciuntur & ab omni Sacri Ministerii functione prohibentur, ne quas pœnas in istos decerni placuit si secus fecerint, eædem fratribus transmarinis irrogentur.

§. Priusquam huic capiti finem imponam, flagitat præstantissimi *Fulwoodi* virtus atque eruditio, ne illum prætercam. Fuit ille diu Presbyterianorum Disciplinæ addictus: sed ita tamen ut moderationem semper servaverit; adeo ut rigidioribus Presbyterianismi assertoribus scripto publico, etiam ante restitutum Serenissimum Regem sese opponere non dubitaverit. Regiâ Majestate restitutâ, egregium Tractatum presso nomine, in lucem emisit, in quo de superiorum potestate circa Adiaphora, deque inferiorum parendi obligatione circa eadem, moderatè, brevitèr, perspicuè, nervosè edisserit. De restituendis, aut novis ferendis legibus circa Adiaphora tum apud nos consultabatur, cùm Tractatum illum emisit. Totus itaque in hoc incubuit, ut ostenderet quid Superioribus in eo negotio liceat, & quousque inferiores parere teneantur, & ut istis persuaderet ne superiorum mandata leviter & re non satis pensitatâ detrectent; illis ne nimium sibi in subditos licere putent. Tractatum illum alius excepit, quem sugillat Apologista, in quo solidè demonstrat nihil a Superioribus circa Adiaphora præceptum jam in Ecclesia Anglicana

quod.

quod non possit bonâ conscientiâ a Ministris Reformatis observari. Atque hic ille est quem veluti levis armaturæ militem, Pyrgopolinices meus qui semper loricatus ac cataphractus incedit, quique uno spiritu integras legiones difflare solet, obiter tantum sibi perstringendum & conviciis afficiendum putavit. *Fulwoodum* tamen quem Machæra petit, haud ferit. Nam Reordinationem ille inter Adiaphora nusquam posuit, nec de ea nisi obiter tantùm egit; contentus Lectorem ad *Humphreium* amandasse, non quòd ostendere desperaret, ut iste somniat, a meris Presbyteris apud nos ordinatos, ab Episcopis ritè juxta Ecclesiæ Anglicanæ morem ordinari oportere: sed quòd, quibus argumentis *Humphreius* (vir alicujus sanè nominis atque existimationis apud sanioris sincipitis Presbyterianos, nec eruditionis contemnendæ, utut a glorioso milite contemnatur) adductus est ut Sacris Ordinibus ab Episcopo initiaretur, licet a Presbyteris Schismaticis jam ordinatus esset, iisdem & alios ut idem facerent adductum iri, verisimile crederet; Adeo ut oleum & operam perdiderint *R. A.* & *R. I.* quicunque tandem sint, si nihil aliud sibi proposuerint quàm ut probarent adversus *Fulwoodum* Reordinationem non esse Adiaphoram. Quod verò ait Apologista *Humphreium haud sibi satisfecisse in secundis ordinibus*, in eo facit *Humphreio* injuriam, qui non sibi aliisque ejusdem census, hoc est ordinatis a meris Presbyteris absque Episcopo, Ecclesias deserendas putat, quod ipsis Sacro Ministerio fungi non liceat, priusquam Episcopali manuum impositione ordinati fuerint: sed quod omnes Ecclesiæ Anglicanæ ritus nondum approbet. Nam si nihil ab illis exigatur nisi ut Sacros Ordines accipiant ab Episcopo, tum parendum, nec idcircò Sacro Ministerio nuncium remittendum censet. Quam esse *Humphreii* sententiam testantur passim ipsius scripta, nec ipse interrogatus, scio, diffitebitur. Unde liquet quàm appositè Reverendus *Fulwoodus*, ordinatos a meris Presbyteris ad *Humphreium* amandaverit. Sed non est cur ægrè ferat quod ipsi Ejectorum Ministrorum Apologista imposuerit ac convitiatus fuerit, quum nec *Humphreio* & ipsi Ejecto Ministro, sed cæteris modestiori æquiorem se præstiterit.

CAPUT VIII.

De eorum Miniſtrorum Ejectione qui nec Politicis nec Eccleſiaſticis legibus ſubjici voluerunt.

Cur novis jurisjurandi formulis ac declarationibus Schiſmaticorum ſidem explorare viſum eſt. Novæ jurisjurandi formulæ ſeu declarationes. Veteres quibus Schiſmatici conſtringi non potuerunt. Declarationum prior Eccleſiaſticam Diſciplinam, Liturgiam, & Ceremonias tantùm reſpicit; Poſterior ad Regni Politiam ſpectat. Utrique ſubſcribere recuſant Schiſmatici. Juramentum fœdus ſolenne dictum, illicitum fuiſſe oſtenditur.

EJectorum e Beneficiis in Anglia Miniſtrorum Tertia Claſſis eorum eſt, qui nec Eccleſiaſticis Canonibus ſubjici, nec Politicis legibus obſequi voluerunt. Nihil opus eſt hic multis oſtendere quam horrendam iſti cum aliis earumdem partium hominibus, confuſionem in Eccleſiam inque Rempublicam Anglicanam pernicioſo Schiſmate ſuo invexerint. Nam præter quam quòd id verbis ſatis explicari nequit, vix ullus adeo hoſpes eſt in *Iſrael* qui non fando ſaltem de nuperis turbis in Anglia ab hiſce ipſiſmet hominibus excitatis audiverit. Iis tamen omnibus à Regum longè maximo longèque optimo clementiſſimè condonatum; nec pœna gravior eorum cuiquam irrogata, quàm ut ſe Regi Legibuſque in poſterum præſtarent morigeros. Verùm quoniam multorum annorum experientia nimis docuerat quàm parum ejus indolis hominibus fidendum, quàmque parum conſuetorum juramentorum obligationes valuiſſent, ad eos in officio continendos; Uterque conſeſſus Parlamenti Regiam Majeſtatem ſupplex oravit, & tandem anno a reſtitutione tertio, exoravit, ut lege ſanciretur, ne cui deinceps niſi prius duabus hiſce declarationibus manu propriâ coram Epiſcopo ſubſcripſerit, Sacro Miniſterio in Eccleſia Anglicana fungi liceat, aut ullo beneficio Eccleſiaſtico gaudere, qui non ante menſem alterum poſt admiſſionem,

easdem declarationes conceptis verbis coram fidelium cœtu clarâ voce pronunciaverit. Declarationes sic habent; Prior; *Ego* A. B. *hic declaro assensum ac consensum meum haud fictum iis omnibus ac singulis quæ in libro cui titulus*, Liber Precum *Communium & Administrationis Sacramentorum & aliorum Rituum & Ceremoniarum Ecclesiæ, juxta usum Ecclesiæ Anglicanæ unà cum Psalterio seu Psalmis* David, *punctuatione ita distinctis ut cantandi aut recitandi sunt in Ecclesiis; ut & forma & modus consecrandi, ordinandi ac faciendi Episcopos, Presbyteros & Diaconos, continentur aut juxta illum præscribuntur.* Posterior, *Ego declaro quod non licet quocunque prætextu arma gerere adversus Regem; quodque detestor proditoriam illam positionem, scilicet, posse Regiâ authoritate arma geri contra Regis personam & contra eos qui Regio mandato præsunt rei bellicæ; atque quod conformem me præstabo Liturgiæ Ecclesiæ Anglicanæ, prout jam lege constituta est. Præterea declaro me in ea esse sententia neque me neque alium quemquam, virtute illius juramenti, quod* SOLEMNIS LIGA ET FOEDUS *vulgò dicitur, obligari ad procurandam ullam mutationem sive alterationem Ecclesiastici seu Politici Regiminis; Imo illud ipsum juramentum fuisse ex se illicitum, atque hujusce Regni subditis impositum contra notas leges ac libertates hujus Regni.* At hìc dicet fortè aliquis; Quid opus erat eos novis Subscriptionibus onerari, cùm tribus Articulis Canone 3 contentis quotquot Sacris Ordinibus initiantur, ante Ordinationem subscribant? Nihil utique, si quod manu propriâ approbaverant, in eo permansissent, & quod verbis solemnibus se facturos promiserant, id reipsa præstitissent. Siquidem Articulo primo, *Rex unicus & supremus esse dicitur secundum Deum Moderator hujusce Regni omniumque aliorum ipsius Dominiorum ac territoriorum, tam in omnibus spiritualibus sive Ecclesiasticis rebus aut causis, quàm in Sæcularibus. Secundo verò affirmatur, quod liber publicæ Liturgiæ, & Episcopos, Presbyteros & Diaconos ordinandi & consecrandi nihil in se contineat, quod verbo Dei sit contrarium; quodque eodem qualis est uti liceat: Promittitur etiam juxta formam quæ in illo libro præscribitur, exclusâ omni aliâ, Sacra peractum iri.* Tertio denique, *Triginta novem Articuli Religionis, quibus Ecclesiæ Anglicanæ Confessio fidei continetur, omnes & singuli sine discrimine verbo Dei consentanei agnoscuntur.* Sed quum nihilominus plebem ad rebellandum adversus Regem, quem Supremum & unicum hujus Regni moderatorem agnoverant, pro concione indesinenter concitaverint; Quum Liturgiam, utut a se approbatam & per multos annos usurpatam (quod & semper se præstituros subscriptâ manu propriâ promiserant) omnino repudiaverint; Quum denique triginta novem Articulos, quorum singulis ut Orthodoxis, calculum adjecerant, ab Ecclesia eliminaverint, validioribus vinculis quàm quæ olim effregerant posthac constringendas

gendas fuisse feras usque adeo indomitas, ne denuo in suam nostrûmque omnium perniciem, sicuti antea, erumperent, nemo prudens non videt. Ejusmodi autem visæ sunt duæ supra memoratæ Declarationes, quarum priore Ecclesiæ paci, posteriore Regiæ Majestati tranquillitatique publicæ consulitur. Vix enim aut ne vix quidem Ecclesiæ pax apud nos saltem, sine uniformitate cultûs umquam futura est quicquid somnient Pseudo-Politici. Regia autem Majestas tranquillitasque publica semper periclitabuntur, quamdiu munera publica seu Ecclesiastica seu Politica ii gesserint, quibus Ecclesiæ Regnique Politiæ mutationem vi & armis aggredi per conscientiam sibi aliisque licere persuasum est. Unde non tantùm Ecclesiæ Ministris, sed & cuilibet vel minorum gentium Magistratui, Politiæ imo rei bellicæ præfecto, æque ac ipsis consilii Regii Senatoribus posteriori Declarationi subscribere incumbit; ne cui inposterum tàm pernicioso dogmate infecto aditus pateat ad ullum munus publicum seu in Ecclesia seu in Republica; nisi fortè hypocritis, a quibus, quum aliud sentiant, aliud præ se ferant, ut caveas impossibile est. Hic verò quid iniqui, quid duri, quid quod ullo modo jure reprehendi queat? Quid quod, non ubique gentium & Ecclesiarum fiat, aut verò fieri possit debeatque? Nam prior non differt a Subscriptione qua solent Ministri in aliis Ecclesiis Reformatis assensum & consensum suum Disciplinæ precumque publicarum & administrationis Sacramentorum formulis testificari; ac sine qua nemo ad Sacrum Ministerium admittitur. Posterior verò æquivalet juramento fidelitatis quod præstare debent omnes omnium Regnorum Rerumque Publicarum Subditi, quotiescunque, quacunque forma aut quibuscunque verbis summo Magistratui visum fuerit. Huic tamen posteriori Declarationi vel imprimis subscribere detrectant Tertiæ hujusce Classis Ejecti Ministri, usque adeo perniciosam Regibusque metuendam Jesuitarum doctrinam, quâ subditi ad rebellandum adversus Principes concitantur, miseri imbiberunt. His vero an tutum sit Ecclesias committi, judicent quotquot judicio valent in aliis Ecclesiis Reformatis. Quin Clementissimi Regis indulgentiæ summæ acceptum ferre debent, quod e Beneficiis tantùm & non etiam ex *Angliâ* ejiciantur. Nam quum sit eadem Ecclesiæ, eadem Reipublicæ facies, idem utriusque status qui fuit quum utramque vi & armis oppugnarunt; Quumque atrocissimâ illâ rebellione se nihil Regiam Majestatem læsisse; nihil Ecclesiæ, nihil Reipublicæ nocuisse, nulloque peccato conscientiam onerasse etiamnum contendant, quis non videt per unum virium defectum stare quominus novas turbas cieant; adeoque non alio quàm hostium publicorum loco habendos, quos procul amoliri par est? Sed utantur fruantur Regis magnanimi clementiâ; tantùm Deum optimum Maximum veneror ne abutantur. Hanc Declarationem Apologista dicit primò in Præfatione se ob causas quas habet multas ac graves, consultò prætermittere; deindè

easdem declarationes conceptis verbis coram fidelium cœtu clarâ voce pronunciaverit. Declarationes sic habent; Prior; *Ego* A.B. *hic declaro assensum ac consensum meum haud fictum iis omnibus ac singulis quæ in libro cui titulus*, Liber Precum *Communium & Administrationis Sacramentorum & aliorum Rituum & Ceremoniarum Ecclesiæ, juxta usum Ecclesiæ Anglicanæ unà cum Psalterio seu Psalmis* David, *punctuatione ita distinctis ut cantandi aut recitandi sunt in Ecclesiis; ut & forma & modus consecrandi, ordinandi ac faciendi Episcopos, Presbyteros & Diaconos, continentur aut juxta illum præscribuntur.* Posterior, *Ego declaro quod non licet quocunque prætextu arma gerere adversus Regem; quodque detestor proditoriam illam positionem, scilicet, posse Regiâ authoritate arma geri contra Regis personam & contra eos qui Regio mandato præsunt rei bellicæ; atque quod conformem me præstabo Liturgiæ Ecclesiæ Anglicanæ, prout jam lege constituta est. Præterea declaro me in ea esse sententia neque me neque alium quemquam, virtute illius juramenti, quod* SOLEMNIS LIGA ET FOEDUS *vulgò dicitur, obligari ad procurandam ullam mutationem sive alterationem Ecclesiastici seu Politici Regiminis; Imò illud ipsum juramentum fuisse ex se illicitum, atque hujusce Regni subditis impositum contra notas leges ac libertates hujus Regni.* At hic dicet fortè aliquis; Quid opus erat eos novis Subscriptionibus onerari, cùm tribus Articulis Canone 3 contentis quotquot Sacris Ordinibus initiantur, ante Ordinationem subscribant? Nihil utique, si quod manu propriâ approbaverant, in eo permansissent, & quod verbis solemnibus se facturos promiserant, id reipsa præstitissent. Siquidem Articulo primo, *Rex unicus & supremus esse dicitur secundum Deum Moderator hujusce Regni omniumque aliorum ipsius Dominiorum ac territoriorum, tam in omnibus spiritualibus sive Ecclesiasticis rebus aut causis, quàm in Secularibus. Secundo verò affirmatur, quod liber publicæ Liturgiæ, & Episcopos, Presbyteros & Diaconos ordinandi & consecrandi nihil in se contineat, quod verbo Dei sit contrarium; quodque eodem qualis est uti liceat: Promittitur etiam juxta formam quæ in illo libro præscribitur, exclusâ omni aliâ, Sacra peractum iri.* Tertio denique, *Triginta novem Articuli Religionis, quibus Ecclesiæ Anglicanæ Confessio fidei continetur, omnes & singuli sine discrimine verbo Dei consentanei agnoscuntur.* Sed quum nihilominus plebem ad rebellandum adversus Regem, quem Supremum & unicum hujus Regni moderatorem agnoverant, pro concione indesinenter concitaverint; Quum Liturgiam, utut a se approbatam & per multos annos usurpatam (quod & semper se præstituros subscriptâ manu propriâ promiserant) omnino repudiaverint; Quum denique triginta novem Articulos, quorum singulis ut Orthodoxis, calculum adjecerant, ab Ecclesia eliminaverint, validioribus vinculis quàm quæ olim effregerant posthac constringendas

gendas

gendas fuisse feras usque adeo indomitas, ne denuo in suam nostrûmque omnium perniciem, sicuti antea, erumperent, nemo prudens non videt. Ejusmodi autem visæ sunt duæ suprà memoratæ Declarationes, quarum priore Ecclesiæ paci, posteriore Regiæ Majestati tranquillitatique publicæ consulitur. Vix enim aut ne vix quidem Ecclesiæ pax apud nos saltem, sine uniformitate cultûs umquam futura est quicquid somnient Pseudo-Politici. Regia autem Majestas tranquillitasque publica semper periclitabuntur, quamdiu munera publica seu Ecclesiastica seu Politica ii gesserint, quibus Ecclesiæ Regnique Politiæ mutationem vi & armis aggredi per conscientiam sibi aliisque licere persuasum est. Unde non tantùm Ecclesiæ Ministris, sed & cuilibet vel minorum gentium Magistratui, Politiæ imo rei bellicæ præfecto, æque ac ipsis consilii Regii Senatoribus posteriori Declarationi subscribere incumbit; ne cui inposterum tàm pernicioso dogmate infecto aditus pateat ad ullum munus publicum seu in Ecclesia seu in Republica, nisi fortè hypocritis, a quibus, quum aliud sentiant, aliud præ se ferant, ut caveas impossibile est. Hic verò quid iniqui, quid duri, quid quod ullo modo jure reprehendi queat? Quid quod, non ubique gentium & Ecclesiarum fiat, aut verò fieri possit debeatque? Nam prior non differt a Subscriptione qua solent Ministri in aliis Ecclesiis Reformatis assensum & consensum suum Disciplinæ precumque publicarum & administrationis Sacramentorum formulis testificari; ac sine qua nemo ad Sacrum Ministerium admittitur. Posterior verò æquivalet juramento fidelitatis quod præstare debent omnes omnium Regnorum Rerumque Publicarum Subditi, quotiescunque, quacunque forma aut quibuscunque verbis summo Magistratui visum fuerit. Huic tamen posteriori Declarationi vel imprimis subscribere detrectant Tertiæ hujusce Classis Ejecti Ministri, usque adeo perniciosam Regibusque metuendam Jesuitarum doctrinam, quâ subditi ad rebellandum adversus Principes concitantur, miseri imbiberunt. His vero an tutum sit Ecclesias committi, judicent quotquot judicio valent in aliis Ecclesiis Reformatis. Quin Clementissimi Regis indulgentiæ summæ acceptum ferre debent, quod e Beneficiis tantùm & non etiam ex *Angliâ* ejiciantur. Nam quum sit eadem Ecclesiæ, eadem Reipublicæ facies, idem utriusque status qui fuit quum utramque vi & armis oppugnarunt; Quumque atrocissimâ illâ rebellione se nihil Regiam Majestatem læsisse; nihil Ecclesiæ, nihil Reipublicæ nocuisse, nulloque peccato conscientiam onerasse etiamnum contendant, quis non videt per unum virium defectum stare quominus novas turbas cieant; adeoque non alio quàm hostium publicorum loco habendos, quos procul amoliri par est? Sed utantur fruantur Regis magnanimi clementiâ; tantùm Deum optimum Maximum veneror ne abutantur. Hanc Declarationem Apologista dicit primò in Præfatione se ob causas quas habet multas ac graves, consultò prætermittere; deindè

ipsa Apologia ait illam se consultò prætermisisse, *tum quia aliqua ex parte civilis est, nolle autem se in Juristarum messem falcem immittere; Tum quia obligatio Ligæ & fœderis solemnis ab aliis non indiligenter ventilata est.* Laudo hominis, non modestiam, modestia enim non est, sed astutiam, qui id consultò prætermittit quod novit se nulla ratione tueri posse, contentus dixisse *secundam Declarationem ea continere quæ viro bono scrupulum injicere possint.* Quod si verum est, si virorum bonorum non hypocritarum conscientias ullus scrupulus urgeat circa ea quæ ista Declaratione continentur, operæpretium fuerit illos hac in parte molestiâ omni liberare. Hæc ea Declaratione continentur, 1. *Non licere sub ullo quocunque prætextu arma gerere adversus Regem.* 2. *Detestandam proditoriam illam positionem, scilicet posse Regiâ authoritate arma geri contra Regis personam, & contra eos qui Regio mandato præsunt rei bellicæ.* 3. *Usurpandam Ecclesiæ Anglicanæ Liturgiam.* 4. *Neminem virtute illius juramenti quod solemnis Liga & fœdus vulgo dicitur, obligari ad procurandum ullam mutationem sive alterationem Ecclesiastici aut Politici Regiminis.* 5. *Juramentum illud fuisse ex se illicitum atque hujusce Regni subditis impositum contra leges ac libertates hujus Regni.* De tertio Articulo nihil opus est jam dicere; quoniam prima Declaratione, de qua mox fusè dicturi sumus, continetur, sed ad cæteros. Supponamus hoc theorema inter dubia censeri posse (quod tamen extra omnem controversiam esse debet) *subditis non licere quocunque prætextu adversus Regem arma gerere*, &c, *proditoriam* ideoque *detestandam hanc esse positionem*, scilicet, *posse authoritate Regiâ*, &c. At ex quo lege sancitum est id non licere, imo proditorium detestandumque esse; Quin idem, (cùm in eo nihil sit quod fidei aut bonis moribus adversetur) a subditis declarari possit ac debeat si jubeantur, nulli non nodos in scirpo quærenti & in scrupulis confingendis male ingenioso, dubium esse potest. Supponamus itidem ambigi posse (quod tamen in ambiguo non est) num juramentum *Solemnis Liga & fœdus* dictum, fuerit ex se illicitum, & contra leges ac libertates hujus Regni subditis impositum; a quo petenda dubii illiusmodi solutio? An a Leguleiis quod vult Apologista, unde magnam partem fundi nostri calamitas, cùm eorum plerique lucri causâ *Londini* commorantes rebelli Parlamento turpiter assentati sint? Quamquam fuerunt illius professionis viri egregii qui æquum & honestum utili præferentes Regem per omnia rerum discrimina, ut viros probos decebat, sequuti sunt. Hoc fieri potest ubi tacet lex & abest Legislator qui legem interpretetur si obscura est. At si lex expressa sit, aut si adsit Legislator qui legis mentem ubi ambigua esse videtur, aperiat, idem facit qui ad Leguleios aut etiam juris peritissimos se confert, ac qui consulit Romanum Pontificem ut sciat num colendus sit solus Deus, an vero præter Deum Divi etiam Divæque omnes. Supponatur quòd antequam,

antequam, postulante utroque Parlamenti consessu ac annuente Regia Majestate, sancitum fuerit, *Juramentum Ligæ ex se illicitum fuisse, & contra Leges ac libertatem Regni, subditis impositum*, de eo dubitari potuerit; At postquam Lex rem ita se habere, & unà Legislator ipse, disertis verbis declaravit, nullus jam scrupulus cujusquam animo debet adhærere quominus cum lege sentiat ac loquatur. Atque hinc, nempè *quòd juramentum illud fuerit ex se illicitum*, &c. sequitur, virtute illius neminem obligari ad procurandam ullam mutationem seu alterationem Ecclesiastici aut Politici Regiminis. Si cui nihilominus ratione saltem materiæ quæ illo continetur, licitum fuisse videbitur, nihil inde præsidii iis quibus Religio est declarare, illud ex sese fuisse illicitum. Ad hoc enim sufficit, ut fuerit contra notas Regni leges impositum ab iis penes quos imponendi jus non erat; cùm juramenta non minùs imponentis quam materiæ ipsius ratione habeantur & reverà sint illicita. Quod quidam ad injiciendos sibi aliisque scrupulos ingeniosi, iis juramenti verbis quibus affirmatur, *Neminem virtute illius obligari ad procurandum*, &c. Quæstionem hanc, *an erronea conscientia obliget*, aiunt decidi, idque jurejurando; cùm tamen a viris doctis ut problematica in utramque partem semper disputata sit, planè nihil ad rem; ideoque nemini negotium debet facescere. Non enim dicitur, *Neminem conscientiæ seu errantis seu non errantis*, sed *virtute illius juramenti obligari*. Si credis, sic dictante, quamquam aberrante conscientiâ, te ad immutandum Ecclesiastici Politicique regiminis rationem juramenti illius virtute obligari, Declarationem, meo quidem judicio, edere non debes, neque ei subscribere. Id enim peccatum foret contra conscientiam, licet aberrantem. Sin verò, quod verum esse contendimus, *juramentum illud* prout habet Declaratio, *contra leges*, &c. Quotquot hoc idem nobiscum sentiunt, ii bonâ conscientiâ declarare possunt ac debent, sic jubente lege, *Neminem virtute illius obligari ad procurandum*, &c. licet forsitan conscientiæ errantis virtute, ad id tenearis. Hic enim non agitur de cujusquam conscientia, sed de Perduellium juramento, illiusque non istius ad agendum obligatione. Sequentibus capitibus singula quæ adversus priorem Declarationem objectavit Apologista, ad examen vocabuntur.

CAPUT IX.

De Ejectorum Ministrorum objectionibus contra Sacram Ecclesiæ Anglicanæ Liturgiam; ac primùm de iis quæ spectant modum quo invectam ipsisque impositam quiritantur.

Immeritò queruntur Schismatici non satis temporis sibi concessum, ad deliberandum, num Sacram Ecclesiæ Anglicanæ Liturgiam admitterent. Apologistæ Vacillatio circa statas precandi formulas, quas modò probat, modò improbat. Ludovicus Capellus *adversus Apologistam defenditur. Nullæ a* Presbyterianorum *Pseudo-Synodo compositæ precum formulæ quibus uterentur Navium Sacellani, quod falsò asserit Apologista. Ne privatis quidem, nisi imbecillioribus ac rudioribus precum formulis utendi libertatem faciunt* Presbyteriani. *Imponit R. Episcopo* Dunelmensi *Apologista. Quanta sit viri illius existimatio apud Exteros. Non omnem precibus proprio Marte conceptis utendi libertatem tollit Ecclesia Anglicana. Quin majorem forte concedit quàm par esset, quàmque in aliis pluribus Ecclesiis Reformatis conceditur.* CAROLUS I. *pro parta victoria Deo gratias agit altâ voce, conceptis verbis Oratione in Ecclesia Exoniensi recitatâ. Apud Tigurinos Oratio Dominica tam a Concionatore quàm a toto fidelium cœtu* μυστικῶς *recitatur, & alio gestu, ab eo quo cæteræ precationes recitatæ sunt. Precum publicarum & Sacramentorum administrationis formulas in Ecclesiis Reformatis liberæ esse observationis, ita ut illis uti aut non uti pro lubitu possint Ministri, falsò affirmant* Presbyteriani. Calvinus

vinus *eas certas statasque esse debere censet, a quibus discedere in functione sua Pastoribus non liceat.* Hornbeckius *ab Apologista citatus notatur ob corrruptum* Calvini *locum.* Apollonius *ab Apologista laudatus ejusdem cum* Calvini *sententiæ circa statas precum formulas; a qua diversus non abit Clariss.* Maresius *aut Ecclesiæ Belgicæ. Reformatæ Ecclesiæ Scoticanæ status varii. Cultui & ritibus cum* Anglis *communibus subscripsit. Postea* Anglo-Genevensis *Ecclesiæ Liturgiam* Knoxius *in eam invexit.* Anglo-Genevensis *Ecclesia; qualis illius Liturgia.* Anglo-Genevensium *exulum Sacrorum Bibliorum Versio Anglica, quæ perperam ab ipsis* Genevensibus *adornata vulgò putatur. Repudiata tandem est ipsa quoque* Knoxii *seu Ecclesiæ* Anglo-Genevensis *Liturgia a* Scoto Presbyterianis, *cui substitum est merum* Directorium *cultus, absque ulla precum formula, quod Ecclesiis Britannicis a Perduellibus Schismaticis vi & armis obtrusum est. Ex iis quæ ab Apologista allegantur de quibusdam* Lutherano-Puritanis *Orthodoxam precationis formulam repudiantibus*, Puritanorum *nostratium ingenium facilè cognoscitur.*

QUæ contra priorem Declarationem objectant *Presbyteriani*, ea omnia Apologista ad duo capita revocavit. *Quædam*, inquit, *spectant modum imponendi librum Liturgicum; Quædam materiam in eo & ordinationis formulâ contentam.* Et ad modum imponendi quod spectat. Primò queruntur, se *temporis vix satis habuisse ad deliberandum de re tanti momenti: Præbendum enim fuisse assensum & consensum antè 24 Augusti; qui dies aderat*, inquit Apologista, *antequam multi ex Ejectis librum vidissent.* Hic verò ante omnia mecum mirare Lector, horum hominum frontem, quibus pudor non est queri se satis temporis non habuisse ad deliberandum, utrum legi a Principe ex consilio Ordinum Regni latæ morem gererent; quum ab eorum rebelli Parlamento ne unius quidem diei spatium nobis indultum sit ad consultandum, utrum eorum violentiæ cedendum esset, cum abrogatæ Liturgiæ a pientissimis Reformatoribus nostris compositæ & patriis Legibus stabilitæ *Directorium* suum subrogarunt. Quin autem fieri potuerit ut dies 24 Augusti, Decembris etiam fortè, illuxerit, antequam eam Liturgiæ Editionem quæ nupero Parlamenti decreto

Authentica

Authentica habetur, vidissent plurimi ex Ejectis Ministris, non negabo. Nam ea est multorum ex iis pervicacia & stolida αὐθάδεια, ut ne deliberandum quidem, licet de re tanta, sibi putaverint; & ratum fixumque animis habuerint, quo jam pede cœperant eo porro pergere, ne errasse atque errores suos tandem agnovisse dicerentur. At pernego quemquam eorum ideo ejectum fuisse quod satis temporis ad deliberandum non habuisset. Nam præterquam quod 24 dies Augusti non usque adeo instabat, eo ipso Parlamenti Decreto quo jubebantur assensum & consensum suum contentis in Liturgia testari, ne cui justum ad deliberandum tempus deforet, disertis verbis cautum erat, ut si quis ob justas causas ante 24 Augusti eo quo jubebatur modo assensum suum non præbuisset, ne id ipsi fraudi foret, duorum mensium spatium indulgeretur; & ne ante tertium exactum, e Beneficio ejicerentur. Imo & novo Parlamenti Decreto C a r o l. II. ad Sacri Ministerii functiones & in Beneficia Ecclesiastica admittuntur, si qui ob morbum aut absentiam duabus supra memoratis Declarationibus non subscripserant, modo iis tandem subscribere non detrectent. Itaque pro legenda ac fabula mera, qualium Presbyteriani sunt artifices miri, ut postea dicam, habenda sunt quæ hic narrat de Reverendo *Bathonensi* & *Wellensi* Episcopo.

Vide ipsum Decretum, cum Liturgia editum.

§. Hanc fabulatus fabulam, censuram aggreditur Apologista contra *modum imponendi Liturgiam*; cui octodecim paginæ vix totæ sufficiunt. Sed (qui nugatorum mos est) adeo perplexus, & parum sibi constans ubique est, ut nisi quod nonnunquam ferocior insurgit, juraveris *Pyrgopolinicem* illum veterem *Plauti* a *Periplectomene* deprehensum hic eum agere voluisse. Modò enim ait, modò negat, ait rursum; modo hunc modo illum carpit; modò cum umbra digladiatur, *& passim sequitur corvos testàque lutoque.* ὅτω τρέχων, ὡς ἀδήλως ὅτω πυκτεύει, ὡς ἀέρα δέρων. Primò, concedit *non esse Idololatricum ex libro precatorio certas statasque precandi formulas legere.* Quo nomine multum ei sanè debent omnes Ecclesiæ Reformatæ, quod eas Idololatriæ cum aliis insanioribus Schismaticis non postulet, ideo quod apud eas, quemadmodum apud Ecclesiam Anglicanam preces ex libro Liturgico a Ministris in cœtu publico recitentur. At vix gratiam ei relaturi sunt *Directoriani* qui omnes precum formulas ab Ecclesia sua exterminarunt, quod novæ Disciplinæ velut oblitus scripserit, *utilè & penè necessarium esse præscriptæ Liturgiæ formulis quorumdam Pastorum inscitiæ consulere.* Quocirca ne nimium iratos novos Magistros habeat, postmodum ait, *neminem fortean Ministerio dignum, qui nequit ex tempore orando verbis aptis & congruis mentem suam efferre.* Qui mavult precationes a privato quovis Ministro compositas, vel *memoriter vel ex charta recitari*, quàm certas præscriptasque ab Ecclesia orationis formulas usurpari. Mox tamen nè Clarissimo *Capello*, qui pro Liturgia adversus *Presbyterianorum Directo-*

Pag. 30.

Ibid.

Pag. 38.

rium

rium in Academia *Salmuriensi* publicè disputaverat, immeritò conviciatus videatur, negat usum libri Liturgici inter res illicitas in *Directorio* numerari: Quum tamen constet *Directorium* ipsum non alium ob finem neque alio prætextu ab illius authoribus Ecclesiæ Anglicanæ obtrusum, quam ut ab ea omnis libri Liturgici usus proscriberetur. Idque apertè profitentur ipsi Directores in *Directorii* præfatione. Nec attinet dicere ab *ipsissima illa Synodo* (*Westmonasteriense* Conventiculum intelligit a quo fabricatum est *Directorium*) *compositas precandi formas in subsidium Sacellanorum, quorum operâ utebantur Nautæ.* Nam si inde sequatur, quòd probare satagit Apologista, Clarissimum *Capellum* σκιαμαχεῖν, quum adversus *Presbyterianos* perinde disputat ac si Precum Publicarum formulas improbent; hæc una consecutionis ratio est, quod quam vocat Synodum, Synodi mera umbra, non vera Synodus fuerit; quodque tam parum sibi constiterit ut, licet Precum Publicarum formulas tanquam pietatis remoras, omnes exterminandas censuerit, Precum tamen formulas navium Sacellanis præscripserit; quasi Deum aliâ ratione terrâ, aliâ mari coli oporteat. At inde non sequitur *Presbyterianos* a præscriptis Precum Publicarum formulis non abhorrere. *Directorium* enim, in quo ne una quidem precandi forma præscribitur, a *Westmonasteriensibus* Theologis compositum, in locum Liturgiæ quæ certis statisque formulis constat, substitui, & Ecclesiæ Anglicanæ utut invitæ atque reluctanti, vi & armis ab usurpatoribus obtrudi procurarunt, nullis precandi formis in eorum gratiam compositis, quorum imbecillitati ejusmodi subsidio, non minus consulendum erat, vel ipso teste Apologistâ, quàm nautarum Ministris. At, quod stupeas Lector, ni jam tibi notus *Pyrgopolinices*, pellucidum mendacium est, quod ait, *compositas precandi formas in subsidium Sacellanorum, quorum operâ utebantur nautæ.* Compositæ quidem sunt & typis editæ circiter biennium post natum *Directorium* precationum formulæ in subsidium non *Sacellanorum* quibus nautæ utebantur, sed *navium* (sic enim habet titulus) *quæ Sacellanis destituebantur, quorum operâ juvarentur in orando.* Has autem edidisse profitentur, non quod formulis in orando utendum censerent, sed quod *innumeras Anglorum naves, aut Liturgiæ Anglicanæ formulis, aut nullis omnino precibus uti accepissent.* Quæ, cur, quâve, quòmodo, quove loco *Rev. Capellum* feriant, non video. Quinimo Pseudo-Synodi illius Patres, suas precandi formulas in Ministri cujusquam subsidium adeo non composuerunt, ut ne privatis quidem, nisi *imbecillioribus ac rudioribus* ejusmodi subsidio utendi libertatem faciant; idque eâ tantum lege, ne *spiritum precationis* (hoc est extemporanearum precationum) *in sese exsuscitare negligant. Eum enim omnibus ac singulis Dei filiis aliquâ mensurâ indultum affirmant.*

Sic aiunt in præfatione.

In Directorio *pro cultu privato, ad calcem* Directorii *pro cultu publico.* Pag. 87. Sect. 9. Edit. 1656. Londini.

Verum enimvero cùm Apologista paulò liberalior reliquis Schismaticis & æquior esse videatur, ultròque concedat *non Idololatricum esse, ex libro precatorio orandi formas legere*, quid tandem carpit aut improbat circa modum imponendi Liturgiam in Ecclesia Anglicana? Nescit ipse, aut si sciat, mentem suam apertè eloqui non audet, ne cæteras Ecclesias Reformatas quarum ambit favorem, unâ eâdemque offendat operâ. Ne tamen εἰκῆ irasci videatur; *adeo rigidè Ministros certis precibus alligare, ut nunquam liceat in orando propria dona ad Ecclesiæ ædificationem exercere, immanissima*, inquit, *tyrannis est*. At ubi hoc fit? An in Ecclesia Anglicana? Id non audet simpliciter affirmare, at innuit tamen & probare satagit hoc esse illius peccatum. Nam licet fateatur *non eum in finem præscribi formulas, ut omnis Precum proprio Marte conceptarum usus ab Ecclesia eliminetur, precesque non scriptas immediatè ante vel post concionem a plerisque eorum qui habent curam animarum, fundi videat & gaudeat*; addit, *se nihilominus videre ac dolere hujusmodi Preces a filiis Ecclesiæ susque deque haberi*; Et *Canonibus An.* 1603. *sub* Jacobo, *Concionatoribus non concedi ut Deum invocent*; Deinde non modò adversus *Heylinium* nostrum, qui nullam concioni precationem præmitti patitur, acriter disputat, sed & Reverendum admodum in Christo Patrem Dominum Doctorem *Cosinum Dunelmensem* Episcopum meritissimum, meque adeo ad partes vocat, quod illum quâ par est reverentiâ prosequor; quod mecum faciunt viri summi *Amyraldus*, *Dallæus*, aliique plurimi quibus innotuit, cum Regis Deique causâ extorris ageret. Sed Reverendo Ecclesiæ Antistiti imponit ut locum citatum inspicienti liquebit. Imponit & Ecclesiæ Anglicanæ dum ait Constitutionibus Ecclesiasticis Anno 1603. Concionatoribus non concedi ut ante concionem Deum invocent. Ita enim habet titulus Constitutionis 55æ *Precationis formula a Concionatoribus in concionum suarum ingressu imitanda*. His autem verbis incipit Constitutio ipsa; *Omnes Concionatores & Ministri in aditu cujusque suæ Concionis, Lecturæ & Homiliæ populum hortabuntur, ut secum in precibus concurrant in hunc aut similem modum, idque quantum licet summariâ brevitate*. His verò definit, *semper cum Oratione Dominica concludentes*. Ex quibus manifestum est, & Concionatoribus per illam ipsam Constitutionem licere Deum invocare ante concionem; Et illis materiam tantum & quasi *Directorium* precationis eo Canone proponi; magnamque hac in parte, nimiam fortè, si mores nostrorum hominum spectentur, libertatem relinqui. Non parem certè habent pleræque Transmarinorum Reformatorum Ecclesiæ. Non parem *Polonicæ*, non *Lithuanicæ*; non parem *Tigurinæ*. In his enim præscriptâ formulâ nostræ, prout in Canone habetur, simillimâ utuntur Concionatores, semper concludentes cum Oratione Dominica, quam, ut & illud hic obiter annotem, tam Concionator ipse in genua procumbens, quam

Amyraldus *in Epistola Diatribæ de Oratione Dominica præfixâ; quam* Rev. Dunelmensi *nuncupavit.* Dallæus *in Epistol. ad Dom. Smith Bibliothec. Cantabrig.*

Vide *Præfat. ad Agenda Eccles.* Polon. & Lithuan. *ad calcem Tract. Anglic.*

quam Auditores submissâ voce, μυστικῶς, apud se singuli orantium gestu recitant; quem corporis situm dum Concionator præscriptam seu precationis seu hortationis formulam recitat, non servant. Divus *Augustinus* post unamquamque concionem eâdem semper Oratione utebatur, quam videre est in fine *Commentariorum in Psalmos & Sermone* 30, *de verbis Domini.* Et *Joannes Calvinus Augustini* in multis Discipulus & imitator, certas statasque precandi formulas, aliam antè, aliam verò post unamquamque concionem usurpabat. Utraque formula habetur initio concionum in librum *Job.* Quod si Ecclesia Anglicana aut quævis alia Ecclesia Reformata omnibus Concionatoribus præciperet ut quod *Augustinus Calvinusque* ipsi sponte fecerunt, præscriptis in orando ante & post concionem formulis iisdem semper uterentur, quis nisi quem Fanaticus spiritus afflarit, id reprehenderet? Supramemoratis sanè *Polonicis*, *Lithuanicis*, *Tigurinis* Ecclesiis, quarum nomen inter Reformatos celebre est, id vitio versum a nemine est quod sciam. Clarissimum *Heylinium* quod attinet, non tanta est illius aut privati cujusquam authoritas in Ecclesia Anglicana, ut ei illius placita imputari debeant, mihive si quid forte minus prudenter scripserit, asserendum aut defendendum necessariò incumbat. Adde quòd quæ ipse Apologista ex Reverendo Doctissimoque p. m. *Hammondo* affert, scilicet, "Ecclesiam "Anglicanam modò in publico observetur Liturgia quam præscripsit, "libertatem facere aliarum precum, aliquando in publico cœtu, modò "fiat prudenter, piè, reverenter & ad ædificationem; & in familia, & in "ægris visitandis, modò particularis conditio vel familiæ vel ægroti id "postulet, satis pro Ecclesia Anglicana respondent ad ea quæ ipsi ex *Heylinio* aliisque objectavit. *Hammondo* adstipulatur *Carolus Martyr* ὁ πάνυ, ἐν εἰκόνι βασιλικῇ. Nec hic silentio prætereundum Regis Augustissimi factum, ibi dictis consonum, cujus testes innumeri adhuc in vivis sunt. Quum *Essexii* Parlamentariarum copiarum Præfecti exercitum magno numero in *Cornubia* ad deditionem compulisset, illico Ecclesiam Cathedralem Exoniensem petiit, atque in ingressu Chori, positis genibus, præmeditatam gratiarum actionem quâ Domino Deo Sabbaoth victoriam acceptam referebat, altâ voce, conceptis verbis pientissimus Princeps ipse recitavit. Deinde & Constitutionum Ecclesiasticarum anno 1603. sexagesimâ septimâ de ægris visitandis, verbi Ministris liberum fit *formâ uti in libro publicæ Liturgiæ præscriptâ ad eos consolandos, aut prout ipsis expedire maximè videbitur.* Quæ omnia demonstrant Apologistam propriè non cum Ecclesia Anglicana, sed cum umbra sua pugnare, cùm in illos invehitur *qui adeò rigidè Ministros certis precibus alligant, ut nulla illis omnino libertas relinquatur.*

Hammond. *Practic. Catechism.*

Cap. de Liturgia.

§. Quid est igitur quod ipsum eosque pro quibus Apologiam scribit, adeo malè habet circa modum imponendi Liturgiam in Ecclesia Anglicana? Hoc nempe, quod Precum & administrationis Sacramentorum formulis juxta Liturgiam præscriptis, in cœtu publico uti teneantur. Concedunt quidem qui æquiores inter eos videri volunt, uti jam observavimus, non esse Idololatricum precandi formas ex libro recitare. Quin etiam fortassis paterentur, ubi prohibere non possent, extare certas in libro Liturgico Precum & administrationis Sacramentorum formulas (quamquam ejusmodi formularum nec volam nec vestigium in *Directorio* suo extare voluerunt) sed eâ lege, *ne quis ad eas usurpandas adstringatur.* Id enim ità fieri in cæteris Reformatorum Ecclesiis, quinque inter *Presbyterianos* viri primarii, quæ eorum est aut ignorantia aut mentiendi licentia, uno ore affirmant. Pernegant itidem ullis Precum formulis usam Primitivam Christi Ecclesiam. Et siquis præscriptis aut etiam præmeditatis tantùm precibus utatur, *affectuum impetus ea ratione non mediocriter impediri contendunt.* Contrà verò siquis quicquid cadit in buccam ex tempore effutiat, quod illi vocant per Spiritum orare, *tum populi Zelum ac pietatem singulariter excitari.* Jam in præfatione ex *Ludovico Capello* vidimus, non *plerasque* tantum, ut ait Apologista, sed *omnes* omnino Ecclesias Reformatas certis statisque uti Precum & administrationis Sacramentorum formulis. Quod & alio loco antea a me observatum fuit; ubi & annotatum, *Calvino* solemne fuisse, si quando extraordinariæ supplicationes ob calamitates publicas in Ecclesia *Genevensi* decernerentur, *precationes quibus reliqui Ministri in urbe & agro uterentur, præscribere.* Adeo enim ab enthusiastica illa *Presbyterianorum* nostrorum sententiâ abhorruit, ut *Somersetiæ* Duci, *Angliæ* tum Protectori seu Proregi, author esse non dubitaverit *immanis illius*, quam vocat Apologista, *tyrannidis*, in Ecclesiam Anglicanam invehendæ. *Quod ad formam*, inquit, *Precum & rituum Ecclesiasticorum valdè probo*, inquit, *ut certa illa extet a qua Pastoribus discedere in functione sua non liceat.* Ut subeat mirari D. *Hoornbeckium*, Virum Clarissimum atque Doctissimum ea scripsisse (si revera ea scripserit, nam librum illius jam ad manum non habeo) quæ ab Apologista hic citantur; scilicet *Calvinum judicasse propter recentem Reformationem hominumque Multifariam imbecillitatem formulas in Liturgia plerumque adhibendas.* Cur enim *Calvino* ea tribuit quæ apud *Calvinum* non habentur? Quale est illud *propter recentem Reformationem.* Cur rationes supprimit quas *Calvinus* multas sanè atque graves usûsque in Ecclesia perpetui, pro sententiæ suæ confirmatione attulit? nempe non modò ut consulatur *quorumdam simplicitati & imperitiæ; sed etiam ut certiùs ita*

constet.

S. Marshal. E. Calamy. T. Yong. M. Newcomen. W. Spurstow. in Smectymnuo.

Apol. Pag. 30.

Ibid. Pag. 25.

In Tractatu Anglic. Sect. 1. & 16.

Calvin *Epistol.* Pag. 585. Edit. *Genev.*

Calvin *Ep. ad protectorem* Angliæ.

constet omnium inter se Ecclesiarum consensus; & ut obviam eatur desultoriæ quorumdam levitati qui novationes quasdam affectant. Denique cur *Calvinum* propter has rationes precum formulas easdem *plerumque* adhibendas censuisse ait, cum easdem *semper* usurpandas voluerit? sed quicquid ab eo hic peccatum est, id inadvertentiæ aut festinationi nimiæ, non Schismaticis Anglicanis assentandi animo, tribuendum putem. Apologista verò hic manifestus malæ fidei atque invincibilis animi pervicaciæ est; cui *Calvini* locum integrum exhibueram in eo Tractatu quem studet refutare; quemque ideo illius oculis obversatum oportuit, cùm hæc ex D. *Hoornbeckio* exscriberet. Verum quoniam suspicio est non accuratiorem in recensenda majorum suorum de hoc argumento, quam *Calvini* sententiâ, fuisse D. *Hoornbeckium* (Refert enim D. *Schookius* a Synodo *Dordracena* an. 1581. improbari preces Ministrorum recedentes a solita Liturgia) dabit veniam spero, si eum hic pro Ecclesiis Belgicis dicentem non adeo patulis auribus audiamus. Quamquam quæ de eorum praxi refert, si de Sacramentorum administratione aliisque cultûs publici partibus, quibus assignantur in Agendis, formulæ numquam non usurpandæ, haud intelligantur, ea Ecclesiæ Anglicanæ nec praxi nec sententiæ adversantur. De iis autem Articulum illum 11. C. 11. Harmoniæ Synod. Belgicarum a *Festo Hommio* editæ, quem nobis toties objectarunt Schismatici, haud intelligi, rem attentè consideranti patebit. Neque magis nobis officiunt *Theses Leydensium* Professorum, aut quæ ex Ecclesiarum Classis *Wallachrianæ* sententia scripsit *Apollonius*, qui illud *Calvini* de certis statisque precum formulis ad Protectorem *Angliæ*, laudat, & *masculam illius sententiam vocat.* Quin habet *Apollonius* multa quæ *Presbyterianorum* sententiæ de precum formulis ex diametro adversantur. Nam eas, non licitas modò, sed *utiles* censet. "Idque non tantum in necessitatis casu cum Minister facul-"tate idoneâ destituitur, commodis verbis preces & alias cultûs "divini partes explicandi; sed etiam cum iis attentio Auditorum ju-"vanda & dirigenda est: *Apollonii consider. pag.* 174. *Et paginâ* 175. "Orationem ex præscripta formula pronunciari & Deo of-"ferri posse cum humili nostrarum necessitatum sensu, desiderio & "Zelo, affectuum sanctitate, fide & religioso motu voluntatis in "Deum, idque prout res nostræ postulant, nobis inquit expertis "certissimum est. *Amesium* ac D. *Voetium* quod spectat, quorum etiam authoritate premimur, eâ parum movemur; non modo quia illum *Brownistarum deliriis addictiorem fuisse*, prout verè observavit Clarissimus *Maresius*; istum verò, qualis in Præfatione repræsentatur, talem esse constat; sed quia hic *Calvinum*, præ quo isti

Exercit. de Musica Organica. circa finem.

Maresf. *Theolog. Elenctic. Nov. Synopf. T.* 2. *Controve. f.* 17. Pag. 407.

isti pumiliones, umbræ meræ & ἰνδάλματα sunt, adversus utrumque a nobis stantem habemus. At si quæ sit Ecclesiarum Reformati Belgii circa publicas Precum formulas sententia cognoscere animus est, de iis non obscurum ambiguumve testimonium ferens audiatur modò allegatus Clarissimus *Maresius* loco citato. "Absit, inquit, a "nobis ut usum publicarum Precum & Psalmorum in cœtu fidelium "improbemus; aut quod ordinis & eutaxiæ gratiâ certæ horæ, & "certæ formulæ publicæ ad sanctam hanc Liturgiam destinentur. "Imò statuimus *Brownistas* & alios Fanaticos in Anglia gravissimè "peccare, dum nullas formulas publicas, nullos libros Liturgicos "volunt admittere. Cujus sententiæ has reddit rationes, quod ejus-"modi formulis publicis, & infirmiorum captui consulatur, & Schis-"mata præveniantur, & unitatis atque uniformitatis harmonia in "Ecclesiis retineatur. Unde concludit factiosorum & turbonum "istorum (Schismaticos Anglicanos intelligit) sententiam non esse "tolerandam qui omnes formulas Liturgicas student extirpare?

§. Jam ad Ecclesiam Scoticanam veniamus. Ea variè pro variis illius statibus spectari debet; Primo, scilicet, à primis Religionis emendatæ temporibus usque ad *Knoxii* in *Scotiam* reditum. Secundo, à *Knoxii* reditu ad annum 1637. Tertiò, ab eo anno ad novissimos *Scotiæ* motus & deinceps ad hunc usque diem. Ante *Knoxii* reditum, quum res Reformatorum nondum eo statu essent, ut de iis quæ ad decorum & ordinem cœtuum publicorum pertinent, quicquam statuerent; Liturgiam, quod sciam, nullam habuere. "At "Anglorum viribus adjuti, cultui & ritibus cum eis communibus "subscripserunt, inquit *Buchananus*. Cui consonat illud Historiæ Ecclesiasticæ *Knoxii*. "Anno 1558. Mense Novemb. Dynastæ & Ba-"rones Jesum Christum profitentes frequenter convenerunt, atque "hæc sequentia decreverunt. Primo expedire, ideoque decerni ut in "omnibus hujusce Regni Paroeciis Preces Communes singulis septi-"manis publicè prælegantur die Dominica aliisque festis diebus in "Ecclesiis parochialibus, cum lectionibus ex Veteri & Novo Testa-"mento juxta ordinem libri Precum Communium, *&c.* Eam autem Reformationem quoniam ad exemplar optimè Reformatarum Ecclesiarum factam esse ego dixeram, aliamque planè ab ea quam nuperi turbones Scoticani designarunt; *Delirum caput nullâ Anticyrâ sanabile*, ab Apologista, homine scilicet sincipitis sanissimi, ut vulgò notum est, *& secundum Christum, qui mitis est & pacatus, dimicante*, in additiunculis secundæ Editionis p. 37. vocor. Deinde & paginâ 69. in iisdem additionibus, *Knoxio* præterito, *de Religionis cultu ritibusque divinitus institutis*, interpretatur quæ habentur apud *Buchananum*; negans *ullum probatum Historicum asservisse*, *Ecclesiam*

Buchanan. *lib.* 19. Pag. 232. *Edit.* Edinb.

In Tracta. Angli. Pag. 22.

siam Scoticanam vel uni Ceremoniæ subscripsisse quam hodiè obtrudunt Prælatici. Sed esto penes cordatum Lectorem judicium, utrum *Buchananus* & *Knoxius*, authores quantivis pretii apud Schismaticos ac perduelles, id locis citatis asseruerint. Mihi quidem sic visum est, nec dum movent vel persuadent convitia, quæ non in me tantum, sed in Rev. *Gallovidiensem* Episcopum (eum ipsum a quo D. *Mantonus* Presbyter ordinatus est) conjecit, ut aliter sentiam. Quamdiu vero juxta Liturgiam Anglicanam in Scotorum Ecclesiis Reformatis Sacra peracta sint, haud mihi compertum est. Tot agitatum motibus, tot dissidiis scissum, tot factionibus turbatum est eâ tempestate *Scotiæ* Regnum, ut vix quicquam ritè atque ordine in iis Ecclesiis peragi potuerit. Mihi verisimile est Liturgiam Anglicanam, quamvis ei subscripsissent non tantum *Comites duo & Barones aliquot*, prout somniat Apologista, sed *Magnates quotquot Christum profitebantur* indefinitè, ut habet *Knoxius*; *Scoti*, ut ait *Buchananus*, hoc est omnes gentis illius Reformati, per temporum illorum calamitatem, per exemplarium penuriam aliisque de causis, a paucis usurpatam. *Knoxius* itaque Liturgiæ Anglicanæ hostis acerrimus, in patriam redux facili negotio potuit apud eos qui nulli hactenus Liturgiæ assueverant, quam Liturgiæ formam voluit introducere; maximè quum non apud suos modò sed etiam apud exteros non vulgarem Doctrinæ ac pietatis famam sibi comparasset. Quas turbas *Francofurti* ad *Menum* dederit ut *Anglico-Genevensem* Liturgiam Anglorum in ea Civitate commorantium cœtui obtruderet, a me alibi observatum est. *In Tractatu Anglic.* Sect. 2. Eamdem & in Scoticanas Ecclesias, quibusdam mutatis, paucisque additis invexit. *Anglico-Genevensem* Liturgiam dixi ut eam a *Genevensis* Ecclesiæ Liturgiâ distinguerem. Quod ut intelligant Lectores, sciant necesse est, *Marianis* temporibus Protestantium *Angliæ* factam fuisse verè διασπορὰν per varias Europæ regiones, aliis in hac aliis in illa Civitate considentibus. Circa idem tempus, cum Reformati gravem persecutionem a *Guisianorum* factione in *Scotia* paterentur, eorum plurimi patriam relinquere coacti sunt, in quibus *Knoxius*. Anglorum exulum non exiguus numerus, maximam partem *Puritanorum Genevam* se receperat, ideo fortè quod Ecclesiam *Genevensem* a suis placitis ac moribus minus abhorrere crederent quam cæteras *Germanorum*, *Helvetiorumque* Reformatorum Ecclesias. His ad Sacra Religionis exercitia seorsim coire placuit, quod a *Genevensis* Civitatis Magistratu facilè impetrarunt. Iis *Knoxius* qui eamdem Civitatem petierat, se adjunxit, a quibus mox in Pastorum numerum allectus est. At cum nulla hominum quantulacunque societas absque certo quodam ordine certisque legibus diu stare queat, iis vero decretum

esset

esset Disciplinæ Liturgiæque Anglicanæ nuncium remittere, nec per omnia *Genevensem* Disciplinam Liturgiamve probarent, novas Disciplinæ leges ipsi sibi tulerunt, novasque Precum Publicarum & administrationis Sacramentorum formulas conscripserunt; ad quas tamen usurpandas Pastores adstringi noluerunt. Perinde enim esse sive iis sive aliis, sive nullis Precum formulis uterentur, quod sæpius in Rubricis inculcatur. Cum tamen in Ecclesia *Genevensi* certa stataque sit Liturgiæ forma. Ab iisdem *Anglis* exulibus, ut & illud hic obiter annotem, editæ sunt notæ in Sacra Biblia Anglico idiomate, in quibus cum multa occurrant admodum Fanatica & Ecclesiæ Anglicanæ aliisque Ecclesiis Reformatis injuriosa, inde factum ut tam malè audiant apud nos *notæ Genevenses* & *Biblia Genevensia.* Sic enim vulgò dicuntur non ab *Ecclesia* sed a *Civitate Genevensi*, in qua edita sunt, non a *Genevensibus Reformatis*, sed ab *Anglis Puritanis* tum *Genevæ* commorantibus. Sed ad *Scoticanam* Ecclesiam ut redeam, Liturgia in eam a *Knoxio* introducta ejusmodi fuit ut certas Precum & administrationis Sacramentorum formulas contineret, quarum aliæ quidem liberæ observationis fuere; aliæ vero, juxtà rubricas, semper recitandæ, ut legentibus videre est in pauculis illis quæ adhuc extant exemplaribus, quorum aliqua variarum editionum penes me sunt. Ea Liturgia apud *Scotos* obtinuit usque ad annum 1637. quo pientissimus Princeps Carolus I. ut cultus Dei quam latè patebat ipsius Imperium, uniformiter celebraretur, Ecclesiæ Anglicanæ Liturgiam, mutatis additisve perpaucis ex consensu non modo Episcoporum omnium ac præcipuorum e Clero, sed & totius Regii Senatus, Scoticanæ imposuit. Sed semper fuerunt in *Scotia* homines turbulenti ac Fanatici, qualis *Calderwoodus*, qui nullis Ecclesiasticæ Disciplinæ regulis adstringi aut ordinis publici limitibus circumscribi potuerunt. Itaque fieri potest ut nullas seu Precum seu Sacramentorum administrationis formulas unquam usurparint. At id contra mentem Ecclesiæ, cui aliter visum fuerat, cuique ideo plerique, ut vel ex ipsis *Calderwoodi* verbis ab Apologista citatis, colligi potest, obsequium ea in re præstiterunt, præscriptas formulas suo loco & ordine recitantes. Donec tandem & ipsâ *Knoxii*, perinde atque Caroli Regis Liturgiâ a modernis *Presbyterianis* repudiatâ, Ecclesiæ Scoticanæ quemadmodum & Anglicanæ *Directorium* merum, in quo nullæ extant Precum aut Sacramentorum administrationis formulæ, a Perduellium *Anglico-Scoticanâ* factione vi & armis obtrusum est.

§. Quod ait Apologista *p.* 38. *Se multos è* Lutheranis *laudare posse qui a* Presbyterianorum *sententiâ non abhorrent*, si verum foret, id causam eorum nequicquam juvaret. Nam quid inde sequeretur,

tur, nisi Ecclesias Augustanæ Confessionis à Fanaticis turbulentisque hominibus, quales *Flaciani*, etiam aliquando vexatas? Debuit, si quid ad rem dicere voluisset, aliquam ex Ecclesiis juxta Augustanam Confessionem Reformatis nobis indicare, a qua exulent omnes Precum publicarum & administrationis Sacramentorum formulæ. Interea ex eorum ingenio quos hic laudat tanquam *Presbyterianis* ὁμοψήφοις, horum mores quos incautus prodit, discant Lectores. *Illi extrema omnia*, inquit, *sibi potius accersere voluerunt quam formulam Orthodoxam a Synodo ex mandato Principis compositam usurpare.* Utrum verò formula illa *Presbyterianorum* quàm *Hierarchicorum* Orationibus similior sit nec ne, prout asserit Apologista (sed contra veritatem ut mihi quidem videtur) parum refert. Nobis enim, non aliis gentibus aut Ecclesiis imponuntur Liturgiæ nostræ formulæ. Sed si sic formata sit Oratio illa, ut iste refert, nec eam tamen usurpare voluerint isti *Lutherano-Presbyteriani*, quos ait idem cum nostris sentire; annon inde colligere pronum est *Anglo-Presbyterianos*, omnes Precum formulas, si a superioribus eas usurpare jubeantur, simpliciter qua tales, damnare atque repudiare. Quod tamen noster apertè non audet profiteri, ne ab universo Reformatorum populo jure merito, tanquam Fanaticus exsibiletur.

CAPUT X.

De precandi formularum Origine, deque earum antiquitate atque usu in Ecclesia Dei.

Apologistæ aliorumque Presbyterianorum *imperitia circa* Judæorum *Liturgiam, quam volunt eos a Christianis mutuatos fuisse. Ex ea conjecturâ, si vera esset, sequeretur Precum formulas in usu fuisse apud Christianos ante annum* 156. *Stulta Apologistæ vanitas qui suum esse dicit* Smectymnui *delirium. Quid sit* Smectymnuus. *Precandi formularum, tum in* Judæorum, *tum in Christianorum Ecclesia Deus ipse, non alius, author est. Variæ, quæ in Sacris litteris leguntur Precationum & Benedictionum Formulæ, apud* Judæos *usitatæ.* Johannes Baptista *Discipulis suis orandi formulam, quâ uterentur, præscripsit. Christus Dominus itidem suis; & ipse usitatos* Judæorum *Hymnos usurpavit.* Hugo Grotius, *qui hic favet Fanaticis, notatur. S.* Jacobum *aliosque Apostolos Liturgias Ecclesiis tradidisse credidit antiquitas; quod vix negari potest. Refelluntur contra sentientes.* Quarto *sæculo certas precum Formulas; itemque* Tertio, Secundo *atque etiam* Primo *apud Christianos in usu fuisse probatur. Explicatur locus* Justini Martyris; *itemque alius* Tertulliani, *ex quibus contrarium probare conantur Schismatici.*

Apolog. 32, 33. "AT in purissima antiquissimaque Ecclesia Christiana, hoc est, ab Apostolorum ævo ad *Constantini* Magni tempora (ad ea enim usque extenditur Apologistæ inductio) "non constat, "inquit, ullas precum formulas humanas obtinuisse. Nam in Ecclesiæ

" *Smyrnensis*

" *Smyrnensis* ac *Lugdunensis*, ut & Clementis ac *Ignatii* Epistolis;
" in *Justini*, Clementis *Alexandrini*, *Tertulliani* scriptis altum de scri-
" ptis formulis silentium. Imò *Tertullianus* & *Justinus Martyr* ea scri-
" bunt, quæ satis innuunt Pastores nullis certis verbis astrictos fuisse. Hæc in Editione prima. At in secunda, iis novum paragraphum ab aliquo mutuatum præmisit, ut probet ne in Ecclesia quidem *Judaica* ante adventum Christi ullas extitisse præscriptas orationum formulas. Id autem satis probatum putat, eo quod " a summis Theologis nempè SMEC-
" TYMNUO, addubitari videat, num Liturgia quæ ab *Ezra* &
" Viris magnæ Synagogæ composita esse dicitur, eos revera authores ha-
" beat, cum id non aliâ quam Talmudistarum authoritate nitatur. A
" quibus, cùm Christianæ veritatis hostes infensissimi fuerint, & diu post
" urbis excidium opus Talmudicum congesserint, non expectandum, ut
" majorum traditiones in eo bona fide retulerint. Quasi verò multùm Christianæ veritati noceat, aut *Judaicæ* superstitioni prosit, quod *Ezra* & Viri magnæ Synagogæ hodiernæ *Judæorum* Liturgiæ authores habeantur. Nobis quidem noceret, illis verò prodesset, si octodecim benedictiones quæ *Ezræ* tribuuntur, aliquid continerent quod Christianæ pietati adversetur; At id neque dicitur neque vero dici potest. " At sen-
" tiebant Talmudis Compilatores, populum *Judaicum* avidè arripere
" omne (sic noster loquitur) quod divinam Originem præ se ferret.
" Atque hinc fieri potuisse ut *Ezræ* & Viris magnæ Synagogæ Liturgi-
" am illam tribuerint, non negaverim, inquit. Sed inde tamen non sequitur eam non extitisse ante urbis excidium, multoque minus a Talmudistis tum demum compositam, cùm opus illud suum compilarunt. Contra verò ex eo quod octodecim illarum, quibus constat benedictionum, *Ezram* cum aliis veteribus authores perhibuerint, manifestum est eas diu antè extitisse, & plebi *Judaicæ* ex usu familiari notas fuisse. Non enim a se benedictiones illas in angulo aliquo absconditas mirâ quadam Numinis providentiâ repertas affirmant (quod affirmare debuerant, si eas ipsi composuissent) sed tanquàm consuetas gentis suæ benedictionum formulas operi suo inserunt. Vis autem dicam quid isti tui summi Theologi, *Josepho Scaligero*, non tibi fortè, sed doctis omnibus, viro summo, videantur? *De Emendatione temporum* l. 6. ubi enarrato celebrandi Paschatis ritu, tempore Messiæ, in quo variæ erant benedictionum formulæ, subjungit, " eum ità se habere, vetustissimis Canoni-
" bus in digestis Talmudicis manifestè probari, nisi, *inquit*, quis eos ne-
" get antiquos esse. Quod idem ac si quis capita *Papiniani*, *Pauli*, *Ul-*
" *piani* & aliorum Jurisconsultorum in Digestis *Justiniani* producta,
" neget esse eorum Juriconsultorum, quorum nomina citantur. Quod
" nemo sanus dixerit. Ut in ridiculo Lectoribus esse debeat Pyrgopolinices, quum quanto odio adversus Christianos flagrarent Talmudis

Joseph. Scalig. *de Emend. Tempor.* lib. 6. Pag. 573. *Edit.* Genev. 1629.

Compilatores oblitus, eos, suo more id est stultè conjecturat formulas suas ex Christianorum formulis desumpsisse, aut saltem ex quadam æmulatione composuisse. Quod licet ipsi concederemus, illud detrimenti ex eo caperet causa, quam tuetur; scilicet, formulas Precum in Ecclesia Christiana, diu ante *Constantini* tempora obtinuisse; (quod suprà dixit non constare) quum Rabbi *Jehudda*, cognomine Sanctus, Talmudis primus Compilator, partis illius nominatim, in qua extant variæ Precum ac gratiarum actionis formulæ sub *Antonino Pio*, cujus etiam familiaris fuisse perhibetur, floruerit, anno Christi 156, Conjecturâ tamen illâ, utut stultissimâ, adeo delectatur, ut in ea non parum glorietur, *suamque* vocet. "Hæc conjectura mea, *inquit*, non te statim, Reverende "*Theophile*, trahet in assensum: At longè probabilior est eorum "sententia qui contendunt Christum ipsum, verba & petitiones, quæ "constituunt Orationem Dominicam, ex formulis Precum apud "*Judaeos* usitatis desumpsisse. At quam dicit suam, illius conjectura non est, sed dilectissimi laudatissimique ab eo *Smectymnui*, a quo eam suffuratus est ut alia multa. Unde *Ablativi* nomen quod *Antonio Balduino* ob furandi solertiam, referente *Calvino*, a Condiscipulis inditum est, huic jure potiori competere facilè possem ostendere. Sed isto labore supersedeo, tum quia res non est tanti, tum quia id jam a viro præstantissimo, in aliis ipsius scriptis, si idem sit hujus Apologiæ author qui vulgò creditur & à *Presbyterianis* jactatur, abundè præstitum est.

Smectymnuus, *vox est conflata ex primis litteris tum Nominumtum cognominum quinque* Theologorum Presbyterianorum *qui copias suas conjuxerunt adversus Ecclesiam Anglicanam; quique opus suum ingeniofo hocce titulo, digno scutellâ operculo, insigniri voluerunt. Eorum nomina supra in margine appofuimus.*

Calv. *in Opusculis.*

§. Jam verò ut de Precandi formularum Origine dicam, eas cùm in *Judaeorum* tum in Christianorum Ecclesiâ, non alium quam Deum ipsum authorem habuisse certum est. Extat in Veteri Testamento Benedictionis formula quam usurpare Sacerdotes tenebantur ex Dei ipsius mandato, quum populo benedicerent: *Loquutus est Dominus ad* Mosen, *dicens; loquere* Aaroni *& filiis ejus; sic benedicetis filiis* Israel, *& dicetis eis. Benedicat tibi Dominus*, &c. Extant & aliæ gratiarum actionis ac orationis formulæ cap. 26 *Deuter.* non a Viris magnæ Synagogæ, sed ab ipso *Mose homine Dei*, iis omnibus præscriptæ qui perrecturi essent ad locum quem Dominus eligeret ut ibi invocaretur nomen ejus, hoc est Templum, & priusquam extrueretur Tabernaculum, ad primitias frugum Deo offerendas. *Accedes*, inquit, *ad Sacerdotem & dices ad eum; Profiteor coram Domino*, &c. *Suscipiensque Sacerdos Cartallum de manu tua, ponet id ad Altare Domini Dei tui, & loqueris in conspectu Domini Dei tui*; Deinde sequitur formula. Et eodem capite v. 13. extat alia post completam cunctarum frugum decimam, dicenda. *Loqueris in conspectu Domini Dei tui; Attuli quod sanctificatum est de domo mea, & dedi illud Levitæ & advenæ*, & quæ sequuntur usque ad v. 16. Nec dubium est quin egregium illud ἐπινίκιον quod *Moses* & cum eo filii *Israel* Domino cecinisse dicuntur (*Exod.* 15.) post *Pharaonem*

Numeror. 6. 22.

&

& exercitum ejus in mare projectos, formula fuerit, tum a *Mose* ob liberatum populum ab *Ægyptiorum* manu composita, & plerisque si non omnibus *Israelitis* ut possent illam cantare, communicata. Ab omnibus enim non viris solum sed & mulieribus seorsim cantata dicitur. Sacerdos, quum ad ipsum Maritus ob suspicionem adulterii uxorem adducebat, adjurationis & imprecationis præscriptâ formulâ uti tenebatur quam vide *Numeror.* 5. 19. Capite vero 10. Extant aliæ formulæ ab ipso *Mose* cum elevaretur cumque deponeretur arca, recitari solitæ. In *Deuteronomio* cap. 20. habetur formula quam Sacerdoti præscripsit *Moses*, ut eam ante aciem stans appropinquante prælio recitaret. Præscripsit & aliam quæ habetur capite sequenti a majoribus Civitatis illius in qua inventum fuisset hominis cadaver, cujus cædis author ignoraretur, *ad interfectum recitandam* Extat & *Deuteron.* 27. verborum solemnis formula quâ tum Levitæ tum universus *Israelitarum* populus excelsâ voce uti tenebantur ad maledicendum facinorosis. Extat denique *Deut.* 32. eximium Canticum a *Mose* compositum quod *Israelitas* describere & filios suos docere jussit, quo illud memoriter tenerent & ore decantarent, ut esset illi pro testimonio inter filios *Israel*. Ex titulis multorum e Psalmis *David* constat eos ab omnibus aut saltem a filiis *Core* & aliis canendi peritis in cœtu fidelium decantatos. Quod non eo tantum tempore factum est quum a *Davide* compositi sunt ad celebrandum Deum *Israel* ob accepta tum ab eo beneficia, sed exinde partem memorabilem *Judæorum* Liturgiæ constituerunt. *Quum injunctum* Davidi *esset Prophetæ munus, meritò fidelibus dictavit precandi formam Quod verò multi Interpretes ad certum tempus precem hanc restringunt, mihi non probatur. Fieri potest ut prima occasio sumpta ex uno bello fuerit, sive contra Ammonitas, sive contra alios hostes. Consilium tamen N. B. Spiritus Sancti meo judicio fuit ordinariam precandi formam Ecclesiæ tradere, cujus usum ex verbis fuisse colligimus, quoties discrimen aliquod instabat* (inquit *Calvinus*) *Comment. in Psalm.* 20. Unde *David* quum Levitis officia assignaret postquam Dominus Deus *Israel* populo suo requiem dedisset, ordinavit Cantores qui voce & instrumentis jugiter glorificarent atque laudarent Dominum, Psalmos quos partim ipse, partim alii Prophetæ Sancti composuerant, coram arca Deo canentes. Ostendunt variorum Psalmorum inscriptiones variæ ; ostendit varia eorum materia, eos a variis authoribus temporibusque variis compositos. Et sufficit unus Psalmus 137. ad eos refutandos qui integri Psalterii authorem *Davidem* volunt. Liquet autem ex Historia Regum *Juda*, *Davidis* & aliorum virorum Sanctorum Psalmos non semel tantum cum primum compositi sunt, a fidelibus in cœtu cantatos ; sed formulas fuisse prout rectè *Calvinus* annotavit, quas vulgò usurpavit Ecclesia *Judaica* pro datis occasionibus ad celebrandum Dominum.

Dominum. In Dedicatione Templi, *Sacerdotes stabant in officiis suis & Levitæ in Organis carminum Domini quæ fecit* David *Rex ad laudandum Dominum, quoniam in æternum misericordia ejus, Hymnos* David *canentes.* Josaphat *&* Juda *& omnes habitatores* Jerusalem *ceciderunt proni in terram coram Domino, & adoraverunt eum. Porro Levitæ de filiis* Caath *& de filiis* Core *laudabant Dominum Deum* Israel, *voce magnâ in excelsum, voce consonâ dicentes ex jussu Regis* Josaphat, *Confitemini Domino, quoniam in æternum misericordia ejus.* Quin Psalmus est 106, *Ezechias vero Rex Levitis præcepit ut laudarent Dominum Sermonibus* David *&* Asaph *videntis, qui laudaverunt magnâ lætitiâ.* Qui mos ni ab antiquo obtinuisset in populo Dei, quâ ratione Psalmi qui *Mosi* tribuuntur, quique ab eo compositi vulgò creduntur, conservati sint, cum in Pentateucho nusquam reperiantur, haud video. Sin vero pars *Judæorum* Liturgiæ fuerint, de quo dubitandum non videtur, ad *Ezræ*, aut illius quisquis fuerit, qui Psalterium collegit, tempora, integri facile pervenire potuerunt. Denique silentio prætereunda non est formula quæ *Joelis* 2. habetur in jejunio solemni recitanda. Nam seu ab ipso Propheta tum eâ occasione, composita fuerit, seu Levitis tantum indicata ut eam pro more recitarent (habet enim utraque sententia suos Authores) perinde est, quum in hoc omnes conveniant, formulam precationis esse, aut recitari solitam in jejunio publico, aut eo saltem tempore recitatam.

2 Paralip. c. 7. v. 6.

2 Paralip. 20.

Ibid. c. 29, 13.

§. Jam verò si priusquam ab Ecclesia *Judaica* ad Christianam transitum faciamus, interregnum ut sic dicam, quod medium intercessit inter *Mosaicam* dispensationem & Evangelium, hoc est, Ministerium *Johannis Baptistæ*, percurrere libet, an non præter Psalmos, aliasque precandi ac laudandi Numinis populo *Judaico* consuetas formulas & novam a *Johanne* Discipulis præscriptam reperiemus? *Doce nos orare sicut & docuit* Johannes *Discipulos suos.* Nam orandi formulam Discipulos suos *Johannem* docuisse ex eo constat, quod Christus a suis rogatus ut doceret eos orare *sicut & docuerat* Johannes *Discipulos*, annuens statim responderit, *quum oratis dicite, Pater Noster*, &c. Nam Dominum voluisse ut ipsissimis illis verbis Deum Patrem orarent Discipuli, præterquam quod id satis ostendit illud, cùm oratis, *dicite*, a promulgati Evangelii primordiis ad nostra usque tempora credidit universa Ecclesia Christi; atque ideo Orationem Dominicam in publicis cœtibus constanter usurpasse legitur. Ut mirum sit celeberrimum doctissimumque illum *Hugonem Grotium*, in notis ad Orationem Dominicam (*Luc.* 11.) contra totius Antiquitatis fidem hic cum *Anabaptistis* (quibus & in aliis nimium favere ab emunctæ naris Lectoribus facile deprehenditur) sentire, qui negant Orationem illam a Christo Discipulis traditam eo animo, ut eam precantes recitarent; sed tantum ut ex ea discerent, quid potissimum

Luc. 11. 2.

Videsis R. Merici Casauboni Canonici Cantuariensis, viri doctissimi & magno Parente filii dignissimi, Defensionem Orationis Dominicæ, ubi id ipsum de Grotio observat. Pag. 79.

tissimum a Deo petere in Orationibus deberent. *Tunc temporis*, inquit, *Syllabis non astringebantur*. Quasi vero tunc temporis, moris non fuisset Dominum laudare Sermonibus *David*, *Asaph* & aliorum Psalmographorum. Quasi verò Christus ipse post absolutam Paschatis celebrationem institutamque Eucharistiam, Canticum apud *Judæos* consuetum cum Discipulis una non cecinisset; sed quod vult *Grotius*, hymnum extemporaneum composuisset. Sed nec dedignatus est Dominus, integrum Psalmum 22. aut illius partem, etiam in cruce pendens, & partem trigesimi primi sanctam animam jamjam efflaturus, recitare. Ex his à Precum formulis publicè recitandis non abhorrendum, etiam Apostolorum ævo didicit Ecclesia Christiana; Ideoque & Psalmos, ipsis hortantibus Apostolis, hymnosque cecinit, atque Orationem Dominicam, ut jam observatum est, in sacris cœtibus magnâ cum omnium devotione recitavit. Quæ ab ipso Apologista tacitè conceduntur pag. 32. ubi ait, *in purissima antiquissimaque Ecclesia Christiana, non constare ullas Precum formulas HUMANAS obtinuisse.* Nam *divinas*, quales *Davidis* & aliorum Psalmi, qualis Oratio Dominica, dicere non ausus est. Quum vero divinæ obtinuerint, ut obtinuisse constat, eo satis demonstratur certas statasque precandi formulas in Ecclesia à Christi Ministris usurpari nefas non esse. Neque enim ii quibuscum nobis lis est, omnes omnino orandi formulas, ideo quod *humanæ*, sed quòd *formulæ* essent, ab Ecclesia eliminarant. Unde paulatim proscripta fuit & ipsa Oratio Dominica, ejusdem scilicet criminis, vel imprimis rea.

Grotii *Annotat. in Matth.*

1 Cor. 11. 4. *Ubi prophetare nihil aliud est quam Dei laudes canendo celebrare, ut* 1 Paralip. 25. *legenti patebit. Vide eruditiss.* Joseph. *Med.* 1 Cor 14. 15. *&* 26. Ephes. 5. 18. Coloss. 3. 16.

§. Sed ain'tu, *non constare in purissima antiquissimaque Ecclesia, ullas Precum formulas humanas obtinuisse?* Istud lubet dispicere. Non constat sanè, si formulæ a Sancto *Jacobo* aliisque Apostolis atque viris Apostolicis usitatæ, divinæ censeantur. Sin vero pro humanis habeas, ut habere par est, quicquid in Canone Scripturæ Sacræ non habetur, obtinuisse constat. Nam quod ab Ecclesia vulgò creditum & pro certo habitum est, quum itane an secus res se haberet, longè facilius quam nunc sciri potuit: Id tu quâ fronte negaveris? Ab iis autem traditas usitatasque Liturgias, Ecclesiam olim credidisse multa probant. 1. Id disertè affirmat *Proclus Constantinopolitanus* Episcopus, qui paulò post *Chrysostomum* floruit, in tractatu περὶ παραδόσεως τ̃ ἁγίας λειτεργίας. Ibidem ait a *Basilio Magno* contractam S. *Jacobi* Liturgiam, & a *Chrysostomo* factam contractiorem. Quod de *Basilio*, *Chrysostomoque*, quorum fere æqualis fuit, commemorat, non puto a quoquam vocari posse in dubium. Ex eo autem mihi probè colligere videor *Basilii* tempore extitisse Liturgiam, quæ S. *Jacobi* dicebatur, quæque ab eo tradita credebatur. Eam vero quis nisi temerarius, S. *Jacobi* non fuisse dixerit? At quæ hodie S. *Jacobi* nomine circumfertur Liturgia, eam multa continere certum est, quæ S. Apostoli nec fidei nec ætati conveniunt. Id ego non

Vide in *Biblioth. Pat.*

eo

eo inficias. Sed quid hoc ad S. *Jacobi* Liturgiam quæ a *Basilio* compendiosior facta est? Nisi quis asserat eadem jam tum Liturgiæ isti inserta. Quod si dicatur (quamquam qui dici possit non video) nihil nobis nocuerit, qui Liturgiam illam *Jacobi* vulgo inscriptam, genuinam incorruptamque esse non contendimus. Nec tamen propter Spurias istas additiones, quas observarunt Viri docti, cum clarissimo *Riveto* putem eam totam unâ liturâ inducendam. Nam etiamsi deleantur ea omnia quæ S. *Jacobi* fidei & ætati minus conveniunt, supererit adhuc Liturgia Apostolo Christi non indigna. Sed dato quod non ea modo quæ hodie dicitur, sed & quæ *Basilii* tempore credebatur, S. *Jacobi* Liturgia, suppotititia fuerit; hoc saltem, quod unum volumus, ex eo efficitur, *Basilii* ætate creditum, Liturgias quæ certis constabant Precum formulis, Sanctorum Apostolorum tempore ab Ecclesiæ Christi usu non abhorruisse. Idem dici potest de Liturgiis S. *Petro*, *Matthæo*, *Marco*, *Clementi* adscriptis. Licet enim ab omnibus tanquam Spuriæ jure merito repudientur, mihi tamen dubium non est, nonnulla in iis reperiri ab authoribus quibus tribuuntur, profecta; nempe *Sursum corda, &c.* Pias precationes, & ipsumLiturgiæ ordinem in quo concordant in genere omnes. Cætera autem, si quasdam pias precationes excipias, recte dici possunt ab inimico homine, dormiente Patrefamilias, sata iisque inserta. *At non solet Deus permittere*, inquit Apologista, *ut quæ sunt compositionis Apostolicæ pereant.* Non solet quidem, si in eum finem composita sunt, & illis a Deo inspirata, ut in Ecclesia universâ perpetuò obtineant, qualia sunt quatuor Evangelia, & cæteri N. *T.* libri. Sin verò ea ad quarumdam particularium Ecclesiarum utilitatem solummodo composuerint, quales conciones ac precationes quas pro datis occasionibus frequentes habuerunt & fuderunt, seu eas scriptis mandaverint seu secus (nam utræque compositionis Apostolicæ pari jure dici possunt) quales etiam Liturgiæ quas varias pro varia locorum, temporum & personarum ratione tradiderunt, certe solet; Neque aliud salus Ecclesiæ atque ædificatio postulant.

In Critico Sacro.

• *Secundò*, quin Precum formulas ubique quarto sæculo usurparit Ecclesia Christi nemo dubitabit qui *Augustinum*, *Chrysostomum*, *Hieronymum*, *Gregorios*, *Ambrosium*, *Basilium* cæterosque ejusdem ævi Patres vel mediocriter versaverit. Passim enim ea scribunt quibus id liquidò evincitur. Legatur præ cæteris *Chrysostomi* Homilia quæ inter septem genuinas secunda numeratur, ubi inseritur atque Commentario illustratur precationis formula quæ pro Cathecumenis solebat recitari in cœtu fidelium. In eadem Homilia hæc habentur, τὰς εὐχὰς ὅπω γίνεσθαι κελεύοντ οἱ τ ἐκκλησίας νόμοι. Loquitur & *Basilius* de *invocationis verbis solemnibus a majoribus usitatis in panis Eucharistici & poculi benedictionis ostensione.* Floruit autem *Basilius* Magnus, circa medium Sæculi quarti.

Chrysostom *Homil. in* 2 Cor.

Basilius *de Spiritu sancto. c.* 27.

quarti. Quod autem in Concilio *Milevitano* cui *Augustinus* interfuit subscripsitque anno 402. decretum, ut *Preces a Concilio probatæ ab omnibus celebrarentur, nec aliæ dicerentur omnino in Ecclesia nisi quæ a prudentioribus tractata vel comprobata in Synodo fuissent, ne forte aliquid contra fidem, vel per ignorantiam vel per minus studium sit compositum*; Id non ideo factum est quod antea ex tempore absque certis formulis publicè precarentur Ecclesiæ Ministri; (Jam enim vidimus ex *Chrysostomo Basilioque* Precum formulas in Ecclesia diu ante Concilium *Milevitanum* obtinuisse, idque juxta leges Ecclesiasticas) sed quod multi non tantum Episcopi sed etiam homines privati & indocti, alias novas, sed formulas tamen, Ecclesiis obtruderent. Quod patet vel ex Canone 59. Synodi *Laodicenæ Milevitana* anteriore, quo interdictum ne *Psalmi ab idiotis compositi in Ecclesiis dicerentur*. Patet etiam ex Concilio *Carthaginensi* 3. an. 397. præter usitatas in Ecclesia, alias etiam Precum formulas, Sacerdotes, quas ipsi composuissent, usurpasse. *Et quascumque sibi Preces aliquis describit, non eis utatur*, inquit Concilium, *nisi prius eas cum instructioribus fratribus contulerit*. Quam libertatem propter abusum, penitus sustulit Concilium *Milevitanum*. Tertiò apud *Eusebium* in vita *Constantini* extat Orationis formula quam militibus præscripsit ipse Imperator quolibet die solis ab omnibus unà dato signo recitandam. *At Orationem istam*, inquit *Pyrgopolinices*, præscripsit quidem *Constantinus, sed non Sacerdotibus, verum militibus, iisque cum adhuc essent Ethnici*. At hic prodit Miles noster gloriosus, quorum militum nempe *Ethnicorum*, contubernio delectetur. Nam si cum Christianis *Constantini* militibus aliquantisper consuevisset, non ignoraret & ipsos, *Preces ab Imperatore descriptas die Dominico persolvisse*. Sic enim refert *Eusebius Johanne Christophorsono* interprete. Græcè βασιλεῖ φίλας, quod rectè vertas *Imperatori probatas*. Unde a *Johanne Jacobo Grynæo* annotatum ad ea verba in margine, *hunc Imperatorem jus habuisse præscribendi Preces*. Refert etiam idem *Eusebius* eodem ipso loco, ubi ait precandi formam *Ethnicis* militibus a *Constantino* præscriptam, iis qui fidem Christianam amplexi erant, tempus atque otium Imperatorem indulsisse, ut se diebus Dominicis exercerent ἀκωλύτως τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ, ex more institutoque Ecclesiæ *Orationibus incumbentes*. Morem autem Ecclesiæ fuisse solemnibus Precum formulis in cœtu fidelium uti, ex eodem *Eusebio* patet. Ait enim de pietate *Constantini* disserens, ipsum in Aula ubi Ecclesiæ formam instituerat, cum universo Ecclesiæ cœtu, εὐχὰς ἐνθέσμους *Preces solemnes & juxta præscriptum legis constitutas*, recitasse. Ad Sacerdotes quod attinet, iis quidem precandi formam a *Constantino* ipso præscriptam non affirmat *Eusebius*. Dicit tantum *eum mandasse ut pro se ab Ecclesiæ Præsidibus fierent supplicationes*. Sed perinde nobis est ad probandum quod volumus,

Concil. Milevit. can. 12.

Concil. Carthag. can. 23.

Euseb. in vita Constantini. lib. 4. c. 19.

Ibid. c. 18.

In Editione latina Basiliensi.

Ibid. c. 17.

Ibid. c. 14.

mus, seu formâ ab Imperatore seu a seipsis descriptâ usi sint pro Imperatoria Majestate supplicantes; cum pateat ex capite 17. εὐχὰς ἐνθέσμους *præscriptas Preces* tum in Ecclesia obtinuisse, quod negat Apologista. Imperium autem adeptus est *Constantinus Cæsar*, ineunte sæculo quarto. Quo satis evincitur morem eundem in Precibus Ecclesiasticis tertio sæculo observatum. Illud ipsum scilicet, Precum formulas a Christianis ante *Constantini* tempora publicè usurpatas, ex iis etiam quæ de *Juliano* apud Veteres memoriæ prodita sunt, non obscurè probatur. Observat enim non modo *Sozomenus*, sed & *Gregorius Nazianzenus* Apostatæ contemporaneus, cum ad propagandam gentium Religionem omnes animi nervos intendisset, remque iis artibus quibus agere cœperat, parum procedere animadverteret, aliam viam inire constituisse. Christianorum itaque, cum privatos tum publicos mores atque instituta sacra suos imitari jussit; quod eâ ratione, non verò ope Divinâ, *Galilei*, hoc est, Christi Religionem a tam parvis initiis ad tanta incrementa, hostium quos innumeros, infestissimosque habuerat, conatibus nequicquam obstantibus, pervenisse sibi fingeret. Non modo autem Conciones pro more Christianorum ad plebem, in iis quæ ad cultum Numinis & vitæ honestatem spectant, erudiendam haberi, sed *statas quoque certorum dierum ac temporum precationes in Idolorum templis a Sacerdotibus fieri curavit*, teste *Sozomeno*; καὶ ὅσα τῆς ἡμετέρας σαφῶς ἐστιν συντάξεως, inquit *Nazianzenus*, inter quæ & εὐχῶν τύπον, *Precum formam* annumerat. Vixit quidem post *Constantinum Julianus*. Sed notandum tam a *Nazianzeno*, quam a *Sozomeno* asseri, *Julianum* in *Ethnicorum* Religionem invexisse, non nova quædam Christianorum instituta, qualia fortè nonnulla tum, secundis Ecclesiæ rebus, uti par erat, obtinebant: sed ea omnia (& in iis εὐχῶν τύπον, tanquam eorum συντάξεως partem memorabilem) quibus jam olim sub persecutionum pondere adeo latè se diffuderat ante *Constantinum* Christianismus.

Sozomen. l. 5. c. 16. *Gregor. Nazianzen.* στηλιτ. 1.

Quarto, B. *Cyprianus* qui ante medium sæculum tertium floruit, multa habet quæ ostendunt præscriptâ Liturgiæ formâ usam tum communiter Ecclesiam Christianam. "Sacerdos, *inquit*, ante Orationem Præfati" one præmissâ parat Fratrum mentes dicendo, sursum Corda; ut dum "respondet plebs, habemus ad Dominum, admoneatur nihil aliud se, quam "Dominum cogitare debere. *Et iterum*, "Sed nobis Fratres dilectissimi "præter horas antiquitus observatas orandi nunc & spatia & Sacramen-"ta creverunt. Quod non nisi de certis statisque precandi temporibus & formulis dici potest. Nam quibus & quæ & quantum libuerit (idque dictante Spiritu qui nullis spatiis circumscribitur) orare licet, iis orandi & spatia & Sacramenta crevisse dici nequeunt. Idem *Cyprianus* de Baptismi administrandi ritu hoc habet, "Sed & ipsa interrogatio "quæ fit in Baptismo, testis veritatis. Nam cum dicimus, Credis in vi-

Cyprianus *de Oratione.* *Ibidem.* *Epistola* 70.

"tam

" tam æternam & remissionem peccatorum per Sanctam Ecclesiam, *&c.* Quintò, Ista *Origenis Cypriano* antiquioris, *frequenter* in Oratione dicimus, " Da omnipotens, da partem cum Prophetis, da cum Apostolis " Christi tui ; tribue ut inveniamur ad vestigia Unigentii tui ; precandi formam *nullatenus evincere* non dixisset Apologista, si locum ipsum aut inspexisset ipse aut a quoquam inspiciendum credidisset. Nam statim ista verba ita explicat *Origenes* ut vel ex illa explicatione formulam tum vulgò usitatam rectè quivis inferat. Hæc loquentes, inquit, " non sentimus quæ petimus. Re enim hoc dicimus ; fac nos sic odio haberi, " ut odio habiti sunt Prophetæ : & da nobis verba talia super quæ persecutionem patiamur ; da in istas incidere calamitates, quas Apostoli " sustinuerunt. Audeat ne *Origenes* dicere eos qui per Spiritum orant, quique non nisi quæ dictat Spiritus, orant, ea non intelligere ? Audeat ne alienis verbis a Spiritu suggestis animi sui sensum a sensu dicentis fortè diversum affingere ? Nam ea verba, alio, eoque optimo sensu accipi posse clarum est. Et quis umquam Doctorum Ecclesiæ otio ingenioque suo adeo abusus est, ut operam oleumque in extemporaneis & in auras evanescentibus, precibus explicandis, perdidisse legatur ? Certè ex iis *Origenis* verbis colligunt *Magdeburgenses* ad tertiam Centuriam Historiæ Ecclesiasticæ, illius ætatis Christianos *formulas precationum absque dubio habuisse.* Sed præscriptas Orationes *Origenis* ævo à Christianis vulgò usurpatas liquido constabit hæc illius verba contra *Celsum* legenti, Διαβεβαιούμεθα δὲ ἡμεῖς, καὶ τῇ πείρᾳ παραλαβόντες ὅτι οἱ κατὰ Χριστιανισμὸν διὰ τοῦ Ἰησοῦ τῷ ἐπὶ πᾶσι θεραπεύοντες Θεὸν, καὶ βιοῦντες κατὰ τὸ εὐαγγέλιον αὐτοῦ τῇ προσταχθείσαις τε εὐχαῖς συνεχέστερον καὶ δεόντως νυκτὸς καὶ ἡμέρας χρώμενοι, οὔτε μαγείᾳ, οὔτε δαιμονίοις εἰσὶν ἁλωτοί. *Quintò, Tertullianus Origene* antiquior de Baptismi ritu verba faciens, *aquam adituros*, ait, *Christianam fidem profiteri. Et nos*, inquit, *renunciasse Diabolo & pompis & Angelis ejus ore nostro confitemur.* Idem libro de Oratione, mentionem facit *Orationis legitimæ & ordinariæ. Sexto*, quæ habet idem *Tertullianus* de Orationibus Christianorum pro *Imperatoribus*, ut illis foret *vita prolixa, Imperium securum, domus tuta, exercitus fortes, Senatus fidelis, populus probus, orbis quietus* ; Item, *pro mora finis* : similiter εὐχὴ κοινὴ, & εὐχαὶ καὶ εὐχαριστίαι plurali numero (quod de unica continuata precatione quales sunt *Presbyterianorum* extemporaneæ Orationes, vix potest intelligi) apud *Justinum* Martyrem sæculi secundi Scriptorem ; ut & μία δέησις κοινὴ apud Beatum *Ignatium* Apostolorum coætaneum, cur non de certis statisque precandi formulis intelligantur, haud video. Nam cùm ante adventum Domini, populus Dei precum formulas in sacris cœtibus usurpaverit, nec ideo a Christo Domino umquam reprehensus fuerit, licèt

In Cap. 15. Hierem.

Pag. 135. Edit. Basil. 1560.

Orig. contra Cels. lib. 6. Pag. 302. Edit. Cantabrig.

Tertull. *de Spect. c. 1.*

Apolog. 2. in Epistola ad Magnes.

Orationis vitia quæ inter Judæos cùm in terris degeret, obtinebant, liberè coarguerit: cum contrà, Christus ipse usitatas in Paschatis celebratione formulas usurpare non dedignatus sit; cùm in agone constitutus ter eandem precationis formam Deo Patri obtulerit; cum orandi formulam Discipulis suis ipse tradiderit rogatus ut eos doceret orare; cum formulas in utriusque Sacramenti administratione usurpandas, vel *Altare Damascenum. Pag. 615.* ipso *Calderwoodo* teste, præscripserit; cum denique Beatus *Paulus* Apostolus precandi formam, *Gratia vobis & pax a Deo Patre & Domino nostro Jesu Christo*, in omnibus Epistolis adhibeat, quid est cur primævos Christianos antiqui populi ipsiusque Christi atque Sanctorum Christi Apostolorum morem inter orandum imitatos non putemus; & cùm multa a Deo petenda viderent quæ in Oratione Dominicâ, expressè non habentur, alias Orationum formas sibi descripsisse, publicéque ad mutuam ædificationem usurpasse? Certè ambigi nequit quin carmen illud quod *Plinio Tertullianoque* testibus, *Christo ut Deo* in antelucanis cœtibus primi sæculi fideles canebant, hymnus aliquis, *Angelicus* fortè, fuerit in Ecclesia tum usitatus & ab ipsis Apostolis aut Viris Apostolicis, quorum adhuc multi in vivis erant, compositus. *Amen* illud deni- *Apolog. 2. 1 Cor. 14.* que, quod universus fidelium populus in Ecclesia altâ voce pronunciare tenebatur ad assensum suum testificandum, ut videre est apud *Justinum Martyrem*; ut & apud ipsum Apostolum, supponere videtur præscriptis, & fidelibus vulgo cognitis, precibus usos tum τὺς προεςῶτας. Alioqui iniquum fuisset ejusmodi acclamationem & approbationem ab iis exigere. Nam quemadmodum rectè ait Apostolus, *Quomodo idiota dicet Amen super tuam Benedictionem quoniam quid dicas, nescit.* Sic inquam, quomodo finitâ Oratione tuâ populus ἐυφημῶν *Amen*, ut verbo utar *Justini*, si eam non approbet. Fieri verò posse ut si pro arbitrio oret Minister, populus ea non approbet, cui dubium est? Debebant itaque preces & gratiarum actiones publicæ fidelibus esse cognitæ antequam a Præsidibus totius fidelium cœtus nomine, Deo offerrentur. Quod qui fieri potuit, si non usurpatæ sunt certæ statæque Precum formulæ? Asserere tamen Apologista non veretur in primi, secundi, tertiique sæculi scriptoribus *altum esse de præscriptis formulis silentium.* De quo *Pag. 30.* judicet cordatus Lector. *At constat*, inquit, τὺς προεςῶτας *orasse, prout præsenti actioni, & circumstantiæ loci, temporis & personarum conveniebat.* Quid tum? an non id vel maximè fieri videmus ubi usurpantur certæ Precum formulæ? *Imò* Tertullianus & Justinus Martyr *ea scribunt*, inquis, *quæ satis innuunt Pastores nullis certis verbis astrictos fuisse.* Quænam vero ista sunt? Nempe, Christianos *sine monitore orasse*, ait *Tertullianus*, *quia de pectore.* Quasi verò non orent de pectore quot- *Apolog. c. 30.* quot certis orandi formulis utuntur. Quod si verum sit, neque ipsi Chri-

stiani

ſtiani Orationem Dominicam recitantes orabant de pectore. Eam enim *Tertulliani* tempore fideles recitaſſe, nemo qui *Tertullianum de Oratione* legerit, inficiabitur. Ex iis autem *Tertulliani* verbis nunquam efficies nullas tum a Chriſtianis uſurpatas precandi formulas, niſi prius iſta duo demonſtraveris; ſcilicet Primò, *Tertullianum* per *monito eos* aut precandi formulam, aut eum qui formulam recitet, intelligere. Deinde & iſta duo, *precandi formulam uſurpare*, &c, *de pectore orare*, ita opponi,ut qui orandi formulis utatur, de pectore orare dici nequeat. Quid vult igitur *Septimius?* Scio quid Clariſſimus *Rigaltius*, aliique Viri docti ad hunc locum annotare ſoleant. Sed ſi difficultatem ullam habeat, mihique liceat illorum conjecturis (conjecturæ enim meræ ſunt) & meam addere, nihil aliud eo loco innuit *Tertullianus*, quam Chriſtianos Orationibus, quas pro Imperatorum imperiique ſalute fundebant,ita attentos fuiſſe, in iiſque ita ferventes, ut nihil opus fuerit eos ut *id agerent* monere, quod fiebat apud *Ethnicos*. Notum eſt enim rituale illud *hoc age* quo monebatur Sacerdos ad rem Divinam ſe accingens, ut in eam intentus eſſet. Sed revera iſtis *Tertulliani* verbis mihi nulla difficultas ineſſe videtur. Senſus enim vel vulgaribus ingeniis obvius eſſe poteſt, ſcilicet Chriſtianos de Imperatorum imperiique ſalute ita ſollicitos, ut iis fauſta omnia ſponte atque ex animo injuſſi licèt, nec a quoquam moniti, in cœtibus ſuis quotidie precarentur. *Juſtini* locus, ὁ προεστὼς εὐχὰς καὶ εὐχαριστίας ὅση δύναμις αὐτῷ ἀναπέμπει, æquè ineptus eſt ad probandum in Eccleſia Chriſti tum formulas nullas obtinuiſſe; niſi pariter demonſtretur Præſidem, cum Orationem Dominicam recitaret, non oraſſe ὅση δύναμις αὐτῷ, & illud ἴση δύναμις αὐτῷ, ad extemporaneam rerum verborumque in orando inventionem,non verò ad orantis affectum referri. Quod ſupponit, non probat, neque verò probare poteſt, libri cui titulus, *dies Dominica*, Author anonymus, ubi poſt allegata *Juſtini* verba, hæc habet, *ſi quantum pro virili ſua potuit, orabat, videtur preces conſcriptas non recitaſſe, ad quarum nudam recitationem tanto conamine non erat opus.* Quaſi preces conſcriptæ non eſſent recitandæ,aut verò a piis Chriſti Miniſtris,in omnibus Eccleſiis Reformatis, non recitarentur pari pietatis affectu cum iis aut quæ prius memoriæ mandantur, aut quæ, nullâ præeunte meditatione a viris temerariis in cœtu publico prout cadunt in buccam, ex tempore effutiuntur. Oſtendit ſanè vel hic *Gregorii Nazianzeni* locus, φέρε, ὅση δύναμις, ἁγνισάμενοι καὶ σώματα καὶ ψυχὰς καὶ μίαν ἀναλαβόντες φωνὴν ἑνὶ συναρμοσθέντες πνεύματι τὴν ἐπινίκιον ᾄδειν ἐκείνην ᾠδὴν ἥν ποτε ᾖσεν ὁ Ἰσραὴλ ἐπὶ τοῖς Αἰγυπτίοις τῇ ἐρυθρᾷ καταλυθεῖσι, ᾄσωμεν τῷ κυρίῳ, ἐνδόξως γὰρ, &c. conſcriptam formulam ὅση δύναμις, pro virili, recitari poſſe,atque ea verba de cordis affectu in ea recitanda intelligi. Duo vero ſunt quibus

Aiunt eum eſſe Thomam Yong. lib. 2. c. 10.

Invectiva 1. *in Julianum quæ eſt Oratio tertia.*

bus Semi-enthusiastæ Schismatici nostri, quum omnes omnino Precum & administrationis Sacramentorum formulas extra Ecclesiam apud nos exterminarunt, & decepti sunt ipsi & alios etiam deceperunt. Prius quidem, quod cum longè vehementiùs tum sibi tum aliis affici videatur, qui preces extemporaneas concipit, quàm qui conscriptas formulas recitat, id cordis affectui vulgò tribui solet quod unius facultatis inventricis in rerum verborumque idoneorum inventione laborantis, plerumque opus est, & semper esse potest. Posterius verò, quod & ab Augustissimo CAROLO I. ut pietatis eximiæ, sic perspicacissimi ingenii Principe observatum, illud est; nempe, cùm sibi conscii essent Precum formulas a se perfunctoriâ duntaxat operâ recitatas absque ullo pietatis sensu, illos ex sese (quod fit) cæteros omnes æstimasse & ejusdem teporis vel potius torporis reos judicasse.

In Icone cap. de Liturgia.

CAP.

CAPUT XI.

De Legendis, seu Fabulosis *Presbyterianorum* narrationibus ad oblectandam plebeculam confictis, ut apud eam in ridiculo sit & habeatur Sacra Liturgia, adeoque ipsa Ecclesia Anglicana.

Prima *fabula de Reverendo* Bathonensi *&* Wellensi *Episcopo supra explosa est.* Secunda *de eo cui illud Litaniæ*, a tonitru & fulgure & subitâ morte *jamjam morituro ab Episcopo prælectum fingunt, refutatur. Describitur Liturgiæ Anglicanæ Officium pro visitatione infirmorum. Refutatur* Tertia *de alio moribundo. Refutatur* Quarta *de Superpelliceo casu amisso.* Quinta *de Superpelliceo in cineres redigendo & sub Altari sepeliendo.* Sexta *de cultro ad secandum panem Eucharisticum a Reverendo* Dunelmensi *Episcopo maximi empto & consecrato.*

QUod de cujusdam Galliarum provinciæ incolis vulgo dici solet, eos scilicet *gentem esse hilarem, ad bellum pronam & multum de se præsumentem*, id de Schismaticis Anglicanis jure dici potest. Quantum de se præsumant, abunde manifestum fecit toto libello suo *Pyrgopolinices*; Quam sint ad bellum proni, ipsorum res gestæ adversus Carolum I. ne & *Secundum* dicam, aperte nimis declararunt; Quam vero hilares & faceti, ostendunt eorum lepidæ dignæque quas Pontificii *Legendæ aureæ* inserant, fabulæ, quas in dies comminiscuntur ad sese plebeculamque oblectandam, ut ab ea, Liturgia Ecclesiaque Anglicana contemptui habeantur. Ejusmodi sunt fabula de Rev. *Bathonensi* & *Wellensi* Episcopo jam suprà explosa. *Secunda* Fabula est de viro nobili *qui cum sibi in mortis confinio posito audiret ab Episcopo legi, a tonitru & fulgure & subitâ morte, Libera nos Domine, dixisse fertur*, inquit Apologista, *quid hæc ad me moriturum? Et statim suis* Apolog. p. 40.

verbis

verbis animam ad Deum (ea est elegans Apologistæ latinitas) *commendavit*. Hâc Fabulâ ita delectantur moriones illi, ut in omnibus ferè eorum famosis libellis ad nauseam usque repetatur. At habere debent Fabulæ saltem veri similitudinem, a quâ, quam longissimè abest ista. Neque enim ægris litania, in qua solâ habentur ista, *a tonitru & fulgure*, &c. sed *officium proprium* prælegi solet; quod ejusmodi est, ut eo, sive ad terrorem induratis peccatoribus injiciendum; sive ad pœnitentes in spem ac fiduciam divinæ misericordiæ propter Christum erigendos; sive ad patientiam sub morbi pondere ingenerandam, sive ad charitatem erga omnes conciliandam, siue ad mundi omniumque quæ in mundo sunt, contemptum creandum vanitatemque detegendam, vix quicquam aptius ac potentius excogitari possit. "Tertia Fabula de illo est qui ante duos tresve annos quàm Apologista scriberet, minitatus est præsentare "Pastorem nisi ad Pentecostes festum legeret librum Liturgicum; at "cum videret, *inquit*, ante festum illud moriendum sibi esse, accersivit "Rev. illum Concionatorem & submissè rogavit, ut vellet verbis non "præscriptis sed propriis efflagitare a Deo animæ suæ salutem. Unde "infert aliam esse valentium, aliam ægrotantium de Liturgiis sententiam. Quasi vero Liturgia, aut quos vocat Liturgicos, hoc est ii qui certis Precum formulis in fidelium cœtu utendum censent, illud prohibeant quod a moribundo illo factum est. Extat sanè in Ecclesiæ Anglicanæ Liturgia egregium illud pro visitatione infirmorum officium, de quo jam dictum. Sed suprà vidimus verbi Ministros non ita teneri ad illud recitandum ut non illis liceat aliis verbis aliâque ratione ægrum consolari, si id illius status postulet. Verùm, cùm suæ illius Fabulæ testem neminem produxerit Apologista in prima Editione, in secunda quemdam *Ægidium Eirmin* laudavit. Quis sit verò, aut unde gentium *Ægidius* ille, neque nos novimus, neque ab aliis percontando scire potuimus. Unus fortè est e latronibus quos ad opitulandum Regi *Solenco* misit Pyrgopolinices. At totam istam narrationem Fabulosam esse tibi constabit Lector, si memineris ante decretum pro *Sacrorum* uniformitate, Schismaticis per Declarationem Regiam, de qua in Præfatione, Sacra seu juxta librum Liturgicum seu prout libebat, celebrare, quod & fecerunt, impunè licuisse. Ut frustra fuisset qui ante illius decreti promulgationem minatus esset Parochum ad Episcopum deferre. Extat quarta Apologistæ Fabula pag. 102. de *Superpellicео*. "Cum casu quodàm, *inquit*, "deperderetur hoc indumentum, decrevit Ordinarius ne in templo per "duo Sabbata celebrarentur Sacra. At præter quam quod neque locum ubi, neque tempus quando, neque Ordinarium a quo id factum esse dicitur, indicavit, est ne verisimile primo, delatam esse ad Ordinarium querelam de amisso, casu quodam, *Superpelliceo?* Nam quid opis ab eo expectari potuit, nisi eum pro Divino quodam & Hariolo habuerint, qui amissa

Ibidem.

amissa & furto ablata detegere valeret. 2. Sed esto quod ejusmodi querela ad Ordinarium delata fuerit, quis credat eum propter talem casum paucis aut forte nemini imputandum, toti Parochiæ maximam partem, si non universam, prorsus innocenti pœnam adeo gravem inflixisse? 3. Quid opus erat tanto strepitu propter *Superpelliceum* casu amissum, cùm remedium ubique ad manum sit, nempe si aliud conficiatur. 4. Ad hæc norunt omnes qui *Angliam* norunt, in plurimis Ecclesiis, non solum ante promulgatum decretum pro uniformitate Cultus divini, sed diu post absque linea veste cum nondum comparata esset, Sacra celebrata ab ipsis Ecclesiæ Anglicanæ Ministris. At hâc unâ tamen Fabulâ satis probatum putat disputator eximius, *Superpelliceum* apud nos cum opinione necessitatis imponi. *Quinta* Apologistæ Fabula quartam sequitur pag. 103. ubi ait, "Non ita pridem apud Trinobantes, Doctorem non in-"celebrem asseruisse, illicitum esse *Superpelliceum* lacerum pauperibus "largiri, & suasisse Parœcianis ut in cineres redactum in urna reponerent "& sub Altari sepelirent. Os durum atque impudens! Quin Doctorem illum nominas, ut rideatur, prout dignus est, si vera sunt quæ narras. At quæro ex te, ecquando ita docuit Doctor ille non incelebris? *Non ita pridem* inquis; at hoc non est satis respondere. Lubet adhuc te interrogare; quàm pridem inquam? An ante turbatam a *Presbyterianis Angliam?* Minimè; nam illud, pridem; nempè ante annos plus vigintiquinque. Ecquando igitur? eloquere: num post restitutum Serenissimum Regem? At cum ista scriberes vix agebatur annus tertius ab illius reditu; quo spatio vix credibile est *Superpelliceum* adeo lacerum attritumque fuisse, ut quid illius reliquiis fierent deliberandum fuerit. Sed neque verisimile est ullum Ecclesiæ Anglicanæ Ministrum, nedum Doctorem celebrem, ita insanivisse, cum neque *Superpellicei* neque aliûs cujuscunque indumenti Ecclesiastici hic ulla fiat Benedictio, quâ una tamen niti posset istiusmodi doctrina. His unam tantum Fabulam, non amplius addam. Celebre est Rev. D. *Cosini* nunc *Dunelmensis* Episcopi Dignissimi nomen, non in *Anglia* modò, verùm & apud exteros apud quos diu Regis & Ecclesiæ causâ exulavit. Vulgò etiam notum quanta passus sit initio turbarum a rebellantibus *Puritanis*, cùm bonum quemque maximè siquis eruditione & zelo Dei supra cæteros emineret, modis omnibus vexarent ac persequerentur. Eum ab Ecclesia apud quam Sacro Ministerio fungebatur, & familia violenter avulsum diu carcere detinuerunt, & ut planè Pontificium & ridiculè Superstitiosum traduxerunt, & tandem coram Parlamento ut ad objecta crimina responderet, stiterunt. At quamquam criminationes omnes Vir Præstantissimus & a Pontificiorum erroribus Superstitionibusque alienissimus ita diluit & falsi tam liquidò coarguit, ut tum Judices tum ipsos delatores institutæ accusationis perpuderet; quo tamen impudentissimæ calumniæ semper

aliquid adhæreret, Fabulam, quæ erat inter præcipua accusationis capita, de empto quodam, ab eo, nescio quanti, maximi sanè, cultro ad secandum panem Eucharisticum, & in eum finem solemni Ritu consecrato, tam longè latèque, intra & extra *Magnam Britanniam* sparserunt *Puritani*, ut a quodam Ecclesiarum Reformatarum Galliæ Ministro, eoque non minimæ existimationis viro, qui ejusmodi rumores ad diffamandam Ecclesiam Anglicanam confictos patulis nimium auribus (quod multorum ubique fermè peccatum fuit) hauserat, eadem ipsa Fabula, tamquam verissima ipsi Reverendo *Cosino*, sed in quem cusam non noverat, objecta sit, ut ostenderet *Presbyterianos* non absque omni ratione insanivisse, cùm adeo ridiculè prius insaniissent Prælatici. Non alio autem fundamento nitebatur calumnia illa ridicula, quàm quod cùm deesset culter ad panem Eucharisticum pro more præparandum priusquam Sacræ Mensæ apponeretur, solidum unum R. *Cosinus* Æditthat porrexerit, ut cultrum in eum usum deinceps compararet. Quamquam fatendum si æstimentur impensæ quibus iniquam illam Vexationem redimi oportuit, pretiosissimum fuisse cultrum illum verè potest affirmari. Superioribus alias multas ejusdem farinæ, *Presbyterianorum* fabellas, quibus & alios decipiunt & ipsi decipiuntur, possem adjicere; sed cordato Lectori pluribus non opus est ut videat hisce hominibus sine testibus & argumentis ad fidem faciendam idoneis, non esse temerè credendum.

CAP.

CAPUT XII.

De *Presbyterianorum* Objectionibus adversus materiam in libro Liturgico contentam; ac primò de iis quæ *Gulielmus Apollonii* scripsisse dicitur adversus Ceremonias Cultumque publicum Ecclesiæ Anglicanæ.

Baxterus *Ecclesiarum Reformatarum extra* Angliam *Pastoribus falsò imputat animum ab Anglicana adeo alienum, ut credant eos peccare qui cum illa communionem colunt in iis quæ a Schismaticis damnantur. Discutitur* Gulielmi Apollonii *locus ab Apologista contra Liturgiam Anglicanam productus; & viri illius temeritas coarguitur. Virorum inter Exterarum Ecclesiarum Pastores celeberrimorum; ac imprimis* Amyraldi, Placæi, Friderici Spanhemii Bocharti *pro Sacra Ecclesiæ Anglicanæ Liturgia, & communione nobiscum colendâ, testimonia luculentissima. Excutitur* Calvini *locus*, in Anglicana Liturgia qualem describitis, multas video fuisse tolerabiles ineptias. *Refellitur Fabula de approbata a Romano Pontifice Ecclesiæ Anglicanæ Liturgiâ. Nulla D.* le Moyne *facta est injuria ex publicatione illius Epistolæ ad* Brevintium *datæ.* Hickmannus *notatur.*

STomachum movit Durello, inquit Apologista, *quod Presbyteriani* in petitione pro pace, *scripserint* Pastores plerarumque Ecclesiarum exterarum censere Conformitatem cum Ecclesia Anglicana in iis de quibus ipsi dubitant, illicitam. " Quærit *Durellus* quo " argumento moti hæc scripserint? An possint proferre unum Articu-

 " lum

"lum publicarum Confessionum, Constitutionum Ecclesiasticarum, ullam "Rubricam librorum Liturgicorum, *&c.* unde constet Conformitatem "cum Ecclesia Anglicana ab aliis Ecclesiis Reformatis pro peccato ha-"beri. Addit *Durellus*, si nihil tale proferre possint ex publico aliquo "Registro, quomodo ausi sunt illud dicere & scribere, in magnum præ-"judicium pacis & veritatis, imo propriæ famæ? Id scilicet agit *Du-"rellus*, ut magnis inimicitiis inclarescat, & cum *Baxtero* certasse fera-"tur. At nihil opus est ad rem tantillam (res enim nihili ei videtur plerarumque Ecclesiarum Reformatarum Pastores calumniis onerare & æterni inter eas & Ecclesiam Anglicanam dissidii sementem spargere) "otiosè se demittat tantus *Theologus*. (Nempe qui, aut Sacræ Reipublicæ leges ferat; aut Apologias pro Perduellibus scribat; aut *Olivarium Cromwelium*, *Whalcium* aliosque Parricidas summis efferat laudibus; aut denique Serenissimum *Richardum*; Principem suum compellet, ipsique fidem suo & contribulum suorum nomine polliceatur, & securum "esse jubeat adversus CAROLUM STUARTUM. Hæc enim sola sunt tanto *Theologo* digna. *Animal gloriæ igitur Durellus* qui contra virum tantum vel hiscere audeat.) Dignatur tamen *Pyrgopolinices Theologorum* quidem, ut verissimè ipsemet ait, *minimus*, sed militum gloriosissimus, "cum *Durello* in arenam descendere. Nec metuit ne non "possit in medium adducere cum Professores tum totas Ecclesias a qui-"bus damnata sunt multa quæ in Liturgia nostra continentur atque præ-"scribuntur. Expecto dum solvat fidem.

Hæc sunt Domini Baxteri *egregia facinora.*

§. "Impræsentiarum sufficiat, *inquit*, *Apollonium* nominare, cujus "scriptum Delegati classis *Wallachrianæ* perlegerunt & approbarunt. Magno conatu magnas nugas! Neque enim Professor umquam fuit *Apollonius*, aut ullus eorum sex classicalium (plures enim non fuerunt, iique omnes homines obscuri) qui *Apollonii* scripto calculum suum adjecerunt. Neque tota classis *Wallachriana*, Ecclesia nationalis dici potest, cum sit Ecclesiæ *Belgicæ* imo *Zelandicæ* duntaxat particula. Audiantur verò isti *Wallachri*. "Rejicimus, *inquiunt*, tales Precum & ad-"ministrationis Sacramentorum formulas, quæ quoad materiam sunt "vitiosæ. Non enim permissum in precibus aliisque cultus Divini par-"tibus aliquid illegitimum, impertinens & indecorum proponere, quod "vel Superstitionem, Idololatriam vel hæresin, carnalem prophanitatem, "typhumque mundanum sapit, & communionem cum infrugiferis illis "tenebrarum operibus inducit. Et hanc ob causam rejicimus Ceremo-"nias Cultusque publici formulas in Ecclesia Anglicana, hisce ultimis "corruptis temporibus ab Episcopis Hierarchicis inductas, quæ Super-"stitiosæ & Idololatricæ, deformarunt Ecclesiam & Cultum Dei, & ob-"scurarunt gloriosæ Reformationis facem & faciem. Quam incondita maleque cohærentia sint ista omnia, multis ostendere non opus est.

Id

Id enim cuivis primo patet intuitu. Neque ego jam *Apollonio* ac illius classicalibus *Grallas* objiciam; nam fieri potest, ut *Gulielmi Apollonii Grallarum* faber durius in nonnullis cum viro Reverendo egerit. At hic plane *Grallator* est *Apollonius* cum suis *Wallachriis*. *Grallis* enim adeo sublimes insident ut vertigine correpti, quæ nusquam sunt, neque fuerunt neque futura sunt, ea ob oculos se habere ac videre vigiles somnient, & quæ loquuntur nec ipsi intelligant. Concedunt *Wallachri*, *Gloriosam fuisse Ecclesiæ Anglicanæ facem & faciem*, nempè olim, quum primum Reformata est; sed supponunt *Gloriosæ illius Reformationis facem & faciem obscuratam & deformatam fuisse hisce ultimis corruptis temporibus ab Episcopis Hierarchicis.* Scilicet *Cranmerum*, *Ridleium Marianis* temporibus Christi Martyres, *Whitgiftum*, aliosque Ecclesiæ Anglicanæ sub *Edvardo* ac *Elizabethâ* Reformatores atque Instauratores, non pro Hierarchicis sed pro *Puritanis* habent, adeo sunt homines isti rerum Anglicanarum periti. Ideoque *Ceremonias Cultusque publici formulas Superstitiosas & Idololatricas a modernis Hierarchicis Episcopis in Ecclesiam Anglicanam his ultimis corruptis temporibus inductas* rejiciunt viri boni, idque jure merito, si quæ sunt ejusmodi *Ceremoniæ aut Formulæ*, quæ in Ecclesiam Anglicanam postea invectæ sint. At audi *Gulielme* vosque *Wallachrianæ* classis, *Gulielmi* somniis approbandis delegati, vobis, viris forte minimè malis, sed incautis, credulisque atque temerariis, a Schismaticis impositum est, cum Ceremonias Precumque formulas sub Carolo Rege, diversas ab iis quæ sub *Elizabetha* Regina obtinuerant (quo tempore *Gloriosam fuisse apud nos Reformationem* fatemini) Ecclesiæ Anglicanæ impositas persuaserunt. Comparate vobis *Elizabethæ*, *Jacobi* & *Carolorum* primi & secundi Liturgias, eæ omnes prorsus concordes quoad materiam & formam, imo & quoad verba, ubique ferè reperientur. Itaque nec si ea quæ sub Carolo I. obtinuit Liturgia, *Superstitiones*, *Idololatrias*, *Hæreses*, &c. continebat, ab iisdem corruptelis immunes erant quæ sub *Elizabetha*, *Jacoboque* usurpatæ sunt. Orthodoxa autem & omnis *Idololatriæ*, *Superstitionis*, *Hæreseos*, &c. pura, *Elizabethâ* & *Jacobo* regnantibus, ab omnibus Ecclesiis Reformatis, ne *Wallachrianâ* quidem classe exceptâ, (quamquam nec tum Ardeliones in ea defuerint) magno cordatorum omnium consensu habita est Ecclesia Anglicana. Si quæ igitur vobis recti honestique ratio est, errorem, prout viros bonos decet, agnoscite, & in authores rejicite; ac temeritatis credulitatisque vestræ conscii, earum veniam deprecantes, de rebus vobis ignotis cavete in posterum ne judicetis, nec quemquam inauditum, nedum integram Ecclesiam, eamque Reformatarum omnium vel Doctissimo *Blondello* teste, multis nominibus, facilè primam, a vobis damnari contingat. *Ecclesia Anglicana*, inquit ille, *omnium Ecclesiarum Protestantium eminentissima.*

Vide librum cui titulus, Gulielm. Apollonii Grallæ.

Gerson. Bucerus.

Blondell. de Primatu in Epist. Dedicat.

§. Verum

§. Verum si *Wallachri* se homines imperitos, præcipites, planeque temerarios hic præbuerint cum de Liturgia Ecclesiæ Anglicanæ judicarunt, æquiores ei fuere, præter *Ludovicum Capellum* SS. Theologiæ Salmuriensem Professorem Celeberrimum qui eam in Schola adversus *Presbyterianos* tamquam simplicem ac puram atque ab omni Superstitione & Idololatriâ Papisticâ repurgatam publicè tutatus est, alii plurimi Viri præstantissimi doctrinâ ac pietate perillustres *Spanhemius*, *Chabræus*, *Dallæus* uterque, uterque *Langlæus*, *Bochartus*, *Drelincurtius*, *Heraldus*, *Goyonus*, *Gachæus*, *Martellus*, *Petrus du Bosc*, *Petrus le moyne*, *Vauclinus*, *Morinus*, *Rondeletus*, aliique a me in Tractatu Anglicano laudati. Quibus addi possunt *Amyraldus* & *Placæus*, ambo *Salmurienses* Professores Celeberrimi. "Liturgiam Anglicanam, *inquit* Amyraldus, πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, legi attentissimè; est autem illa sane "talis meo judicio, ut in multis Zelum vere Christianum incendere, & "fidem efficacissimè fovere apta nata sit: in aliis omni veneno vacet; "universè illibatâ Religione, & non modo sine conscientiæ ullo vulnere, "sed etiam cùm admodum memorabili pietatis fructu celebrari & usurpari possit. *Placæus* verò, si in Anglia viverem, *inquit*, non me deterreret conscientia quominus Ceremonias observarem quas ibi ad Ecclesiæ Romanæ Erroribus ac Superstitionibus defæcatas retinuerunt. "Deus enim, Pacis non partium aut factionum Deus est. Quibus omnibus opponit Apologista unum *Gulielmum Apollonii* cum sex *Wallachrianis* Approbatoribus, idque satis esse putat ad *Baxterum* aliosque *Presbyterianos* a falsi crimine liberandos, qui in *Petitione pro Pace* quam vocant, affirmare non dubitarunt "Pastores plerarumque Ecclesiarum exterarum judicare Conformitatem cum Ecclesia Anglicana in "iis de quibus ipsi dubitant, illicitam esse. Infra verò pag. 137. *ait*, "Non esse quod eorum omnium præstantissimorum virorum testimonia "multum moveant, cum planum sit eos novum librum Liturgicum numquam vidisse. Quasi verò de novo libro, seu potiùs de nova libri editione (nam liber novus non est) tantum ageretur, ac vetus ille, quem defendit *Capellus*, quem probarunt tot viri eximii, quem suspicit *Spanhemius*, quem *Amyraldus* tot ornavit encomiis, non fuerit a *Presbyterianis* extra Ecclesiam contumeliosè eliminatus. Utrum verò libri Liturgici vetus editio novâ sit *tolerabilior*; nova autem vetere ut *auctior* sic *corruptior*, quod ait Apologista, Lectorum erit judicare. Eam enim in gratiam Exterorum, in Sermonem latinum transtulimus jamque sub prelo sudat, mox in vulgus proditura. Suo loco videbitur, ubi agetur de *Crucis signaculo*, num status quæstionis fuerit a me immutatus, quod pro sua temeritate, affirmat Apologista. Interea advertat Lector Liturgiam illam quam *Presbyteriani* ut Superstitionis, scandali & tantum non impietatis ream, obliterandam duxerunt, cujusque usum ut transmarinis

Vide Thes. Salmur. Tom. 3. de Liturgiis.

In Epistola Commentario in Psalmos præfixa.

In Dialogo inter Patrem & filium. pag. 25. secundæ Edit. *de quæstione, num liceat missæ Pontificiæ interesse.*

rinis Reformatorum Ecclesiis gratificarentur (sic enim præ se ferebant) interdixerunt per universam magnam Britanniam quam longè patuit ipsorum imperium; advertat Lector, inquam, Liturgiam illam, viris inter exteros Reformatos Primariis, talem visam fuisse, ut "non modo sine "conscientiæ ullo vulnere, sed etiam cum admodum memorabili pietatis "fructu celebrari & usurpari possit; Sacrisque nostris dum juxta illius formam ac præscriptum celebrarentur, interesse apud nos degentes voluerint. Quod præ ceteris testantur scriptis publicis tum *Fredericus Spanhemius* ὁ μακαρίτης, *Genevensis* primum, deinde *Leydensis* Sacræ Theologiæ Professor, tum *Samuel Bochartus Cadomensis*, vir summus. *Spanhemius* sic loquitur, Reverendissimum *Usserium* Armachanum Archiepiscopum & Illustrissimos *Pembrochiæ* & *Lauderdaliæ* Comites compellans; "Obversatur mihi crebrò grata ista Ecclesiarum vestra-"rum facies, ista in Publicis pietatis exercitiis Reverentia, ista attentio, "iste vestratium in Dei cultu fervor; iste Magnatum & privatorum "Zelus, ista publica simul & domestica pietas, patria genti vestræ vir-"tus, cui geminam frustra pene alibi quæras, vix certè reperias. Sed gratam illam Ecclesiarum Britannicarum faciem *Presbyteriani* ferre non potuerunt. *Bocharti* verba sic habent. "Neque horum, inquit, Gallos Reformatos innuens, "in Britannia quisquam fuit, qui non libenter "interesset Sacris vestris, postquam aliquem Anglici Sermonis sibi "comparaverat usum, & ab Episcopalibus *Presbyteris*, aut etiam ab Epis-"copis ipsis, si res ferret, Sacram reciperet communionem. Quod & "mihi aliquoties non sine fructu contigisse profiteor, dum *Londini* & "*Oxonii* S. Theologiæ dabam operam. Et ne hoc *Spanhemii*, *Bochartique* duntaxat placitum esse videatur, en etiam *Amyraldum*, illud ipsum attestantem. "Galli, *inquit*, e nostris qui in Anglia versantur, si "linguam Anglicam callent, Anglorum cœtibus libentissime intersunt, "& Eucharistiam ex eorum more participant, & Episcopis sese subjici-"unt, quantum id Ecclesiæ pax & ædificatio postulat.

In Præfatione Directorii. *Vide supra* Amyraldi *locum.* *In Epistola Dubiis Evangelii præfixa.* *In Epistola ad Reverend. Com. Doctorem* Morley. *Amyraldi Irenic.* p. 351.

§. Verum his omnibus unum *Calvinum*, non quidem Apologista, nec alius quisquam, quod sciam, ex quo *Calvini* locus a me excussus est in Tractatu Anglicano, sed *Smectymnuus* aliique Schismatici solent opponere, & hæc illius verba, *In Anglicana Liturgia multas video fuisse tolerabiles ineptias*, ad nauseam usque inculcare, ut celeberrimi viri authoritate Sacræ Liturgiæ nostræ fastidium apud imperitos creent. Ea verba in quadam *Calvini* Epistola reperiri certum est. At quam parum istorum causam juvent, aut nostram feriant, mox apparebit, ubi ostendero qua occasione *Calvino* exciderint. *Mariani* temporibus ingens Reformatorum numerus Angliâ excesserunt ad vitandam Pontificiorum persecutionem. Illi variis Europæ locis substiterunt. Qui *Francofurtum* ad *Menum* se receperant, cum linguam Germanicam non callerent,

Smectymnuus. Sect. 2. *Calvin. Ep.* l. p. 213.

callerent, in Ecclesiam seorsim coire, & Sacra Sermone Patrio, impetratâ prius a Magistratu veniâ, celebrare decreverunt. At mox in partes scissa est nascens Ecclesia, aliis Novam Liturgiam adornare & Ritus Anglis ignotos instituere conantibus, aliis Ecclesiæ Anglicanæ, cujus membra erant, cujusque causâ extorres agebant, consuetam Liturgiam, quandoquidem id licebat, sibi Anglis usurpandam æquiùs ducentibus. Qui Anglicanam Liturgiam repudiabant, *Calvinum*, cujus erat apud utramque partem, ut & apud omnes per Europam Protestantes (si quosdam rigidiores *Lutheranos* excipias) magna authoritas, de exortâ cum Fratribus controversiâ certiorem fecerunt, & eâdem operâ Liturgiam ac Ritus Anglicanos iis coloribus effinxerunt, qui *Calvino* ad suas partes trahendo aptiores videbantur. Quid hic *Calvinus?* Num manibus pedibusque prout speraverant, in eorum it sententiam? Nequaquam. "Hoc verò, *inquit*, me graviter excruciat, &c. valde absurdum "est, inter Fratres ob eamdem fidem a Patria exules ac profugos dissi- "dium oriri, & quidem hac de causa, quæ vel sola debuerat in hac vestra "dispersione, quasi Sacrum vinculum, vos simul devinctos tenere. Nunc "verò de precandi formâ & Ceremoniis, quasi in otio & deliciis litem "a quibusdam moveri, idque obstare quominus in unum Ecclesiæ cor- "pus, isthic coalescatis, nimis meo judicio intempestivum est. Deinde professus *in rebus mediis, quales sunt externi Ritus, facilem se & flexibilem præbere*, de Anglicana Liturgia, prout ab iis describebatur, qui ab illius usu abhorrebant, sententiam dicturus, nihil Superstitiosum, nihil impium aut non ferendum dicit in ea se deprehendisse; Sed, *in Anglicana Liturgia, qualem describitis*, inquit, *multas video fuisse tolerabiles ineptias*. Quod Liturgiæ nostræ *haud ita magnum encomium esse*, ait *Smectymnuus*. Neque ego contra dico. At magnam iis verbis Liturgiæ nostræ notam injuri si putat, prout innuere videtur; aut si inde probatum credit, *Calvino* satius visum tria Regna Britannica turbari & tantum non everti atque omnia divina & humana susque deque ferri, quam illius usum in Ecclesia retineri oportere, vehementer quidem fallitur. Nam agnoscit in ea se nihil reperisse, quod non queat tolerari. Sed priusquam *Smectymnuum Calvinumque* missos facio, quædam hic veniunt annotanda, ne major inter eos concordia esse videatur, quàm revera est. Observa igitur *primò*, *Calvinum* impietates, Idololatrias aut Superstitiones in Anglicana Liturgia nullas vidisse, sed tantum ineptias, hoc est, res minus aptas minùsque expedientes. *Nam ineptus*, inquit *Cicero*, *nomen habere videtur quod non sit aptus*. Unde *Calvinus* nonnumquam se ipsum ineptum vocat, seque ineptire dicit. Itaque nihil adeo durum atroxve in Liturgiam Anglicanam dixit. Observa 2. a *Calvino* non dici *esse* res ejusmodi minus aptas minùsque convenientes in Anglicana Liturgia, sed *fuisse*. Unde mihi probabile fit descriptam a *Franco-*

Lib. 2. de Oratore.

Dabunt veniam Lectores si offendiculis obviam ire volens, paulùlum ineptiam Calv. L. de Scandalis.

Francofurtensibus Puritanis Liturgiam EDVARDI Regis sexti priorem, juxta *Alexandri Alesii* Latinam versionem. Nam posterioris nulla tum extabat Latina versio. Scio huic meæ conjecturæ objici posse ex Dissidii *Francofurtensis* Historiâ, Liturgiæ Descriptionem ad *Calvinum* transmissam, ex EDVARDI Regis posteriore desumptam videri. Sed cùm Historiæ illius Scriptor *Puritanus* fuerit, & ex *Calvini* Epistolâ quam Historiæ suæ inseruit, clausulam expunxerit, ut mox dicam, nobis in omnibus jure merito suspectus esse debet. Deinde in ea ipsa Liturgiæ Descriptione quam a *Puritanis* ad *Calvinum* transmissam asserit, multa reperiuntur quæ habet *Edvardi* Liturgia prior, non autem posterior; qualia sunt hæc, *Labia* mea *aperias Domine*, *&* *os* meum *annunciabit laudem tuam. Domine in adjutorium* meum *intende; ad adjuvandum* me *festina*, juxta Officium Romanum, in quo hîc Sacerdos pro se solo orare consuevit; cùm in posteriore sub *Edvardo* Liturgiæ Editione & aliis deinceps, ista omnia de tota Ecclesia, *labia nostra*, *os nostrum*, &c. plurali numero enuncientur. Denique ex *Calvini* Epistola ad *Coxum* (non *Knoxum* prout mendosè vulgo legitur) datâ, qui pro Liturgiâ Anglicanâ stabat, manifestum est, in ea Liturgiæ Descriptione quam a *Puritanis* acceperat, quorundam mentionem factam, *Luminum* scilicet, quæ usurpata non sunt in Ecclesia Anglicana, ex quo prodiit *Edvardi* Regis Liturgia posterior. Quod & agnoscit author Historiæ Dissidii *Francofurtensis*; negans interim illud de *Luminibus* a *Francofurtensibus Puritanis Calvino* fuisse perscriptum; ut illa *Lumina Calvino* visa fuisse oporteat in somniis. Sed *Calvino* magis credendum quam sibi conscio malæ fidei Historico, qui suorum culpam in ipsum *Calvinum* rejicere & ipsam *Calvini* Epistolam corrumpere non dubitavit. Quorsum ista? Ad rem maximè. Nam si de priore illa, quæ sub *Edvardo* Rege sexto facta est, Liturgiæ Anglicanæ Editione loquutus est *Calvinus*, nihil ad eam quam nunc usurpamus, in qua multa desunt quæ in ista legebantur, quæque ideo Reformatoribus nostris, non minus quàm ipsi *Calvino* inepta, seu minus apta visa fuisse dici possunt, cùm ea expunxerint. Observa *tertiò*, eas omnes, quas in Anglicana Liturgia descripserunt ineptias, ineptias tantum, easque tolerabiles, ut jam dictum est, *Calvino* visas fuisse. Quod de pane azymo & oblatis quibus tunc temporis utebantur in cœna Domini omnes Ecclesiæ *Helvetica* ac *Genevensis Calvinus*, quandoquidem ipsi minus probabantur, dicere non dubitasset. Cùm enim oblatarum usum in Eucharistia improbaret, illas ad eam rem ineptas sanè putabat, adeoque pro *ineptiis* licet *tolerabilibus* habebat. Sed quia *in rebus mediis facilem se ac flexibilem præbebat*, ideo Ecclesiam propter ejusmodi tolerabiles ineptias, aut scindere, aut deserere, a Christiani hominis officio alienum ducebat. Quin ipsam Ecclesiæ *Genevensis* Disciplinam (quam

Vide Bezam in vita Calvini.

eum

eum adeo deperiisse volunt nonnulli, ut illam in omnes Reformatorum Ecclesias introducere fategerit) tolerabilem tantùm dixit. *Ex quo*, inquit, *ad hanc Ecclesiam reversus sum, Disciplinæ forma, si non perfecta, & qualis optanda foret, saltem tolerabilis viguit* Observa *quartò*, *Calvino* numquam visam fuisse Anglicanam Liturgiam, sed ad ipsum illius Descriptionem tantùm a *Puritanis* transmissam. Unde ut virum ingenuum decebat, non dixit, *in Anglicana Liturgia* simpliciter, sed *in Anglicana Liturgia QUALEM DESCRIBITIS, video multas fuisse tolerabiles ineptias.* Qualem verò descripserint, si ex *Didoclavii* aliorumque *Puritanorum* Liturgiæ Anglicanæ Descriptionibus conjicere est, summam fuisse *Calvini* modestiam, qui nihil durius in eam dixerit, fuisse fatebimur. Atque hinc verba illa, *Qualem describitis* (quibus ostendit se ex aliorum, de quorum fide dubitasse videtur, potiùs quam proprio judicio loqui) in *Dissidii Francofurtensis Historiâ* primùm expuncta sunt, & exinde a *Presbyterianis* dum hunc *Calvini* locum allegant, supprimi solent. Ex his *Calvinum* constat nihil in Liturgiam Anglicanam scripsisse, aut siquid ex illius scriptis eò trahi posse videatur, id omnino falsis *Puritanorum* suggestionibus imputandum. Quod idem pro se jam responderet *Calvinus* si viveret, sanctèque reciperet sibi numquam in mentem venisse, publîcam Ecclesiæ Anglîcanæ Liturgiam censuræ suæ publicè subjicere, sed tantùm ad quæsita per privatam Epistolam privatim respondere; & ne id quidem facturum fuisse, si scivisset eos ad quos scribebat, eorumque filios ac nepotes responsione suâ tam fœdè abusuros. Atque utinam ii qui *Calvino* multum tribuere videri volunt, *Calvinum* imitarentur, ac quemadmodum ille pacificè se gessit in Ecclesia *Genevensi*, utut oblatarum usum in cœna Domini, & ipsius cœnæ celebrationem rariorem, & alia fortasse improbaret; unde dubitandum non est, quin eundem se, hoc est, *facilem flexibilemque*, atque, ut ita dicam, *Conformistam* in rebus mediis (qualia ea omnia judicabat quæ a *Puritanis* repudiabantur, cum ab eo dicantur *tolerabilia*) in Ecclesia Anglicana præstitisset; ita isti publicis Ecclesiæ Regnique institutis pacis causâ sese subjicerent, licet ea usquequaque ipsis haud probentur. Nam hoc si faciant, omne sublatum est ex Ecclesia dissidium. Id verò haud gravatè facerent si cum *Calvino* reputarent "non fixas esse & "perpetuas sanctiones quibus astricti sumus, sed externa humanæ infir- "mitatis rudimenta, quibus tametsi non indigemus omnes, tamen om- "nes utimur; quia alii aliis ad fovendam inter nos charitatem mutuò "sumus obnoxii.

Calvin. Epistol. lib. pag. 165.

Calvin. Institut. lib. 4. cap. 10. Sect. 31.

§. Sed hîc silentio prætereundum non est, quod adversus Liturgiam nostram objectavit Gallicæ *Puritanorum* Apologiæ scriptor, quodque unum satis esse putat ad eam apud omnes Reformatos æternum infamandam. "Ut multa paucis dicam, *inquit*, hoc unum scire vos ne- "cesse

Apologie pour les Puritains d'Angleterre. pag. 37.

" cesse est, duos Romanos Pontifices, PIUM IV. scilicet & GREGORIUM " XIII. (Prout scribit *Cambdenus* in *Elizabetha*) successivè pollicitos " se Liturgiam Anglicanam publicè approbaturos atque illius usum " decreturos, modò eam *Elizabetha* ab ipsis acceptam ferret; Respondeo, etiamsi res prout ab isto refertur, ita se haberet, nihil tamen inde adversus Liturgiæ nostræ Orthodoxiam, jure concludi posse; cum vulgo notum sit, non esse insolens ut *Pontificii certis quibusdam conditionibus etiam de Articulis Fidei*, cum iis pacificantur quos pellectant, & ad partes suas adducere conantur. Non paucos ipsi novimus, cum in *Gallia* degeremus, quibus Jesuitæ aliique Romani Pontificis Emissarii permiserunt, dummodo Ecclesiæ Romanæ nomen darent, ubi bonis operibus meritum, Purgatorio, aliisque Pontificiorum dogmatibus, donec ea omnia possent deglutire, fidem derogarent. Nec tamen inde sequitur, eos non esse hactenus Orthodoxos, qui Purgatorio fidem, bonisque operibus meritum derogant. Quis vero nescit a Pontifice Romano in Concilio *Basiliensi*, anno 1432, Calicis usum in Cœna Domini *Bohemis* concessum; qui ideo improbandus repudiandusque esset, si benè procederet istius vitilitigatoris argumentatio adversus Liturgiam Anglicanam. Modo regnet Papa & pro Christi Vicario Ecclesiæque universæ capite agnoscatur, in reliquis Religionis capitibus initio non solet esse admodum difficilis. Novit enim ea omnia olim sponte sequutura siquæ gens adeo dementata fuerit, ut ipsius arbitrio sese permittat. Verum quod ab isto narratur de confirmandâ *Pii 4*, aut *Gregorii 13*, authoritate Liturgiâ Anglicanâ, fabula mera est, ab illius tempestatis Puritanis ad eam traducendam, absque ullo fundamento conficta. Nam quod commentum illud in *Cambdenum* authorem rejicit, Clarissimo Historico ingentem facit injuriam, ut patet ex ipsis *Cambdeni* verbis loco citato, quæ hic apponam, quo hominis ad mentiendum enormis licentia, Lectoribus magis magisque innotescat. *Cambdeni Elizab. ad an. 1560.*

" *Pius* quartus Pontifex Romanus, inquit, Nescio qua spe, *Vincentium* " Parpaliam Abbatem S. Salvatoris, cum arcanis mandatis & litteris " blandissimis ad eam submisit; Deinde subjecto literarum exemplari. " Quæ *Parpalia* proposuit, inquit, non comperi. Nec enim scriptis " mandata credo; comminisci verò cum vulgo Historicorum minimè " lubet. *Elizabetham* sui similem, *Semper eandem*, perstitisse, & rem " pro Pontificis voto non successisse, omnes norunt. Fama obtinet " Pontificem fidem dedisse, sententiam contra matris nuptias, tam- " quam injustam, rescissurum, Liturgiam Anglicam sua authoritate " confirmaturum, & usum Sacramenti sub utraque specie Anglis per- " missurum, dummodo illa Romanæ Ecclesiæ se aggregaret, Roma- " næque Cathedræ Primatum agnosceret, imò & hæc curantibus aliquot " aureorum millia fuisse promissa, Hæc *Cambdenus*. Ubi advertat

" Lector Pontificem, Sacramenti quoque usum sub utraque specie per-
" misisse, si fama nihil mentita est. Sed vide etiam *Fulleri* Historiam
" Eccles. Britannicæ in *Elizabetha* ad eundem annum, ubi fabulam illam
" refellit.

§ *Atque ista ni sufficerent*, nempe quæ de *Baxtero*, de vetere & novo libro Liturgico, de mutato statu quæstionis suprà effutiit Apologista, *Addere possem*, inquit, *Reverendum illum concionatorem de cujus Epistolâ maxime gloriatur* Durellus, *conquestum fuisse, magnam sibi ex publicatione istius Epistola factam esse injuriam, & verba ejus vel mutilata vel detorta esse.* Isthæc unde habeat aut habere se somniet, ignoro; at certus sum non à præstantissimo Domino *Le Moyne*, cujus Epistola non nisi cum bona ipsius veniâ publici juris facta est. Quod ostendunt ipsius ad Rev. *Brevintium* datæ literæ; nec ulla illius verba detorta esse umquam questus est, aut jure queri potuit; cum ipsius autographum adhuc penes me sit ad fidem faciendam. Sed suprà vidimus esse Presbyterianos sycophantices peritissimos,& fabularum Artifices miros. Ingenuè tamen fatendum est Clarissimum D. *Le Moyne* molestè ferre potuisse nonnulla omissa. Ea autem sunt duûm generum. Nam quamquam Viro Doctissimo Anglorum Reformatio præ cæteris arridet, & nonnullos nævos in ea quæ a Gallis facta est, deprehendere sibi videtur, (nam ubi in quibusdam erratum non est?) Multus tamen ille est, ut ostendat se Ecclesias Reformatas *Galliæ*, pro veris Christi Ecclesiis, in quibus nihil ad salutem necessarium desit, habere, summoque studio colere; & verò a piis omnibus habendas & colendas: Et si qui sint qui aliter sentiant, eos nec illarum Ecclesiarum, nec universæ militantis Ecclesiæ Christi conditionem nosse. Quæ ideo omissa fuere, quod ad rem de quâ agebatur parum aut nihil facere viderentur, licet appositè admodum ab eo scripta sint; ne quis fortè, ut sunt hominum mores atque ingenia comparata, Ecclesiam in qua sacro ministerio fungitur, ab ipso damnari somniaret; quod & factum est ab hominibus imperitis. Vehementer etiam D. *Le Moyne* in furiosum quemdam Presbyterianum, *Hickmannum* nomine, invehebatur, ob perniciosum illius libellum, statim post Regis serenissimi reditum, in vulgus Sermone vernaculo emissum, quem inscripsit, *Laudensium Apostasia*. Nam cùm videret isti Alastori nihil aliud propositum, quam ut Presbyterianorum cum Ecclesiâ Anglicanâ reconciliationem & ad eam accessionem, quam tum plerique post tot eorum errores, sperabant, optabant sanè boni omnes, consuetis maledicendi & calumniandi artibus, præpediret; id ut illi impunè cederet, haud æquum putaverat vir pacis Ecclesiarum Dei amantissimus. At cum nihil aliud sit *Hickmannus* iste quam plagiarius insignis monedulâ furacior, dum de rebus disputat, ut qui nihil afferre soleat, nisi quod ab aliis surripuerit; & sycophanta merus, dum, turpissimâ ἐπαγωγῇ
vel

vel *Aristotele* Judice, sophistarum propriâ, a rebus ad personas transit, nempè cui adversariis ea tribuere solemne sit quæ adversariorum non sunt; indignus visus est, cujus a quoquam, nedum a Viro Clarissimo, ulla mentio fieret. Sunt enim ejusmodi larvæ hominum despiciendæ, nec pro hominibus habendæ. Ad hæc *Hickmannum* istum ajebant, modò splene, modò hypocondriis, modò sincipite graviter admodum, minimum duodecies in anno, idque nonnunquam ad delirium usque laborare. Commiseratione itaque & veniâ dignus potius quam indignatione & acriore reprehensione, quæ hominem fortassis, quartâ lunâ natum, in novum paroxysmum adigat, mihi visus fuerat; Ut uni Pyrgopolinici nunc, quod ulla hic illius mentio fiat, quemadmodum & *Baxterus*, *Mantonus*, aliique Presbyterianorum antesignani, de quibus lubens siluissem, acceptum ferre debeat.

CAP.

CAPUT XIII.

De diebus Festis ab Ecclesia Anglicana observatis, quos omnes *Presbyteriani*, dum in *Anglia* Regnum obtinerent, penitus sustulerunt.

Quæ, Quo numero, In quos usus, Quâ ratione Festa celebrentur in Ecclesia Anglicana. Collectæ Festorum quorundam propriæ. Festorum Ecclesiæ Anglicanæ ab iis quæ celebrat Ecclesia Pontificia, discrepantia. Apologistæ dissimulatio, ubi ait a Presbyterianis *Festa simpliciter haud damnari.* Lutherus *Festa probavit.* Jacobi *Regis de Ecclesia Scoticana jactatio quam laudant Apologista &* Calderwoodus, *vix credibilis; si Regi juveni exciderit, Ecclesiæ Anglicanæ nihil nocet.* Genevenses, *a Festis diebus, licet nullos observent, si diem* Scalarum *quem vocant, excipias, non abhorrent. Eos probant* Theodorus Beza, Spanhemius, Calvinus, *quo inscio, nec probante, in Ecclesia* Genevensi *abolita sunt. Asserit, non probat Apologista, Articulum* Helveticæ *Confessionis de Festorum celebratione ab Ecclesia Scoticana repudiatum. Ecclesias Belgicas Festa* invitas *retinere malâ fide asserit Apologista. Eâdem fide ait* Lutheranos Calvinianis *imputare, quod omnia Festa sustulerint; cùm ea ubique præterquam in Ecclesia* Genevensi celebrare, *nec minùs quam sit apud nos, ab operibus servilibus abstinere soleant. Majore numero in quibusdam Ecclesiis Reformatis celebrantur quam in* Anglicanâ. *Non præferuntur aut æquantur Diei Dominicæ. Bonis operibus, non otio aut luxuriæ impendi debent. Non tamen interdicuntur Festis diebus honestæ recreationes;*

neque

neque diebus Dominicis. Liber Recreationum legitimarum primùm Jacobo, *deinde &* CAROLO I. *Regnante editus. Non verisimile est plebem Anglicanam dies Festos Sanctis dicatos credere.* Ludovicus Capellus, *Festa simpliciter non damnat.* Aretius, *loco ab Apologista adversus Festa citato, Festa defendit. Ea quoque defendunt tanquam legitima atque utilia* Bucerus, Zanchius, *aliique Celebres Reformatorum Theologi.*

POstquam Apologista, Ecclesiæ Anglicanæ Liturgiam à Presbyterianis ideo repudiatam dixit, *quia Liturgia est*, hoc est, quod certis constet Precum & administrationis Sacramentorum formulis; (Nihil enim aliud adversus illam hactenus attulit, proindeque nihil quod non adversus aliarum Ecclesiarum Reformatarum Liturgias æque militet) ad materiam quæ in ea continetur accedens, *Ne in generalibus diutius verser*, inquit, *in Calendario duo præcipuè improbamus.* 1. *Festa.* 2. *Capita Apocrypha.* Festa ait ideo Presbyterianis displicere. 1. *Quod majori numero apud nos quam apud Ecclesias puriores, celebrentur.* 2. *Quod diei Dominicæ æquentur aut etiam præferantur.* 3. *Quod in iis populus luxu diffluat.* 4. *Quod rudis plebecula credat dies illos Sanctis quorum nomen præ se ferunt, dicari, & inde propensior fiat ad Sanctos invocandos.* Deinde *Hieronymum Zanchium, Ludovicum Capellum, Lutherum, Calvinum, Bucerum, Bullingerum, Aretium, Erasmum & ipsum Jacobum Regem; & Scoticanam, Genevensemque; Belgicas item, Helveticasque atque Bohemicas Ecclesias* pro Presbyterianis adversus Ecclesiam Anglicanam adducit. Antequam respondeo, Quæ, quo numero, in quos usus, quâ ratione Festa celebrentur in Ecclesiâ Anglicanâ, paucis edisserere operæ pretium videtur. Præter ea quæ dicuntur *Christi Festa*, eò quòd ad Christum Dominum & præcipua quæ vel passus vel operatus est pro generis humani redemptione referantur, & S. *Apostolorum*, S. *Stephani* Protomartyris & aliorum paucorum, sed eorum tantum quorum Scriptura meminit, alia nulla observat. Nam quæ *Annunciatio* & *Purificatio* Beatæ Virginis *Mariæ* dicuntur, ea manifestum est ad Christum ipsum propriè referri. *Annunciatio* Festum est Conceptionis seu *Incarnationis*; *Purificatio* vero, *Christi in Templo Præsentatio*; prout expressè habetur in Liturgiâ nostrâ. Unde nec ulla in *Collectis* seu Orationibus dierum illorum, Beatæ *Mariæ*, sed Christi Incarnati in illâ, in Templo præsentati in istâ mentio fit. Quamquam nec eorum commemoratio fieri potest, quin & *Beatissimæ Virginis* memoria unâ eâdemque operâ concelebretur, adimpleaturque quod ipsa Spiritu Prophetico afflata

futurum

futurum prædixerat, *ut eam omnes gentes Beatam prædicarent.* Sunt autem omnia illa Festa numero *Viginti octo.* Quorum cum multa in Dominicam incidant, alia quidem semper, ut *Pascha* & *Pentecoste*, alia sæpè ut cætera mobilia, eorum numerus eâ ratione quotannis non parum imminui solet: ut Festorum multitudine gravari Ecclesia Anglicana jure dici nequeat. Festa autem apud nos, in hos usus præcipuè celebrantur; 1. Ut Dei Optimi Maximi beneficiorum, per Christum Redemptorem imprimis, per Christi Apostolos, perque alios sanctos illius servos, secundum gratiam quæ unicuique eorum data est; in genus humanum collatorum memoria meliùs conservetur. 2. Ut ingentia illa beneficia certo quodam ordine ex sacris literis repetita & in Concionibus fideliter exposita, à populo (quod fieri docet experientia) attentius audiantur, facilius rectiusque intelligantur, ac firmiùs
De Civitat. Dei, teneantur; *nè volumine temporum ingrata subrepat oblivio*, ut loquitur
Lib. 10. cap. 4. *Augustinus*; 3. Ut Christi Domini eximiorumque eorum Christi servorum, quorum Scriptura meminit, Fidei, Spei, Charitatis, Patientiæ aliarumque virtutum exemplis toties nobis propositis, cum in Sacris Scripturis, tum in Concionibus sacris iis temporibus haberi solitis, ad eorum imitationem indies alacriùs feramur. Atque eos fines ut assequatur Ecclesia Anglicana, Festa sua hac celebrat ratione; scilicèt ea cum veteris tum novi Testamenti loca, quæ rei aut personæ cujus commemoratio fit, maximè conveniunt, singulis Festis diebus publicè prælegi curat: undè & Concionum Themata, pro arbitrio, desumere solent Concionatores more majorum, prout testantur S. Patrum Sermones de tempore. Sunt præterea Festorum singulorum, *Collectæ*, quas vocant, hoc est, Orationes, *propriæ*, sed omnes ad unum Deum per Mediatorem Christum directæ, in quibus gratias agit Ecclesia pro acceptis beneficiis quorum memoriam recolit, simulque orat ut iis rectè ad Dei gloriam æternamque animarum salutem utatur. Lubet in gratiam fratrum transmarinorum, quibus visa non est Ecclesiæ Anglicanæ Liturgia Sacra, Collectas nonnullas diebus festis recitari solitas, hic integras describere. In Festo S. *Johannis Baptistæ.* "Omnipotens "Deus, cujus Providentiâ famulus tuus, *Johannes Baptista* miraculosè "natus est, & missus, ut Filio tuo servatori nostro per prædicationem "pœnitentiæ viam pararet, fac nos illius Doctrinam ac Vitam sanctam "ita imitari, ut verè resipiscamus juxta illius Doctrinam, & secundum "illius exemplum constanter veritatem annunciemus, liberéque cri-"mina reprehendamus, atque patienter pro confessione veritatis mor-"tem perferamus, (quam multa paucis!) Per Jesum Christum "Dom. nostrum. In Festo S. *Matthæi.* Omnipotens Deus, qui per "benedictum Filium tuum vocasti *Matthæum*, ut ex Publicano fieret "Apostolus & Evangelista; gratiam largire nobis, quâ omnes avaras cupiditates,

"cupiditates, & opum inordinatum studium abjiciamus, & eumdem "Filium tuum Jesum Christum sequamur, qui vivit & regnat tecum & "cum Spiritu Sancto, unus Deus, in Sæcula Sæculorum, *Amen. In* "*Festo S. Lucæ.* Omnipotens Deus, qui vocasti *Lucam* Medicum, "cujus laus est in Evangelio, ut Evangelista fieret, & animarum quo-"que curam susciperet. Præsta, quæsumus, ut salubribus Doctrinæ "illius medicinis, omnes animarum nostrarum morbi sanentur, per "Merita Filii tui Jesu Christi Domini nostri, *Amen.* Ejusdem prorsus commatis sunt cæteræ omnes Festorum *Orationes propriæ*; quæ ideo Collectæ mihi, (quamquam ferè aliter sentiunt Ritualistæ,) dictæ videntur quod ex iis quæ diebus illis ex Epistolis & Evangeliis prælegi solent, collectæ sint atque omninò desumptæ. Quæ omnia si cum Festis Ecclesiæ Romanæ & iis quæ ad Festa in ea referuntur, conferas, tibi, quid ab Anglicanâ & hæc vicissim ab illa hactenus differat, quamque multifariam Romana in Festorum suorum institutione, numero, fine, observatione denique, peccaverit & ab Ecclesia Primitiva abierit, liquido constabit.

9. Primò, Multorum quasi Divorum Festa celebrat Ecclesia Romana, de quibus jure dubites an umquam extiterint, multorum etiam de quibus rectè ambigas, an Cœlo fruantur. 2. Ut personarum, sic rerum etiam non modo incertarum ac Chimericarum, sed & earum quæ sine impietate quadam vix asseri posse videntur, memoriam Festivis celebritatibus colit; Beatæ Virginis *Immaculatam Conceptionem* puta, ejusdèm in Cœlum *Assumptionem, &c.* Quæ duo Ecclesiæ Anglicanæ imputari nequeunt; cùm neque Rei neque Personæ ullius memoriam celebret, cujus commendatio in Scripturis disertè non habeatur. 3. Festorum numerus in Ecclesia Romana adeo excrevit atque exorbitat, ut iis omnes totius anni dies vix ac ne vix quidem sufficiant, si singularum Diœceseòn Ecclesiarumque dies Festos iis qui universim, ubique, ab omnibus observantur, annumeres. A quo excessu quàm longissimè abest Ecclesia Anglicana, ut patet ex supradictis. 4. Festa celebrat Ecclesia Romana, ex opinione cultus, necessitatis & meriti: Anglicana verò liberè, ordinis tantùm decorique atque majoris ædificationis gratiâ. 5. Apostolos, Martyres aliosque Viros Sanctos vitâ functos diebus illorum nominibus insignitis invocat Ecclesia Romana; Deum unum orat Anglicana. 6. Divorum, Romana; unius Christi Merita in Orationibus Deo offert Anglicana. 7. Sanctorum Intercessionibus, quorum memoria celebratur Romana; Solius Christi Mediatoris Patrocinio Anglicana Deum Propitiare atque exorare satagit. 8. Divorum Pictas, aut etiam ex auro argentoque, aliâve materiâ conflatas imagines, eorumque reliquias Theatrali pompâ Festis Diebus circumgestat adorandas, Ecclesia Romana; At Anglicana, virorum Sanctorum Fidem, Spem,

Charitatem, Patientiam, Zelum, Fortitudinem cæterasque Virtutes quibus delineatur viva eorum Effigies, prout Spiritus Sanctus eas in Sacris Litteris nobis innotescere voluit, fidelium ob oculos ponit. Quibus adde 9. Festos dies ab Ecclesia Anglicana sanctos nec vocari nec haberi, quod eos putet esse per se cæteris sanctiores: sed propter sancta pietatis exercitia quibus destinantur, quæque in iis peragi curat, juxta illud *Augustini*; *Nos & Dominicam diem & Pascha solemniter celebramus & alias dierum Celebritates; sed quia intelligimus quò pertineant, non tempora observamus, sed quæ illis significantur temporibus.* Vide etiam locum egregium Ecclesiastici, c. 33. 7... 12. Denique, licet plerisque diebus Festis *Anglia* ferietur cessans ab omni opere servili; non tamen cessationem illam Ecclesia Anglicana, quæ in istiusmodi rebus potestatem ex sese nullam habet aut sibi arrogat: sed summus Magistratus, quemadmodum in aliis Regnis Rebusque publicis puriorem Religionem profitentibus, partim ob rationes Politicas, partim ob majorem Sacrorum Solemnitatem, imperat. Nam satis prorsus facit Ecclesiæ proposito, quisquis qua par est animi Devotione, Matutinis Vespertinisque Sacris interest. Unde est quòd jubeantur *Ministri plebem docere, si messis tempore, postquam Sacris interfuit, segetibus metendis aut in horrea congerendis aliquo die Festo operam dederint, ne putet eo quicquam peccari. Contrà verò si quis iis diebus ab opere propter conscientiam Superstitiosè abstineat, eum graviter eo pacto Deum offendere.*

[Contrà *Adimant.* c. 16.]

[In Injunctionibus *Elizabethæ* Anno Domini 1559. Art. 20]

9. Atque Festa ea, quæ a me suprà commemorata sunt, non alia; tot numero, non plura; hosque, non alios ob fines, atque eâ prorsus ratione cùm a prima Reformatione sub *Edvardo* VI. facta primò, deinde a Serenissima *Elizabethâ* denuò instaurata ad nuperas usque Schismaticorum turbas, Ecclesia Anglicana, non sine ingenti piorum fructu constanter observasset, ea omnia, ne ipsis quidem Christi Domini Festis exceptis, Presbyteriani unâ inductâ liturâ obliterârunt. Unde videre est Apologistam hic ut ubique, malâ fide agere, dum ait p. 47. *Presbyterianos Festorum observationem simpliciter non damnare.* Dum autem adversus Ecclesiæ Anglicanæ Festa primâ fronte ita disputat, ac si eorum numerum & adjuncta quædam tantummodo improbaret, fucum facit Lectoribus. Nam eo collimant quæcunque effutiit a 42, ad 47 paginam, ut Festa a Schismaticis Anglicanis jure sublata atque etiamnum tollenda ostendat. Nec tamen veretur Sycophanta ad alias Ecclesias Reformatas (quamvis nulla sit, si unam Genevensem excipias, quæ Festa multa non celebret,) provocare. Imo *Lutherum* laudat tanquam Presbyterianorum sententiæ de abolendis Festis omnibus, excepto Dominico, patrocinantem; cùm tamen *Lutherus*, quicquid ad Nobilitatem Germanicam scripserit, & *Lutherum* sequutæ Ecclesiæ

[*In Appendice ad Directorium de Diebus ac Locis cultus publici.* p. 42. & deinceps.]

in

in Confessione Fidei *Carolo Cæsari, Augustæ* exhibitâ, dierum Festorum celebrationem disertis verbis approbent. Quod ostendit & hodierna omnium *Augustanæ* Confessionis Ecclesiarum constans praxis.

Cap. ultimo de Potestate Ecclesiastica.

§ Ad cæteras Ecclesias Reformatas quod spectat, *Genevensem* ait Apologista, *nullas dies solemnes præter Dominicam observare.* At eâdem paginâ, hujusce suæ assertionis oblitus, *Jacobum Regem*, & cum Rege totam Synodum Nationalem Scotiæ laudat dicentem, *& pie ac prudenter jactitantem, Ecclesiam Scoticanam esse totius orbis sinceriorem* (sincerissimam dixisset cum *Calderwoodo*, cui hæc, ut alia plurima surripuit; sed maluit solœcisare quàm videri illum sequutus) *sinceriorem vicinâ* Angliâ, *cujus Liturgia nihil aliud erat quàm Missa vulgari Sermone malè versa; sinceriorem ipsâ* Genevâ, *quæ Paschatis & Natalis Christi diem observabat.* Sed quis credat aut *Calderwoodo* aut Apologistæ talia de *Jacobo* Rege referentibus? Quæ tametsi vera forent, ejus tum ætatis Rex fuit, cùm adeo imprudenter loquutus fuisse perhibetur, ut non tam quæ sentiret quæque comperta haberet ipse, quàm quæ ab institutoribus acceperat, & quasi ex ore dictantium recitasse putandus est. Nam annum vix agebat vigesimum quartum, cùm habita est Venerabilis illa Synodus Nationalis cui non displicuisse fertur, ut tam aliena a vero Anglicanæ Genevensique Ecclesiis imputarentur: Aliena autem a vero esse, quæ de Anglicanâ, Synodo Scoticanæ, *Calderwoodo*, & Apologistæ, *pie prudenterque dicta* visa sunt, vel ex hac ipsa Puritanorum Apologiâ quam confutamus, manifestum est. Quamquam enim profitentur se causas dicturos, cur ab Ecclesiæ Anglicanæ Liturgiâ tantopere abhorreant, nec à mendaciis, si qua possint ullo colore prætexere, abstinere Religio est: nullam tamen ei cum Missa Pontificia conformitatem, nedum identitatem, quæ una satis esset ad eos excusandos, toto libello suo ausi sunt objectare. Neque etiam verum est *Paschatis & Natalis Christi dies* ab Ecclesia Genevensi celebrari. Nihilo tamen magis verum, quod asserit Apologista *eam nullas dies Solemnes præter Dominicam observare.* Ad Genevensibus enim magna celebritate quotannis observatur 12. *Decembris*, qui scalarum muro admotarum dies vulgò dicitur, Sermone vernaculo, *L'escalade*, Festum Politicum seu Christianorum Genevensium *Purim*, Festo 5. *Novembris* Anglorum consimile, in memoriam liberatæ a perfidis *Sabaudi* insidiis eâ die, Civitatis *Genevensis.* Quo satis ostendunt se ab aliarum dierum præter Dominicam Anniversariâ observatione simpliciter non abhorrere; neque adeo iniqui putandi sunt, in cæteras Reformatorum Ecclesias, ut eas damnare audeant, eo quod acceptorum a Deo Spiritualium Beneficiorum, eàdem ratione qua ipsi beneficii Temporalis memoriam recolant, & ad gratias pro iis agendas sese excitare studeant. Id sanè sæpius disertè testati sunt post *Calvinum* Celeberrimi

Altare Damascenum, p. 666.

B. In Passionem Homiliâ 18. S. Dub. Evangelic. Tom. 2. Dub. 15.

Ecclesiæ Genevensis Theologi, *Beza*, & *Spanhemius*, qui profitetur *Genevæ* scribens, se *Solemnitatis Natalitia Celebrationem Anniversariam piissimam judicare & utilissimam.* Imo ex *Calvino* constat, non modò, illo inscio nec probante, sed nec ullo in Concilium adhibito Theologo, non Senatus consulto, sed præcipiti Plebiscito, *Genevæ* abolita Festa omnia. *Ego*, inquit, *Sanctè testari possum me inscio ac nec optante quidem, hanc rem* (Festorum abrogationem) *fuisse transactam.* Atque alio loco *Quum Plebiscito audivi abrogatos esse dies illos, adeo res erat inexpectata, ut propemodum obstupuerim. Certè si sententiam rogatus essem, nihil aliud dico, nisi quòd vix ausus essem ità statuere.* Adeo discrepat *Calvini*, aliorumque Genevensium Theologorum à *Westmonasteriensium* placito circa Festorum observationem sententia.

Calvin. Epist. ad Hallerum, p. 136. Ibid. ad Ministrum Burensem p. 138.

§. Sed subsidium quod frustra a Genevensibus petiit Apologista, præbebit fortè Ecclesia Scoticana. Ne id quidem. Nam quòd ait, cum ab ea reciperetur *Confessio Helvetica*, disertè cum exceptione Festorum (quæ eâ Confessione probantur) factam esse approbationem, de eo nobis dubitare licebit, donec quo Authore id asserat, indicaverit. Nulla sanè Exceptiònis illius mentio fit in litteris *Bezæ*, nulla in syntagmate Confessionum, imò nec in ipso Altari *Damasceno Calderwoodi*, si benè memini. Fateor quidem, quamdiu in *Scotiâ* regnavit Puritanismus, ab eâ tamdiu exulasse Festa omnia. Sed melioribus identidem moribus usa est. Testis est *Buchananus*, *Scotos Ritibus cum Anglis communibus*, in quibus Festorum celebratio, *subscripsisse.* Testis & *Knoxii* Historia Ecclesiastica, Dynastas & Barones *Christum Dominum profitentes, decrevisse, ut non tantùm Dominicis sed & Festis diebus, prælegerentur ex Vetere & Novo Testamento Lectiones juxta ordinem libri Liturgici.* Quæ duo suprà annotavimus. Deinde vulgò notum est admissa Festa Christi a Synodo Nationali *Scotiæ*, Perthi, An. habitâ; & exinde ad turbas usque Presbyterianorum ubique observata.

Paginâ 70.

§ Sed Sycophanticam impudentiam maximè prodit Apologista *p.* 49. ubi asserit Ecclesias Belgicas alia Festa præter Dominicum retinere, sed *invitas*; Ad cujus rei probationem Articulum 7. Constitutionum Synodi *Dordracenæ* Anno 1578. affert, quasi nesciat Synodi illius ut & aliarum superioris ætatis, Constitutionum plurimas jam diu antiquatas; ac litem quæ de Festorum observatione aliquando in Ecclesiis Reformati *Belgii* agitata est, Canone 67. Celebris illius Synodi annis 1618, & 1619. in eadem Civitate *Dordracenâ* habitæ, his verbis diremptam. *Ecclesiæ observabunt præter diem Dominicum, etiam diem Nativitatis Domini, Paschatis item (& Pentecostes,) cum die insequenti. Et quoniam in plerisque Urbibus ac Regionibus* Belgii *insuper observantur Festa Circumcisionis ac Ascensionis Christi, allaborabunt Ministri, quibuscunque locis id nondum est usu receptum, ut volente Magistratu hac in parte reliquis accedant.*

Vide *Can.* Synod. Dordr. a *Jacobo Revio* Gr. ac. Latin. editos.

§ Ejusdem

§. Ejusdem Sycophantiæ est, quod ait *p.* 49. Lutheranos *communiter numerare inter errores* Calvinianorum, *quòd omnes Ferias præter diem Dominicum sustulerint*: Et *p.* 53. *Fratres* Bohemos *&* Waldenses *passim à Papistis reprehendi ac damnari, eò quòd nulla Festa præter diem Dominicum celebrarent.* Nam quorsum hæc inquam, cum scias tum *Lutheranos*, si qui sint qui istud affirment, tum *Pontificios*, *Calvinianis* quos vocant, Fratribusque *Bohemis* injuriam facere; nisi ut imperitiores Presbyteriani ejusmodi Sycophantiis decepti, in Schismate confirmentur. Nam præterquàm quòd vulgò notum est vel ex concionibus, in Ecclesiis *Palatinatûs*, *Brandenburgii*, *Cliviæ*, *Principatûs Anhaltini*; *Hassiæ*, *Wetteraviæ*, Civitatis *Bremensis*, *Embdanæ*, aliarumque Regionum atque Civitatum *Germaniæ* quæ *Calvinianæ* audiunt, Festis diebus habitis & Typis editis, in iis omnibus Festorum observationem publicam à prima Reformatione obtinuisse; quis ignorat in Confessione *Helvetica*, cui subscripserunt præter omnes *Helvetiorum* Reformatorum Ecclesias, *Genevenses*, *Rhæti*, *Hungari*, *Transylvani*, *Poloni*, *Lithuani*, imò *Scoti*, Anno 1566. ut suprà observatum, hæc de Festorum Christi Celebratione haberi; *Si Ecclesia pro Christianâ libertate memoriam Dominicæ Nativitatis, Circumcisionis, Passionis, & Resurrectionis, Ascensionis item in Cœlum & Missionis Sancti Spiritus in Apostolos Religiosè celebrent, maximopere approbamus.* Et vel ex ipsis *Bullingeri* verbis quæ citat Apologista, patet in Ecclesia *Tigurinâ* quæ Reformatorem habuit *Huldericum Zuinglium*, Virum Præstantissimum, & ab omni Superstitione alienissimum, retenta Apostolorum Festa; quæ non ideo postmodum abrogata sunt, quòd ab illa Ecclesia ullatenus improbarentur: Sed tantùm ut importunorum hominum clamores & calumnias quibus gravabatur, compesceret. Ecclesiæ autem Fraternitatis *Bohemorum* in *Moraviâ*, *Poloniâ*, aut ubicunque considere & quiescere afflictis illis Divinâ Providentiâ concessum est, in publica Fidei confessione, post enumerata Christi Festa, in quibus & Festum Transfigurationis, sic loquuntur; *Præterea Sanctorum memoriæ celebrantur, ut Beatissimæ Virginis, Apostolorum, ut aliorum item, sed eorum præsertim, quorum Scriptura meminit.* Eadem Festa celebrantur in Ecclesiis Reformatis *Poloniæ Majoris* & *Minoris*, ut & Magni Ducatûs *Lithuaniæ*. Quid autem ad hæc Pyrgopolinices? *non est*, inquit, *quòd dissimulemus, Ecclesias* Bohemicas *retinere Apostolorum, & aliquot Martyrum dies.* Cur ergo dissimulas scelest e, ubi ais *Fratres* Bohemos *passim a Papistis reprehendi, eò quòd nulla Festa celebrent præter Dominicum?* *Sed ea*, inquis, *retinent ordinis solùm & memoriæ causâ, non ex Conscientia aliqua, & in occasionem constantiæ exempla in Martyribus proponendi, atque subinde aliquid utile populum admonendi.* Quasi vero aliis de causis, aut ob alios fines ab Ecclesia Anglicana

In Syntagmate Confession.

Anglicana celebrentur. *At peractâ concione ac precibus, ad operas se conferunt; non ut apud nos, quod reliquum est diei, in commessationibus turpiter consumunt.* Quasi vero abusus istiusmodi non æquè improbet ac reprehendat Ecclesia Anglicana atque Schismatici; aut eos damnet qui diebus illis post Sacrorum Solennia, ad operas redeunt, ubi nullâ summi Magistratus lege publicâ id prohibetur. At vix ullam inter Reformatos Regionem aut Civitatem reperias, ubi id liceat. Certè *Calderwoodus* illud ipsum quod jam nobis objectavit *Damascenus* noster, & aliquid amplius aliis Ecclesiis Reformatis exprobrat. *Absurdissimum mihi videtur*, inquit, *quod etiam in aliis Ecclesiis Reformatis tam rigidi sunt in diebus Festis à Prophanatione per opera servilia vindicandis, quum diem Dominicum quem dedicarunt & sanctificarunt Christus & Apostoli, impunè prophanari permittant; & quòd magis libera sit hujus quam illorum observatio.*

In Altari Damasceno p.689.

§. Jam Respondeamus ad ea omnia quæ suprà objectavit Apologista. *Presbyterianis Festa displicent*, inquit, *quòd majori numero apud nos quàm apud Ecclesias puriores celebrentur.* Sed Primò, ex Superioribus patet Festa apud Ecclesias *Bohemicas, Moravicas, Polonicas, Lithuanicas*, quæ ab omnibus Reformatis, purissimæ habentur, ut & apud eas quæ *Augustanam* Confessionem amplectuntur, numero plura quàm apud nos celebrari. Deinde hanc esse meram cavillationem, ex eo constat, quòd jam suprà annotavi, nempe, Presbyterianos non de Festorum numero tantum cum Ecclesia Anglicana litigasse, sed Festa omnia in Directorio suo penitus sustulisse. Imo adeo usque abfuerunt a Festo ullo observando, ut ne *Natali* Christi quidem pepercerint; in quem, cùm Anno 1644 jejunium indixisset ipsorum Rebelle Parlamentum, dici non potest quantoperè *Calamius* eo nomine lætatus sit, quòd speraret eâ dierum confusione portendi, *Natalem* Domini Dei nostri ab eo tempore numquam celebratum iri in *Anglia*.

Vide Calamii *Concionem eo die habitam.*

§. *Displicent* II. *Festa*, inquit, *quòd diei Dominicæ æquentur aut etiam præferantur.* Nobis verò, ut & bonis omnibus, si res ita se haberet, si Sacris Pietatis exercitiis, si intensiori etiam rerum Divinarum Meditationi quam ipsa dies Dominica, vel a pientissimis vulgò observatur, Festa simul & dies Dominica impenderentur, quâ unâ ratione illi æquari possunt aut etiam præferri, magis placerent. Sed audiamus quomodo probet Festa æquari Dominico. *Tam Festa*, inquit, *quam dies Dominica, habent proprias Lectiones & Collectas*; hoc est, Capita rei aut personæ cujus commemoratio fit, convenientia; & Precationes appositæ, diebus Festis pro ut & Dominicis, in cœtu fidelium publicè recitantur. Homo ridiculè! Tune velles igitur Lectiones ἀπροσδιονύσους ineptasque collectas, quales esse solent Presbyterianorum extemporaneæ Precationes, Festis diebus recitari, ne æquentur Dominico?

In

In utrisque etiam sub eadem pœnâ, præcipitur abstinere, (*Prisciani* Discipulus dixisset abstineri) *ab omni opere servili*. Istuc falsum; nec si verum foret, inde sequitur Festa Dominico æquari, cum in aliis possit illis anteferri. Sed annon cessatio ab operibus servilibus etiam imperabatur, cùm in Templis jejunia sua in gratiam Rebellantis Parlamenti, aut solemnes gratiarum actionis dies ob victorias a Perduellibus adversus Regem reportatas, celebrabant Presbyterianorum Ministri? Ergone dies illæ, Dominicæ æquabantur? *Sed præferri etiam videntur*, inquis; *Nam Primò, si in diem Dominicum incidat Festum aliquod, legenda illa capitula, non quæ Dominico, sed quæ Festo designabantur*. Sed id non ideo fit, O bone, quod Festum Dominico præferatur; Sed quòd eo Anno Festi Lectiones, Dominicæ illi in quam Festum incidit, propriæ sint. Deinde, *Quædam Festa*, inquit, *sua habent vigiliarum jejunia; Dies Dominica non habet*. Credit Lectores perinde atque ipsum otio abundare qui ejusmodi ineptiis eos detineat. Nam neque ideo fit quod Dominicæ Festis postponantur, sed ne biduum continuum singulis septimanis jejunio impendatur; cum feria sexta, juxta vetus Ecclesiæ Institutum, per totum annum ei destinetur.

§. Tertio, *Festa ideo Presbyterianis displicere*, ait, *quod in iis populus luxu diffluat*. Respondeo Luxum illum populi qui diebus etiam Dominicis, ubivis gentium, nimius esse solet, Ecclesiæ Anglicanæ non minus improbari, ut jam supra dictum est. Neque audebit negare Apologista, audacissimus licet mortalium, quin Luxu diffluere solitus sit populus, cùm sævientibus Bellis Civilibus, solennes gratiarum actiones ob varias Regiorum clades identidem a Presbyterianorum Ministris, jussu Rebellantis Parlamenti, publicè haberentur. Cùm igitur luxus ille minimè obstiterit, quominus Parlamento, in eo morem gererent, certè nobis condonent æquum est, si Patriis Ecclesiasticisque legibus obsequamur in re minimè malâ, licet eâ nonnulli abutantur. Si quis autem scire aveat quâ ratione Festa ex mente Ecclesiæ Anglicanæ, celebrari debeant, adeat librum egregium, cui Titulus, *The whole Duty of Man*, Authore anonymo, sed Viro quisquis sit, subacti ingenii, Pietatis eximiæ, & Doctrinæ reconditæ, atque Ecclesiæ Anglicanæ addictissimo; nempe, sacris frequentandis, beneficiis, quorum commemoratio fit, meditandis, junioribus instituendis, ægris visitandis, juxta Canonem 13 Ecclesiasticæ Disciplinæ. Unde Dies Sacros, *Holy Days*, consueta Ecclesiæ Anglicanæ nomenclaturâ, non *dies Feriarum* aut Festivos, *Festival days*, ut volebant Presbyterianorum Reformaturientium Ministri, dici debere, jure merito contendebant Reverendi Episcopi, cæterique Theologi, in colloquio cum istis, Regiæ Majestatis jussu, Instituto An. 1662: in ædibus Subaudicis. Quamquam nec honestis recreationibus post navatam publicè privatimque Sacris operam, feryis, tyronibus,

Vide Constitutiones Synodi *Londinensis*. anno 1604.

Vide *The Grand Debate*.

nibus, quorum apud nos satis dura conditio, atque aliis qui laboribus assiduis fatigari solent ad reficiendas aliquando eâ ratione corporis vires, & respirandum a sudoribus, quod ne jumentis quidem ipsis negatum a Deo Clementissimo, utque paratiores alacrioresque ad intermissas operas redeant (nam horum omnium rationem in Festis instituendis Deus olim habuit sub lege veteri) interdicendum censet Ecclesia Anglicana, ne diebus quidem Dominicis. Unde *Jacobi* Regis primùm, deinde etiam *Caroli* I. jussu, editus est *Recreationum Dominicis aliisque diebus Festis legitimarum* adversus Judaizantes Puritanos, & diei Dominicæ Festorumque prophanatores, libellus, sanis tamen Legibus circumscriptus. Eo enim indicatur *quibus recreationibus*, diebus illis uti fas sit, nempe iis, quæ nullâ Lege Patriâ prohibentur; *& quibus*, nempe iis solis, qui bis sacris interfuerint; & *quando*, nempe post peracta sacra vespertina; & *ubi*, nempe in propria uniuscujusque Parochiâ. Quæ ideo hic obiter annotare visum est ob odiosos Presbyterianorum adversus libellum istum clamores, quem etiam ausum est ipsorum Parlamentum, quæ fuit istorum hominum effrons arrogantia, Zelo plusquam Judaico Carnificis infami manu comburere? Quamquam ejusmodi recreationibus, iisque minus limitatis, plebem refici diebus Dominicis apud *Genevenses*, *Helvetios*, aliosque Reformatos, nihil frequentius. Sed nostri, Reformatos imò ipsam Reformationem intensius reformare voluerunt.

§. Denique, *Festa ideo* Presbyterianis *displicere*, ait, *quòd rudis plebecula credat dies illos Sanctis quorum nomen præ se ferunt, dicari, & inde propensior fiat ad Sanctos invocandos.* Respondeo primò, dato, non concesso, rudiorem plebem errorem illum circa Apostolorum Festa errare, quid hoc ad Festa Christi? quæ tamen liturâ eâdem cum istis a *Presbyterianis* obliterata sunt. Verùm, hominum morosorum & caussas odiosè quærentium unde adversus Festa irascantur, figmentum merum est, cùm dicunt plebem credere dies illos Sanctis quorum gerunt nomina, dicari, & inde ad eos invocandos fieri propensiorem. Nam cur ita crederet, cum palam sit qui Christi *Nativitatis*, *Circumcisionis*, *Ascensionis*, &c. dies dicuntur, eos neque Nativitati, neque Circumcisioni, neque Ascensioni dicari; sed in mysteriorum illorum memoriam duntaxat celebrari, ut inde illa meditandi arripiatur occasio. Festorum Apostolicorum par ratio est, ut vel ex iis liquet, quæ *Nativitatis*, S. *Joannis Baptistæ*, & *Conversionis* S. *Pauli* dicuntur. S. *Petri*, *Jacobi*, *Andreæ* nominibus indigitantur, quòd iis diebus publicè prælegantur in Ecclesiis, quæ de illis in Scripturis Sacris extare voluit Spiritus Sanctus. Ex iis autem quæ suprà de Festorum celebrandorum ratione in Ecclesia Anglicana commemoravi, patet, quàm parùm verisimile sit, eo instituto, quemquam ad Sanctos invocandos fieri propensiorem. Si dicas ista a rudiore plebeculâ nec considerari nec satis intelligi. Respondeo & alia multa

multa esse instituta saluberrima, quorum rationem vulgus hominum, nec attentiùs considerat nec rectiùs capit; quæ tamen ideo statim abolenda & extra Ecclesiam eliminanda, nemo prudens dixerit. Sed quæro, cur non rudiores istos rectiùs instituunt *Presbyterianorum* Ministri? Cur eos altercationibus suis cum Ecclesia Anglicana de diebus Festis, in errore confirmant? Quin potius quæ sit vera legitimaque Festorum ratio in Anglicana cæterisque Ecclesiis Reformatis, eloquuntur, ut eos ab omni errore, omnique Superstitione, atque omni Superstitionis metu liberent? Annon hoc homines puriorem Christianissimum profitentes magis deceat, quàm *Capellum*, *Aretium*, *Bucerum*, aliosque Viros in Ecclesia Dei Pietate ac Doctrinâ celebres tanquam Schismatis Schismaticorumque Anglicanorum fautores traducere ad homines imperitos, iis artibus in Schismate confirmandos? Nam etsi *Ludovicus Capellus* eos excuset laudetque, qui unius diei Dominicæ observatione contenti, cæteros dies Festos ob multiplices abusus quibus inquinati sunt in Ecclesia Romana, penitus aboleverunt, disertè tamen profitetur, id ab illis factum, non quòd *Festorum usum simpliciter damnent*, sed ut similium abusuum periculum caverent. Quin agnoscit *dierum illam distinctionem, non modo innoxiam, sed utilem initio fuisse.* Unde colligere pronum est, Virum Reverendum, aut sibi non constare, aut earum Ecclesiarum consuetudinem quæ Festa ad primam Institutionem revocarunt, non improbare. Cerebrosis vero illis minimè favere qui *rem ex sese innoxiam, imò Ecclesiæ Dei utilem* per fas ac nefas contra Superiorum mentem, abolere conati sunt. *Aretium* autem de *feriis* tanquam Presbyterianorum, qui Festa omnia penitus sustulerunt, ὁμόψηφον allegare, hominis est impudentissimi. *Aretius* locum citatum de feriis exorditur ab eorum refutatione, tam qui Festis abutuntur, quàm qui nulla Festa censent observanda; Deinde postquam doctè de feriarum ratione disseruit, illum tandem concludit his verbis. "Nostræ Ecclesiæ "(*Helvetio-Bernenses* intelligit) servant Diem Dominicum in memori-"am Resurrectionis, Diem Nativitatis Domini, Paschatis Diem, Diem "Palmarum, Pentecosten, Annunciationem *Mariæ*: Reliquas ferias "intermittunt, cum illæ non tam rebus Divinis, quàm otio, ebrietati, "aliisque vitiis inservirent. Et quia feriarum ratio semper libera fuit, "hoc est, ut alii alios dies Sabbatho adderent feriandos, nihil in hac re "vitii inesse judicamus. *Bucerum* quod attinet, etsi loco ab Apologista citato, Festa omnia propter eorum abusus in Ecclesia Romana, abrogari velle videatur; postea tamen quàm Festa vidit in Ecclesia Anglicana, aliisque Ecclesiis Reformatis ab omni Superstitione & Idololatriâ repurgata, sententiam, ut erat Vir Candidissimi pectoris, mutavit. Sic enim de Festis scribit, *In censura, de admonitione in fine libri adjecta, qua ratio redditur cur ex Ceremoniis aliqua,* &c. cap. 16.

Bucer. Scripta Anglicana. *In Censura Libri Liturgici.*

Q *Atque*

Atque utinam populus adduci possit, ut cum Dominicis diebus vel tantum Festa Christo & propria saluti non profliganda sed instauranda verè sanctificaret, quibus celebratur Domini Incarnatio, Natalis, Circumcisio, Epiphania, Supplicium, Resurrectio, Ascensus in Cœlum & Spiritus Sancti Missio. Item quibus Visitatio Mariæ *Matris Domini, Natalis* Johannis, *&* Divi Petri *atque* Pauli *Martyrum, Angelorumque peragitur memoria.* Idem *Bucerus* in Epitome Doctrinæ Ecclesiæ *Argentinensis*, de Diebus Festis hæc habet; *eodem modo* (quo scilicet dies Dominica) *Observari etiam debent dies Festi, qui propterea instituti sunt, ut magnifica Dei opera Redemptionis nostræ saluisque æternæ causâ peracta, ad ædificationem Pietatis meditemur, Deoque de eis gratias agamus: Ut sunt Festum Incarnationis & Nativitatis Christi, Ascensionis ejus,* &c. Sed frontem omnem amisisse Apologistam oportet, qui ipsum Clarissimum *Zanchium* in Presbyterianorum causæ, de Festis penitus abrogandis, patrocinium adducat. De eo enim sic scribit. Zanchius *etiam subacti Judicii Theologus, quamvis pro more suo indulgenter scribat de Festis in antiqua Ecclesia receptis; in explicatione tamen 4. Præcepti satis apertè profitetur, magis consentaneum esse cum prima Institutione & cum Scriptis Apostolicis, ut unus tantùm dies in septimana solemniter totus sanctificetur quàm plures.* Quæ consultò Synodi cujusdam *Belgicæ* (sed antiquatæ uti suprà observatum est) de Festorum abrogatione Decreto subjecit, ut incautis lectoribus persuadeat Doctissimum *Zanchium* cum bonis istis *Belgicis* Patribus, de Festis idem sentire; non ubique quidem. "(Nam alicubi, *inquit*, de Festis Antiquorum indulgenter scribit) sed in explicatione 4 Præcepti. *Eo tamen ipso loco hæc habet.* Neque abrogati "sunt simpliciter Dies Festi; sed tantùm ex parte, nempe quatenus "legales erant, & per *Mosen* Populo *Israelitico* præscripti. Neque "damnari potest Ecclesia quasi *Judaizarit*, quia & Diem Dominicum "jam inde ab Apostolorum temporibus sanctificaverit, & certos Dies "Festos paulo post Apostolorum tempora sibi delegerit, ad sanctificandum. Nostra igitur Thesis hæc esto. Æquum est & pium, ut "populus Christianus suos habeat Dies Festos, quibus ab operibus servilibus feriando, in ipso externo cultu Dei legitimè occupetur. Locus autem quem mutilatum corruptumque exhibuit Apologista, sic habet. "Tametsi magis consentaneum est cum prima Institutione & cum "Scriptis Apostolicis, ut unus tantùm Dies in Septimana sanctificetur; "cum Scripturis tamen minimè pugnat, si plures uno sanctificentur, "modò omnis absit superstitio, & faciant ad ædificationem. *Et paulo post.* Vetus Ecclesia solita fuit præter Diem Dominicum alios quoque "Dies Festos celebrare, Pascha, Pentecosten, Ascensionem, *&c.* Quæ "vetus consuetudo retinetur adhuc in non paucis Ecclesiis ex Evangelio "Reformatis.

Bucerus Script. Anglic. p. 182.

Zanch. Tom. 4. pag. mihi 668.

Ibid. in p. 671.

p. 672.

" Reformatis. Quas ego certè hac in parte, nullo modo damnare pos-
" sum, aut etiam ullo modo reprehendere. *Erasmum* etiam ad partes suas volentem nolentem trahit Apologista, sed frustra ; cum *Erasmus* eo ipso loco quem produxit, disertè profiteatur, *se dies Festos non damnare*; sed tantùm eorum multitudinem nimiam & abusus varios in Ecclesia Romana, qui Ecclesiæ Anglicanæ non minus quam ipsi displicent. Si quis rationes, ob quas Festa a Christianis celebrentur ac celebrari debeant, requirat, adeat *Hospinianum*, *Festum Hemmium*, *Wendelinum*, &c. de Festis : Item *Paræum* in cap. 14. Epistolæ ad Rom. in Dubiis, & Doctissimum *Zanchium* loco ab Apologista adversus Festa citato ; *Bucerum* de Regno Christi, c. 11. *Aretium* de Feriis. Apud quos si quid occurrat adversus Festa, Apostolorum nominibus designata, id non simpliciter & absolutè ; sed secundum quid & quatenus variis Superstitionibus apud Pontificios, corrupta sunt, intelligendum Lectori Candido liquebit.

CAPUT XIV.

De Librorum *Apocryphorum* lectione in Ecclesia.

Scripturæ Sacræ Canon, *idem apud Ecclesiam Anglicanam, qui apud cæteras Reformatas; nec plus illa authoritatis quàm istæ, Libris Apocryphis tribuit. Eos expressè a Canonicis & θεοπνεύστοις distinguimus. Non omnes præleguntur in Ecclesia; nec quibusvis Diebus; Die Dominicâ non præleguntur. Ratio legendi Scripturam Sacram in Ecclesia Anglicana.* Lud. Capellus, *&* Conradus Pelicanus, *Libros Apocryphos in Ecclesia cum fructu legi posse censent. Idem censent Ecclesiæ* Belgicæ. *Nulla est Ecclesia Reformata apud quam quædam Apocrypha non legantur. Ex iis etiam apud Ecclesias Reformatas* Galliæ *Concionum Themata desumuntur. Solvuntur objectiones contra Publicam Librorum Apocryphorum lectionem in Ecclesia. Juramentum,* Liga & Fœdus solemne *dictum a* Presbyterianis, *cum majore Reverentia quàm ipsa Scriptura Sacra publicè in Ecclesia prælectum est.*

SCripturæ Sacræ Canon, idem est apud Ecclesiam Anglicanam qui apud cæteras Reformatas. Nullus apud eam Liber pro Canonico habetur, qui ab aliis Ecclesiis ex Evangelio Reformatis Apocryphus censeatur. Nec nisi in una Scriptura Canonica ullum Articulum Fidei fundandum credit Ecclesia Anglicana. Themata Concionum quæ ad plebem Christianam in Pietate erudiendam in Templis haberi solent, ex ea sola desumit. Nec quicquam ex illius, in controversiis Fidei, authoritate summâ, seu id Traditioni non scriptæ, seu Ecclesiæ, seu Libris Apocryphis tribuatur, delibari sinit. Unde tot edita *Anglorum* Theologorum (in quibus primas facilè tenet Reverendi *Cosini Dunelmensis* Episcopi Dignissimi Librorum Apocryphorum Historia Ecclesiastica) adversus Pontificiorum Errores circa Libros istos,

istos, scripta egregia. Sed cùm sint præter Libros Canonicos & alii, qui, quod olim propter exempla vitæ morumque præcepta atque Historica multa, in Ecclesia, licet Apocryphi, publicè prælegerentur, Ecclesiastici ab antiquis dicti sunt, hos etiam propter easdem causas atque eosdem ob fines in cœtu fidelium prælegi jubet. Quoniam verò Libros illos *pari Pietatis affectu* cum Canonicis suscipiendos decrevit Synodus *Tridentina*, ne Ecclesia Anglicana ejusmodi Sacrilegii umquam rea evadat, eos a Canonicis ac θεοπνεύστοις in Articulis Religionis expressè distinxit. Quippe post præmissum Veteris Testamenti Canonem prout ab Ecclesia *Judaica* primum, & à Christiana Primitiva deinceps receptus est, statim subdit, *Alios autem Libros* (ut ait *Hieronymus*) *legit quidem Ecclesia ad exempla vitæ & formandos mores, illos tamen ad dogmata confirmanda non adhibet*; Quibus verbis Librorum Apocryphorum nomina subjiciuntur, qui vulgò cum Veteris Testamenti Libris eodem volumine conjungi solent. Nec tamen Libri illi omnes publicè leguntur in Ecclesia Anglicana. Prorsus enim prætermittuntur 3, & 4, *Esdræ*, *reliquum Libri* Hester, *Oratio* Manasses, *uterque* Maccabæorum, *ut &* Tobiæ, *&* Ecclesiastici *nonnulla*. Notandum etiam, omnes Dominicarum Lectiones proprias ex Libris Canonicis tantùm desumi, quod videre est in Tabula Lectionum Dominicalium Liturgiæ Sacræ præfixâ. Ex Libris autem Canonicis alii sæpius, alii semel tantùm in anno publicè recitantur. Quorumdam etiam capita nonnulla prorsus omittuntur. *Psalmorum Liber*, propter illius excellentiam utilitatemque multiplicem, totus in Ecclesiis unoquoque mense à fidelibus alternatim cantatur aut recitatur. Novi Testamenti lectio, si Apocalypseos partem longè majorem excipias, ter quotannis absolvitur. Vetus Testamentum, exceptis *Levitici*, *Numerorum*, aliorumque Librorum quibusdam capitibus, (quorum recitatio in promiscuis Christianæ plebis cœtibus nunc minus necessaria esse minusque facere ad ædificationem videtur) semel in anno prælegitur. Quibus præmissis, videamus quid hic ferre nequeant Presbyterianorum stomachi. Primò concedunt *in Scriptis Apocryphis multa occurrere, quæ cùm in Privatis Familiis tum in Publicis Templis legi possunt*. Nihil peccat igitur Ecclesia Anglicana, vel fatentibus adversariis, dum quæ utiliter legi possunt, licet Apocrypha, ea plebi sibi commissæ prælegi curat. Eadem *Ludovico Capello* mens. *Ad Scripta seu Libros Apocryphos quod spectat*, inquit, *neque etiam simpliciter & in se illicitum est, eos vel publicè vel privatim legi, modò legantur, non ut Divina sed ut humana scripta, ex quorum lectione utilitas aliqua potest ad Ecclesiam redire. Et sic quidem olim fuerunt in Primitiva Ecclesia lecti Libri illi, non ad divinam illis astruendam Authoritatem aut Fidei dogmata comprobanda, decidendasque de Fide Controversias, sed ad mores informandos,* &

Apologia p. 56

Theses Salmur. de Liturgiis, part. 3. Thes. 38

& utilia vitæ præcepta inde haurienda. Quod & candidè agnoscit *Conradus Pelicanus*, Tigurinæ Ecclesiæ Theologus Clarissimus, in Præfatione ad Comment. in Libros Apocryphos. *Hi Libri*, inquit, *sic semper Ecclesiastici ac Biblici habiti sunt, ut in Ecclesia Catholica ab Apostolorum temporibus fuerint cum Reverentia lecti.* Idem censent Ecclesiæ *Belgicæ*, quod rectè observatum a Reverendo D. *Barlow*, quicquid ogganniat Apologista. Nam Articulus 6 Ecclesiarum *Belgicarum* Confessionis pro lectione Librorum Apocryphorum in Ecclesia luculentior est, quam ut obscurari, nedum eludi possit *Gilberti Voetii* distinctione de *Tolerantia & Approbatione*; de qua vide Clarissimum *Schoockium*, qui quam malâ Fide eam *Voetius* adhibere soleat, *in exercitatione de Festis* demonstrat. Sic habet Articulus, *Libros Apocryphos Ecclesia legere, & ex iis documenta de Rebus cum Libris Canonicis consentientibus desumere potest.* Quod si non idem disertis verbis testentur cæteræ Reformatorum Ecclesiæ, at praxi simili quotidiè approbant. Annon enim *Symbolum Apostolorum* vulgò dictum, quod apud eas omnes publicè prælegi solet, scriptum est Apocryphum, hoc est, in Canone totidem verbis non contentum? Deinde quid aliud sunt, Catechismi, Liturgiarum Officia varia, atque Hymni quibus jam inde à prima Reformatione in publicis cœtibus utuntur, quam scripta Apocrypha si cum Libris Canonicis conferantur; hoc est quæ homines, pios quidem ac doctos, sed homines tamen, nullâ extraordinariâ Spiritus Sancti ope afflatos, authores habent. Imo apud multas Ecclesias ex Apocryphis istis, non ex Scriptura Canonica sæpe desumuntur Concionum Themata. In *Gallicanis* non Textus Biblici, sed sectio Catechismi, Diebus Dominicis, horis pomeridianis, in Ecclesiis majoribus pro Concione exponi solet. Et quamvis non defuerint in Synodo *Dordracenâ*, qui Libros Apocryphos eodem volumine cum Canonicis minimè compingendos contenderent; potioribus tamen Synodi suffragiis, exterarum Ecclesiarum Delegatis singulis consentientibus, Decretum est, ut à Libris Canonicis diligenter quidem distinguerentur: sed tamen ut pro more recepto in uno eodemque volumine cum illis conjungerentur. Quod quidem ubique gentium Reformatarum, si Puritanicam excipias, etiamnum obtinet.

§. Quid igitur Schismatici reprehendunt in Ecclesia Anglicana quod non in aliis Ecclesiis Reformatis si libuerit, pari jure reprehendant? Primò, *Ex Apocryphis multa legi inquiunt, quæ fabulosa sunt, absurda, impia.* Respondeo 1. Ea omnia quæ ab istis fabulosa, absurda, impia esse dicuntur, ab omnibus ubique Reformatis cum Libris Canonicis eodem volumine conjungi, vel ex Synodi *Dordraçena* decreto. 2. Esto, quod Liber *Judith*, Historia *Susannæ*, sint, quod multis placere scio, *Meræ Parabolæ*. At non ideo statim fabulæ dicendæ sunt. Censent Viri

magni

magni cùm veteres tum recentiores, Librum *Job* totum esse Parabolicum, neque tamen eum pro fabula habendum putant. Deinde quot occurrunt in Sacrosancto Evangelio Christi Domini Parabolæ, ad Institutionem auditorum ab ipso propositæ, & a S. Evangelistis Historiæ Sacræ ad erudiendam Ecclesiam diligenter insertæ. 3. Licet nonnulla in Libris Apocryphis absurda videantur, attamen fieri potest ut absurda non sint. Non desunt enim quæ absurdis prophanisque ingeniis in ipsa Scriptura Canonica, videantur absurda, nec sint tamen. 4. Quæ impia, aut sunt aut dicuntur, præcepta non sunt sed exempla, qualia plurima in Sacris Scripturis occurrunt, non ut ea imiteris, sed ut caveas, proposita. *Secundo*, Ferre non possunt, ut multis veteris Instrumenti capitibus prætermissis Apocrypha multa legantur. Nam *nullam* inquiunt, *talem consuetudinem habent Ecclesia Christi.* At modò observavimus integrum Catechismum in Ecclesiis Reformatis *Galliæ* pro concione quotannis exponi, infinitis Textibus Biblicis præteritis; Neque Ministris *Gallicanis* fas est Librum Apocalypseos, qui Canonicus est, ultra tria priora capita, nisi prius impetratâ a Synodis veniâ, pro concionibus exponere. Cur verò Librorum Canonicorum omittantur, Apocryphorum autem legantur capita quædam, suprà diximus. Neque negare audet ipse Apologista, in Templis etiam ex Apocryphis *quædam utiliter legi posse.* Quædam verò Librorum Canonicorum prudenter omitti nemo prudens negaverit. *Tertiò, multa licent*, inquiunt, *quæ non expediunt; non autem expedit ut in Templis legantur Libri Apocryphi, ne rudiores tandem eos pari Pietatis affectu & reverentiâ cum Canonicis suscipiant ac venerentur.* Sed suprà vidimus, abundè cautum esse ab isto errore in Ecclesia Anglicana, ne in illum umquam incidant vel rudiores ex plebe. Quas cautelas si adhibuisset Ecclesia Romana, Tridentini Decretum illud suum pro Librorum Apocryphorum Canonizatione, ut sic dicam, numquam condidissent; ut hic *Sixti Senensis* locus *Sixtus Senensis l. 1. p. 2.* ab Apologistâ citatus, rebus adeo disparibus, sit prorsus ἀπροσδιόνυσος. Verùm esto, quòd ob istud periculum Libros Apocryphos in Templis publicè legi minus expediat; cùm tamen Ecclesiæ Reiquepublicæ moderatoribus aliter visum sit, an non magis expediat, magisque deceat homines Christianos, superioribus in re minimè mala, morem gerere, & plebem monere ne Libros illos pro Canonicis habeat, si id tantopere metuant, quàm Ecclesiam Rempublicamque clamoribus adeo intempestivis conturbare? Sed an nihil in Ecclesia præter Libros Canonicos legebant Presbyteriani, cùm in Anglia rerum potirentur? Id credat quisquis hanc eorum Apologiam legerit, atque noverit eos, ne Symbolum *Vide Directorium.* quidem Apostolorum, scriptum scilicet Apocryphum, recitare solitos; illudque unà cum Concilii *Niceni* atque *Athanasii* Symbolis è *Directorio cultus*, in Liturgiæ Sacræ locum suffecto, prorsus exclusisse. At

vidit

vidit stupuitque universa magna Britannia Presbyterianorum Parlamenti decreto funestum illud *solennis Ligæ ac Fœderis* de mutua ope ad Regem opprimendum sibi ferenda, deque evertendo Ecclesiæ Regimine, juramentum, in Ecclesiis publicè prælectum, longè majori cum reverentia auditorum, quàm cùm Prophetarum, Apostolorumque scripta legerentur. Ista enim opertis, illud vero non nisi apertis capitibus audire fas erat, prout jam in præfatione annotavimus. Quin illud ipsum post reversum in Regna sua Regem Serenissimum, Tabulis inscriptum, atque Templorum columnis parietibusque adhuc appensum vidimus cum sententiis è Sacra Scriptura exemplisque aliunde petitis adversus fœdifragos; perinde ac si quoties fœderis mentio fit in Scriptura, id de proditorio illo fœdere intelligendum foret. Nec metuebant tum Viri boni, ne Idolum illud suum, quod eâ ratione supra omnes Libros Canonicos magnificabant, rudiores tandem *pari pietatis affectu ac Reverentiâ cum Scriptura Canonica susciperent ac venerarentur.* Nam audaces fiunt aut meticulosi, prout è re suâ visum fuerit, adeo sunt sui potentes.

Vide Decretum ipsum unà cum Juramento editum.

CAP.

CAPUT XV.

De Superpelliceo, quo induti Sacra celebrare solent Ecclesiæ Anglicanæ Ministri.

Quid peccaverit Ecclesia Romana circa vestes Ecclesiasticas. Indumenta quæ Sacerdotalia habentur apud Ecclesiam Romanam. Superpelliceum inter ea non numeratur, neque eo utuntur missam celebrantes: sed tantum dum alia officia minora peragunt. Ejus antiquitas atque usus apud Veteres Christianos. Reformatio vestium Ecclesiasticarum varia apud varias Reformatorum Ecclesias. Calvini *locus, quo patet ipsum & cæteros* Genevensis *Ecclesiæ Pastores vestibus longis usos. Interdictus Ecclesiarum Reformatarum Galliæ Ministris in publicum prodeuntibus, longarum Vestium usus Nupero Regis Edicto. Reformatio Vestium Ecclesiasticarum in Ecclesia Anglicana, eâdem ratione quâ rerum aliarum facta est. Choragium Missaticum universum ab ea sublatum est. Episcopalis ornatus describitur. Cur retentum in Ecclesia Anglicana Superpelliceum & ad quos usus? Quibus personis illius usus injungitur. Vestes Ecclesiasticæ in Ecclesia Anglicana non benedicuntur ad ullos supernaturales effectus producendos. In plerisque Protestantium Ecclesiis retentus Superpellicei usus. Nullâ aliâ Veste Ecclesiasticâ præterquam Superpelliceo offenduntur* Puritani, *quod illis cum Pelagio commune est. Concedunt penes Ecclesiam esse de forma & colore Vestium statuere. Nullibi declarat Ecclesia Anglicana Superpelliceo utendum*

ad ullam significationem mysticam, aut commonefactionem officii; sed ad ornatum, decorumque atque distinctionem. Ad quos usus, ut & ad officii significationem, commonefactionemque illæsâ conscientiâ, si sic superioribus videntur, usurpari posse Author est Baxterus.

Quod tertio loco in libro Liturgico reprehendit Apologista, *Superpelliceum est. In limine libri Liturgici, præcipitur*, inquit, *ut omnes* Presbyteri *& Diaconi in precibus Matutinis & Vespertinis, administrandâ Cœnâ & Baptismo Superpelliceo utantur. Quem Ritum*, si Ritus dicendus est, *male præcipi* affirmat, Primò quia *inutilis est:* Secundò quia *sub severiori quam æquum est pœnâ præscribitur.* Tertio quia *præcipitur contra legem charitatis.* Quartò quia *Papistarum sannis & ludibrio Ecclesiam nostram exponit.* Quintò quia *bonâ conscientiâ observari nequit ut qui sit ab hominibus institutus & ordinatus ad significandum aliquid mysticum & soli cultui Dei appropriatus; quique adeo deroget perfectioni Sacrarum Scripturarum, & officio Christi Prophetico ac Regio detrahat; Apostolicæ denique Ecclesiæ negligentiam ascribat.* Sextò quia *primis & purissimis Ecclesiis non fuit in usu.* Deinde *Voetius, Altingius, Ecclesiæ Scoticanæ Superintendentes, Jacobus Rex, Hopperus Glocestrensis, Ridleius Londinensis, Foxus, Laurentius, Humfredus, Fulco, Johannes A Lasco, Zanchius, Melancthon, Lutherus, ipsique Lutherani, adversus Superpellicei usum citantur.* Postremò adduntur duæ Fabellæ jam suprà explosæ. Et quod miretur Lector, otio adeo abundat vitilitigator iste, ex quo Ministerium suum deseruit, ut circiter 44 paginas, hoc est, quartam libelli partem in hoc uno argumento persequendo impleverit. Sed ea omnia ex sese corruent statim atque, qui factum ut Superpellicei aliarumque Vestium Ecclesiasticarum usum, & quos ob fines, Ecclesia Anglicana, quum a Pontificis Romani Superstitionibus repurgata est, retinuerit & etiamnum retineat, aperuero.

§. Ecclesiam Romanam in iis omnibus quæ quoquomodo ad Religionem Religionisque Ministros pertinent, multis modis peccasse, nemo non videt nisi qui spontè cæcutiat. In Pontificum aliorumque Ecclesiæ Ministrorum ornatu dici non potest quantum luxuriaverit. Neque Sacrarum Vestium luxu atque infinitâ prope varietate duntaxat, sed variis etiam Superstitionibus quibus universum illud Choragium subinde fœdè inquinatum est, peccavit. Initio decorum, ornatumque, atque a

Laicis

Laicis distinctionem tantummodo in Ecclesiasticorum Vestibus quæsiverat. Postea verò & Religionem sanctitatemque in iis posuit, atque virtutem efficaciamque iisdem attribuit. Tum introductæ solemnes Vestium Ecclesiasticarum benedictiones atque consecrationes ad significationes, operationesque mysticas, atque imposita sub mortali, Sacerdoti Sacra celebranti indispensabilis certis Sacratisque Vestibus utendi necessitas. *Amictus*, *Alba*, *Stola*, *Cingulum*, *Manipulus*, *Casula*, Vestes sunt Sacerdotibus Missas celebrantibus propriæ; quarum si aliquam quacunque ratione omittant aut in aliam commutent, mortaliter peccare & irregularitatem incurrere censentur. Summi verò aliorumque Romanorum Pontificum Vestes quibus eos inter celebrandum onustos esse oportet, numero sunt longè plures & varietate splendoreque magis conspicuæ. Earum nomina, descriptiones, significationes, efficaciam vide apud *Innocentium*, *Durandum*, *Durantum*, *Gavantum*, aliosque Rituum Ecclesiæ Romanæ scriptores. Est præterea commune Clericorum omnium in Ecclesia indumentum Superpelliceum dictum, cæteris antiquius, atque adeo simplicius; quo solo usos olim Ecclesiæ Ministros ex *Hieronymo* atque *Chrysostomo* mihi verisimile est. Sed adeo viluit ab aliquot Sæculis in Ecclesia Romana Superpelliceum, ut illud Sacerdotes celebrantes numquam usurpent aut usurpare audeant, nisi *Albâ* ei, quod quasi pro communi indumento habeatur, superinductâ. Nam eo utuntur tantum in Matutinis Vespertinisque precibus recitandis aliisque minorum gentium Officiis peragendis; & planè a Sacris Vestibus distinguitur, ut videre est, in Rubricis apud *Gavantum* & *Arnaldum Gavanti* Abbreviatorem in Rubricis titulo 6. his verbis. "Si inferior "Subdiacono cantare velit Epistolam, ne Sacras induat Vestes sed "Supercilleum tantum. Neque illud ullâ benedictione consecrari ullibi "reperio.

Durantus, de Ritibus. Ecl. Rom.

Tolet. Instructio Sacerdotum.

Hieronymus adversus Pelag. l. & in Ezech. c. 44.

Chrysost. Homil. 6. ad pop. Antioch.

Gavanti Epitom. Edit. Tolos. 1637. p. 78.

§. Earum omnium Vestium usus, ante eam, quæ per Europam passim facta est jam a Sæculo Religionis Reformationem, in Ecclesia Romana obtinebat atque etiamnum obtinet. In quo cum multiplices abusus ab iis deprehensi sint, qui repurgandæ Religioni, avorum nostrorum ætate, incubuerunt, eos quoque corrigere visum est. Sed id variè pro locorum personarumque ratione variâ. In hoc tamen unanimes convenere, ut Ecclesiasticos ab aliarum Professionum hominibus, cùm in publicum prodeuntes, tum Sacrum Ministerium obeuntes, vel ipso Vestitu distinguendos censuerint. Reformati Belgæ unum colorem nigrum ob modestiæ gravitatisque ex more recepto, significationem, ad hoc sufficere arbitrati sunt. Quidam verò Vestium colori formam addidere. *Helvetio-*

Basileensibus toga ampla, ac gravis illa quidèm, licet brevior, unà cum pileo in coni figuram producto, intra extraque Ecclesiam in usu est. Reformatorum in Gallia Ministris, in iis locis ubi pro Evangelii Ministris palam se gerere ausi sunt, Vestitu communi longiore atque ejusdem formæ, cujus Jurisconsultorum esse solet, ad majus decorum majoremque gravitatem uti placuit. Quod observatum ad nostra usque tempora passim in *Aquitania* & *Occitania*, inque aliis Provinciis ubi Reformati multa oppida tota, aut saltem partem majorem, incolunt. *Amyraldum* illum *Salmuriensem* Professorem celeberrimum eo Vestitu, quem honestiores Sacerdotes Pontificii vulgò usurpant, semper amictum, dum in publicum prodiret, sæpius vidimus. Sed eâ libertate Nupero Edicto Regio, quo longarum Vestium usus extra templa illis interdictus est, spoliati sunt. Ibi quoque igitur quod aliis locis a prima Reformatione continuò observatum est, Vestitum communem gravem licet ac modestum, Sacra celebraturi ponunt, talaremque togam induunt. Qui mos hodiè apud *Genevates* etiam observatur. *Calvini* verò tempore eos longis Vestibus in vulgus prodeuntes semper usos esse, ex his ipsius verbis discere mihi videor. "Nuper huc venit, *inquit*, Frumenti "uxor. Per ômnes Tabernas & per omnia fere compita declama-"vit adversus longas Vestes. Cum id mihi fuisse indicatum sciret, "excusavit se ridendo dixisse, aut nos indecenter vestiri cum mag-"no Ecclesiæ offendiculo, aut vos falsum docuisse, cùm diceretis a "longis Vestibus dignosci posse falsos Prophetas. Cùm tam puti-"dam calumniam refutarem, cœpit etiam Spiritui Sancto adscri-"bere quod vobis impegerat. Quid sibi vult, dicebat, locus ille "Evangelii? Venient ad vos in longis Vestibus. Respondi me ne-"scire ubi esset illa sententia, nisi forte inveniretur in Evangelio "Manichæorum. Sic enim extat locus *Luc.* 20. 45. Cavete a "Scribis qui volunt ambulare in stolis. "Non autem, venient ad "vos, *&c.* quod ex *Matth.* 7. interpolaverat. Cum sentiret se "urgeri, conquesta est de nostra tyrannide, quod cuivis non liceret "quidvis garrire. Quem locum hic ideo insertum volui integrum, quia in ista muliercula *Puritanorum* ingenium planè habes; quod vide in eorum Apologia Gallica, ubi non secus in Ecclesiæ Anglicanæ atque illa in *Genevensis* Ministros, ob lòngas Vestes invehitur illius Apologiæ Scriptor.

Calvin. Epist. Farello. p. 83.

Pag. 67.

§. Ecclesiæ Anglicanæ Reformatores, ubi ad Vestium Ecclesiasticarum abusus corrigendos ventum est, eamdem viam in ea parte, quam tenuerant in cæteris quæ ad Religionem spectabant, tenendam censuerunt. Quemadmodum igitur non quicquid Ecclesia Romana credebat,

bat, id statim quasi hæreticum & impium respuendum duxere, ideo tantum quod fidei Romanæ pars esset; ità nec vestes omnes quæ Ecclesiæ Romanæ erant in usu, propterea tanquam prophanas Superstitiosasque prorsus abjiciendas putarunt. Verum sicuti doctrinam ad Scripturæ Sacræ libellam, sic rem vestiariam ad honesti decorique regulam exegere. Primo igitur Ecclesiasticos omnes a Summis ad infimos in vulgus prodeuntes, honestè decenterque indutos esse judicarunt, si longiore tunicâ pallioque aut togâ nigri coloris, qui Ecclesiæ Romanæ Sacerdotum Sœcularium quos vocant, ut & Senatorum Causidicorumque apud Gallos, hodie vestitus est, uterentur. Quamobrem vestitus ille iis omnibus præscriptus est, àtque ab iis omnibus cujuscunque gradùs ac dignitatis usurpatur ad hunc usque diem. Neque enim differt Episcoporum apud nos ac Presbyterorum vestitus ordinarius; adeo absunt Reverendi Christi Antistites ab omni eo vestium luxu quem in Ecclesiæ Romanæ Pontificibus, quos purpura vestit aurumque ornat, cernere est.

§. Ad vestes Ecclesiasticas quod attinet (vestes Ecclesiasticas voco, quæ vulgò Sacræ dicuntur, sicque sensu non malo dici possunt, nempe non ob sanctitatem ullam quam aut habeant aut efficiant, sed quod Sacris personis, in Sacris officiis peragendis inserviant) eas ita reformari placuit, ut choragium Missaticum universum, prout à nobis supra descriptum est, ab Ecclesia Anglicana penitùs sublatum sit. Primò enim Episcoporum vestitus excogitatus est diversus ab eo quo utuntur Ecclesiæ Romanæ Pontifices, decens quidem ille gravisque atque quantum conjici potuit, ad veterum Episcoporum ornatum accedens, sed simplex modestusque atque ab omni tum Superstitionis tum luxus specie alienus. Nam positâ togâ, qui eorum vestitus communis superior est, tunicam ex lino byssino manicatam laxamque, quæ paululum infrà genua dimittitur, sumunt, eique superinduunt aliam nigram holosericam absque manicis atque anteriùs apertam, adeo ut byssinæ manicæ & ipsa tunica byssina per anteriora, conspiciantur. Quæ superior tunica veterum Episcoporum colobium esse videtur. Cæteros autem omnes Ecclesiæ Ministros Sacra peracturos, ut & Ecclesiarum Cathedralium & Collegiatarum Canonicos & Cantores quotidie; Collegiorum item in utraque Academia Præfectos, Socios, & alumnos, Dominicis Festisque diebus, longis laxisque illis vestibus lineis, quæ vulgò Superpellicea dicuntur, indui visum est. Nam ut ut jam a multis Sæculis adeo viluerit illud indumentum in Ecclesia Romana, ut Sacerdotes Missas celebrantes eo indui (nisi quo modo supra exposuimus) fas non sit, & illius usus campanarum pulsatoribus concedatur; constat tamen eo contentos olim Christi Ministros, & unum sufficere cùm ad distinctionem, tum etiam ad

Durant. de Ritibus Eccles. Cathol. l. 2. cap. de Campanis.

ad eam honestatem munditiemque quas cultui divino incumbentes, quantum quidem fieri potest, etiam in vestitu semper præ se ferre decet. Quam tamen munditiem ac honestatem multi, seu propter egestatem, seu ob mores sordidos, seu supinâ quâdam negligentiâ semper non servarent, nisi indumenti ejusmodi, honesti quidem mundique, sed parabilis, usus, superiorum authoritate iis injungeretur. Cujus rei vel præcipuè habitam rationem, cùm Superpellicei usus in Ecclesiam primùm introductus est, nullus dubito. Si quæ sunt alia præter hæc seu vestimentorum seu ornamentorum genera, cùm ea omnia aut ad locorum aut ad Personarum dignitatem, aut ad graduum Academicorum distinctionem referantur, Ecclesiastica propriè nec dici nec haberi possunt. Ne quæ autem irrepat in Ecclesiam Anglicanam Superstitio circa vestes Ecclesiasticas, nullâ umquam benedictione solenni consecrantur. Unde nec quicquam illis virtutis aut efficaciæ tribuitur. A nobis enim usurpantur primariò tantùm ad distinctionem, decorum & ornatum, aut si vis etiam secundariò, ad commonefactionem officii nostri, ut postea dicetur. Non vero ad *muniendos Sacerdotes a tentationibus Malignorum Spirituum* & ad alios effectus ad quos benedicuntur Sacræ vestes, quas vocant, in Ecclesia Romana, in qua ea omnia quæ ad rem vestiariam quoquomodo pertinent, *Sacris* putantur *plena esse mysteriis & divinis gravida Sacramentis*, ut de pallio Archiepiscopali loquitur *Innocentius* tertius. Atque hæc illa est vestium Ecclesiasticarum Reformatio, quæ ab initio emendatæ Religionis in Ecclesia Anglicana obtinuit, quæque eadem fere est cum eâ quæ in plerisque *Augustanæ* Confessionis Ecclesiis *Sueciæ*, *Daniæ*, *Norvegiæ*, *Saxoniæ*, *Prussiæ*, *Witembergiæ*, &c. instituta est. Dixi *ferè*, quia in nonnullis locis pleraque Ecclesiæ Romanæ indumenta Sacerdotalia etiamnum, sed sine Superstitione, retinentur. Jam videamus quid in hac nostra Ecclesiasticarum vestium reformatione reprehendat Factio Puritanica.

Vide Pontificale Romanum.

§. Vulgarem Ecclesiasticorum vestitum cùm hic ne attigerint quidem (quamquam & illum Ministri *Presbyteriani* in nupera sua Reformatione abjecerant) & Episcopalem ornatum silentio præterierint, videntur non improbare, aut saltem damnare non audent. *Superpelliceum* unum est quo adeo offenduntur ut eo conspecto haud secus atque aves Indicæ seu Turcicæ, quas vocant, ad rubri coloris aspectum, tabano perciti videantur. " Quæ vero sunt, inquam, cum *Hieronymo* adversus Pelagianos, quæ inquam, " inimicitiæ contra Deum si tunicam habuero " mundiorem? si Episcopus, *Presbyter*, Diaconus & reliquus ordo " Ecclesiasticus in administratione Sacrificiorum candidâ veste processe- " rint? Nullæ, vel ipsis *Presbyterianis* fatentibus. Nam nobis author est Apologista eos colore non offendi. " Sciat *Durellus*, inquit, " pa- " rum

Hieronymus adversus Pelag. l. 1.

Apol. p. 101.

"rum nos morari vestis quâ in divinis celebrandis utimur, alba sit an "atra, neque enim colore offendimur sed significatione mysticâ. Concedit etiam, "penes Ecclesiam esse de vestium colore & formâ statuere. Si itaque Superpelliceo non propter ullam significationem mysticam, sed tantùm propter distinctionem, honestatem & ornatum uti possint Ecclesiæ Anglicanæ Ministri; frustra tot argumentis totque testimoniis stipatus, ut ab eo indumento suos arceat, nobis verò illud detrahat, accedit. Atqui nusquam docet Ecclesia Anglicana Superpelliceum propter significationem mysticam usurpandum. Nam quod pagina 101. scribere ausus est Apologista scilicet, "in Præfatione Liturgiæ "Anglicanæ exertè dici Superpelliceum Ceremoniam esse significati-"vam, aptam ad hominis ignavum animum excitandum, putidum mendacium est, cum in ea Superpellicei nulla mentio fiat. Quod Lectori constabit si nostram Pyrgopolinici inscriptam Præfationem, cui inserta est illa Liturgiæ Sacræ Præfatio. Pagina adire haud gravabitur. Quin ipse agnoscit illustrissimum *Whitgiftum Cantuariensem* sub *Elizabethâ* Archipræsulem, quem pag. 92. tanquam ***Non-conformistarum*** malleum describit, *profiteri in Eristicis*, ubi Superpellicei usum juxta Ecclesiæ Anglicanæ morem mentemque defendit adversus suæ tempestatis *Puritanos, sibi non placere ut instituatur ad significandam puritatem*. Quod tamen simpliciter intelligendum non est, sed cum hac distinctione, nempe si illius usus primario instituatur ad distinctionem, decorum & ornatum; secundario autem, si sic videatur, ad commonefactionem puritatis atque innocentiæ, quæ duo color albus partim ex sese & naturâ suâ, partim ex usu recepto, significat. Nam in eum finem alba indumenta etiam præcipi posse non negat *Whitgiftus*, imo nec ipse *Baxterus* Pyrgopolynici Theologus summus, qui si in eos tantùm fines lineæ vestis usus a superioribus præcipiatur, se ad obsequium paratum fore jam diu professus est. Sed cum sint tot fere *Presbyterianorum* sensus quot capita, ne ullus hic istorum conscientiam scrupulus urgeat; sciant ubicunque Superpellicei aliarumque vestium usus Ecclesiæ Ministris præcipitur, ut in *Injunctionibus Elizabethæ* anni 1559. articulo 30. ut & anni 1564. *cap. de Administratione Sacramentorum* artic. 6. Item in Constitutionibus Ecclesiasticis anno 1604. sub JACOBO Canonibus 17. & 58. Eo denique loco in limine Liturgiæ quem indicat simulque corrumpit Apologista, ibi *ad ornatum decorumque* atque *distinctionem* semper referri, nullâ ullius cujuscunque significationis mentione factâ. Locus enim sic habet; "Ea omnia Ecclesiæ illiusque Ministro-"rum ornamenta, retinebuntur atque usurpabuntur quovis administra-"tionis eorum tempore, quæ in usu erant ex Decreto Parlamenti habiti "anno secundo EDVARDI sexti. Ubi Vestium mysticarum, aut ullam

In Præfatione.

Baxteri quinque Quæstion. de Reg.m. Ecclesiast.

ullam significationem mysticam habentium, undę nobis sibive negotium facessant *Presbyteriani*, nec vola nec vestigium. Possem igitur, missis hìc cavillationibus testimoniisque omnibus quibus tot paginas contra Superpellicei usum, nullâ Lectorum patientiæ ratione habitâ nugator Apologista implevit, ad alia transire. Sed cùm sint ejusdem furfuris quæcunque toto libello scriptitavit; cúmque jam apud me constituerim hominis ineptissimi nugas omnes excutere, atque perinde sit sive ista siue illa prius ventilentur, oportet & Lectorem mecum pariter tædium hoc devorare & patienter ferre.

CAP.

CAPUT XVI.

Solvuntur Schismaticorum Objectiones contra Superpellicei usum in Sacrorum celebratione.

Vestium usus Naturalis & Politicus. In Vestium usu Politico materia, forma, color spectari solent; præcipuè vero forma & color. Albi coloris usus varius apud varias gentes: apud Romanos, Ægyptios, Judæos, *Primævos Christianos. Cur ab his in Sacrorum celebratione usurpatus, & in* Anglicana, Suecica, Danica, *& aliis plerisque* Augustanæ *Confessionis Ecclesiis post emendatam Religionem retentus. Solvitur Objectio* prima *adversus Superpellicei usum, scilicet,* quòd illius nulla sit utilitas; *cum utile sit ad* Decorum, ornatum, distinctionem, significationem *&* commonefactionem. *Indecorè tamen absque Superpelliceo Sacra apud alias Ecclesias, ubi alius mos obtinet, peragi non dicimus. Decorum est quod decorum videtur & habetur. Solvitur* secunda *Objectio, ex eo petita,* quòd sub pœna æquo severiore illius usus præcipiatur. *Solvitur* tertia, *nempe* contra legem charitatis præcipi ob fratres infirmiores, quibus offendiculo esse dicitur. *Solvitur* quarta, quòd *scilicet,* Ecclesiam nostram Papistarum Sannis & ludibrio exponat. *Solvitur* quinta, quòd sit ritus ab hominibus ad significationem mysticam cultui Dei appropriatus. *Solvitur* sexta, *ex eo* quod Ecclesiis primis ac purissimis non fuerit in usu. *Solvitur* septima, *nempe* quòd nulla Synodus Generalis & Orthodoxa de hisce nugis quicquam præceperit. *Solvitur* octava, ex Doctorum Reformatorum authoritate petita. Voëtii *authoritas rejicitur.* Altingii *argumenta expenduntur.*

duntur. Expenduntur & Ecclesiæ Scoticanæ Superintendentium *litteræ. Frustra quorumdam Virorum piorum, quorum* Foxus *in Martyrologio meminit, authoritate premimur, cùm longè plures a nobis steterint.* Hopperus Glocestrensis Ridleiusque Londinensis *Episcopi & Beatissimi Christi Martyres, adversus Apologistæ calumnias vindicantur.* Hopperi *ad* Cranmerum Cantuariensem *Epistola, qua errorem suum circa usum Ecclesiasticarum Vestium, aliarumque rerum indifferentium ingenuè agnoscit, obsequiumque in posterum pollicetur.* Martini Buceri *Responsio ad duas* Cranmeri *quæstiones de Vestibus Ecclesiasticis. Ejusdem Responsio ad* Hopperi *Objectiones contra usum Vestium Ecclesiasticarum. Fallitur* Theodorus Beza *cùm ait, Reformationem Anglicanam ex* Buceri *consilio & voluntate non fuisse institutam.* Petri Martyris *de re Vestiaria Responsio ad* Hopperi *argumenta. In eadem sententiâ permansit regnante* Elizabethâ, *licet aliter sensisse rem minùs attentè considerantibus videatur.* Johannes A Lasco *notatur. Examinantur prolixæ* Hieronymi Zanchii *ad* Elizabetham *Reginam de Vestibus Ecclesiasticis litteræ, & ex* Martyre, Bucero, Calvino, Bezâ, *& ipso etiam* Zanchio *refutantur. Quid* Zanchius *erraverit in cognitione facti. Vindicatur adversus Apologistam* Durelli *Responsio ad easdem* Zanchii *litteras, quæ habetur in Tractu Anglicano. Quo sensu teneantur Ecclesiæ Anglicanæ Ministri assentiri libro Liturgico & singulis quæ in illo continentur. Superpellicco utuntur plerique* Augustanæ *Confess. Ministri ut & aliarum Confessionum in* Prussia. Lutherus *& Ecclesiæ* Lutherum *sequutæ adversus* Altingium *vindicantur. Disceptatio inter* Lutherum *&* Melancthonem *de Ritibus Ecclesiasticis,* Presbyterianos *nihil juvat; quin ea continet quæ ipsis prorsus adversantur.* Melancthon *vindicatur adversus Apologistæ calumnias.* Calvinus *agnovit* Melancthonem, *ut molliorem in* Controversia Interimisticâ *cum* Flacianis *a se immeritò accusatum.* Melancthonis

sua

sua ipsius defensio. Ejusdem de usu Vestis lineæ judicium. Georgii *Principis* Anhaltini *de re eâdem sententia.* Melancthon *sententiam non mutavit.* Pomeranus, *Vestis lineæ usum non improbavit.* Wittenbergensium *Theologorum eadem quæ Præsulum Anglicanorum de Adiaphoris consuetis retinendis, sententia. Apologistæ in Rev. Ecclesiæ Anglicanæ Episcopos injusta querela ob rejectam ab iis omnium Sectarum, ne exceptâ quidem Pontificiâ, tolerationem.*

HIc, non *Anglicanæ* & plerarumque *Augustanæ* Confessionis Ecclesiarum Reformatarum modo, verum etiam *Primitivæ* Ecclesiæ Christi causam acturus adversus Schismaticos, pauca de usu Vestium cùm Ecclesiastico, tum etiam Politico, præmittenda duxi, unde quanta sit istorum hominum hac in parte levitas ac morosa futilitas, liquidò constabit. Vestitum utilem esse non modò ad membra tegenda & injurias aëris a corpore depellendas, sed & ad distinctionem, decorum & ornatum; atque ad eos usus adhibitum apud omnes gentes non prorsus feras & sine legibus omnique politiâ, in sylvis & montibus more pecudum, ævum transigentes, notius est quam ut probatione indigeat. Unde vestitu sexus, ætas, conditioque hominum ubique distinguuntur. In Vestibus materia, forma, color spectari solent. In materia non pretii modò sed originis etiam apud quosdam olim ratio habita est. Nam *Pythagorei* lineis Vestibus, quod linum a terra, quàm laneis, quòd lana ab animali sit, uti maluerunt. Ad formam quod spectat, longæ laxæque Vestes strictioribus & ad membrorum figuram compositis, qualibus utimur passim in plerisque Europæ regionibus, graviores decentioresque semper existimatæ sunt. In colore pretii etiam ratio habetur; sed decor, distinctio, adeoque significatio maximè spectantur. Unde varius pro personarum, ætatis, conditionis, rerum etiam, prosperarum scilicet, aut adversarum, ratione variâ, usurpatus est. De Vestium materia aut formâ, hoc loco dicere jam nihil attinet, cùm in iis nihil reprehendant adversarii, quamquam illis nihil solennius quàm de lana caprina rixari. Albus color unus est, quem in Ecclesiasticorum Vestibus ferre nequeunt. Cujus coloris usus multiplex quidem, sed semper & ubique gentium adeo honestus habitus est, ut illius ordinis homines præ cæteris maximè decere videatur. Albo Vestitu usi sunt olim apud Romanos, qui Magistratus aliosque honores ambiebant, integritatem eo habitu præ se ferentes, unde *candidati* dicti. Eodem colore usi sunt & Triumphantes; imo tota civitas Vestes albas induere solebat,

Sermon. l. 2. Satyr. 2. solebat, quotiès solennitatem aliquam seu privatam seu publicam peragebant. Unde illud *Horatii*

Ille repotia, natales, aliosque dierum
Festos, albatus celebret.——

L. 2. *Ægyptios* Sacerdotes albis indutos rem divinam fecisse author est *Herodotus*. Qui mos omnium fere gentium fuit, *Puraque in Veste, Sacerdos*. Purâ, id est albâ, albus color enim ab aliorum colorum mixturâ purus est, & puritatem præ se fert. Quod tamen non obstitit, quominus lineis tunicis uterentur Judæorum summus aliique Sacerdotes & Levitæ, dum Sacris operam dabant; etiamsi in aliis plerisque a Gentilium moribus ac instituti, diversi abirent quantumpotè. Albo etiam amictu uti apud veteres, Dii credebantur. Unde ipsas Deorum statuas

In vita D. Martini. l. 1. apud Gallos albis vestimentis olim indutas testatur *Sulpitius Severus*. Neque alio colore amicti hominibus apparere solent Angeli in Sacris litteris. Christus Dominus in Transfiguratione Vestibus indutus niveo candore splendentibus, Discipulis suis visus est. Qui agnum sequuntur quocunque vadit, quique jam cœlo beati fruuntur, dicuntur *albas* sto-

Apoc. 19. 8. las gestare. Quas stolas S. *Johannes Sanctorum justificationem* esse dicit, nempe ob puritatem, sinceritatem, atque innocentiam, quæ albo colore significantur. Denique in Primitiva Ecclesia Christi, albis Vestibus induebantur quotquot Sacrum Baptismum suscipiebant. Unde *Dominica in albis*. Ad quem morem allusisse, non absque ratione creditur Apostolus ubi ait *quotquot Baptizati sunt, eos Christum induisse*. Nam Ritus ille, quo, lavacro Sacro initiati, partim officii commonefiebant, partim animi sui propositum, scilicet in innocentia vitæ & morum puritate porro ambulandi, testabantur, antiquissimus sane in Ecclesia fuit, ut apud *Tertullianum* aliosque vetustos Scriptores videre est. Quæ cùm ita sint, nemini mirum esse potest, quandoquidem Ecclesiæ moderatoribus, Christi Ministros in Sacrorum celebratione vestitu peculiari ad decorum, ornatum, distinctionem, necnon ad utilem commonefactionem uti debere visum est, quòd vestitus albus quo Gentium, quo Judæorum etiam Sacerdotes ex ipsius Dei mandato; Quo Angeli, Dei omnipotentis Ministri, & ab eo apud homines internuncii; Quo Beati οἱ ἤδη τετελειωμένοι in cœlo utuntur, & Christus ipse in Transfiguratione usus est; Quo denique fideles Baptismum suscipientes in signum sinceræ pietatis ad quam vocabantur, ornari mos erat; nemini inquam mirum esse potest, quòd vestitus albus Christi Ministris in Sacrorum celebratione olim ab Ecclesia Primitiva præscriptus sit, & omnibus aliis prælatus. Neque magis mirum esse debet, quòd in *Anglicana*, *Suecica*, *Danica*, & aliis plerisque *Augustana* Confessionis Ecclesiis idem Vestitus in eumdem finem

finem & ob easdem rationes, & quod jam a multis Sæculis Christi Ministris in usu fuisset, retentus sit & ab ipsis earum Ecclesiarum piis Reformatoribus usurpatus. Obstrepunt tamen Schismatici, & multa futiliter objiciunt contra Vestium albarum usum in Sacrorum celebratione.

§. *Nos dicimus*, inquiunt, *Superpellicei usum malè præcipi.* 1. *Quia materia Præcepti Ecclesiastici debet esse aliquid utile. Atqui nulla in Superpelliceo utilitas.* Cui Objectioni nostram Responsionem subjiciens Apologista, Nos affirmare innuit homo impudenter nequam, Superpelliceum utile esse *ad efficiendam puritatem*; atque adversus Ecclesiam Anglicanam ita disputat, ac si Sacra sine Superpelliceo decenter & ordinatè peragi posse simpliciter negaremus. Verum ex Superioribus liquet, Superpelliceum, cum tam diu ad decorum, ornatum, distinctionem, necnon ad piam commonefactionem a Christi Ministris usurpatum sit, in eosdem usus non alios in Ecclesia Anglicana usurpari; quod fieri in qualibet Ecclesiâ posse, imo debere, si sic Superioribus videatur, contendimus. Neque tamen affirmamus non posse decenter atque ordinatè Sacra peragi, nisi induatur Superpelliceum; Nam decenter Sacra celebrari apud *Gallos*, *Genevenses*, aliosque, ubi posito pallio, talarem togam induunt Ministri rem divinam facientes, cum sic earum Ecclesiarum Moderatoribus visum sit, non negamus. Quod vero non absque ratione in Ecclesia Dei primitus institutum, & in eadem per multa Sæcula observatum novimus, id decentius adeoque potius usurpandum arbitramur. Neque nos ex Apostoli verbis 1 *Cor.* 14. 40. quod innuit Apologista, quicquid decens est, ab Ecclesia usurpari ac præcipi debere, sed posse, si expedire videatur, &, si præcipiatur, in eo Ecclesiæ morem gerendum dicimus. Atqui Vestis linea in Sacrorum celebratione, decens indumentum Ecclesiæ Anglicanæ videtur. Seu autem decor ille ipsi insit a natura, seu ex usu recepto, quod utrumque (idque non studio Partium sed ex rei veritate) verum esse affirmamus, perinde est. Imo cùm decorum ex mera hominum opinione plerumque pendeat, quod decens videtur, decens dici potest; saltem eorum respectu quibus sic videtur. Sic *Anglis Anglorum*, *Germanis Germanorum*, *Hispanis Hispanorum* vestitus decens est, quia decens videtur.

Apol. p. 58.

Ibidem.

§. Sed instat, ut probet Superpelliceum ad distinctionem utile non esse. *Quid enim opus est*, inquit, *eos vestibus distingui, quos satis distinguunt sedes & officia quæ administrant.* Deinde, *Linea vestis Clericum nequit distinguere à Laico, quia multi Laici in Academiis & Ecclesiis Cathedralibus, tenentur istiusmodi vestes induere, æquè ac Clerici.* Respondebunt pro Ecclesia Anglicana cæteræ Reformatæ, in quibus Evangelii Ministri vestibus distinguuntur, licet sedibus & officiis distingui possint & reipsa distinguantur; neque concedent, etiamsi Philosophiæ, Jurisprudentiæ,

Medicinæ

Medicinæ, aliarumque Scientiarum Professores in Academiis (quod scimus fieri in nonnullis) Vestes, Theologorum vestibus similes gerant, ideo vestes illas ad distinctionem utiles non esse; cùm eos omnes saltem a cæteris Laicis distinguant.

§. Sed neque ad significandam puritatem utile esse Superpelliceum sic it probatum Apologista. *Quæro*, Inquit, *num albedo in Superpelliceo clariùs significet puritatem quàm albedo in parietibus Templorum. Si non clariùs quorsum multiplicantur entia sine necessitate; si clariùs significat, quæro in quo fundetur major illa claritas.* At qualis Argumentatio; Illud non est utile quod alio utili non est utilius! Fallitur Sophista ridiculus. Nam albedo in parietibus Templorum, utilis est non ad significandum puritatem (neque enim eum ob finem dealbantur Templorum parietes) sed partim ad ornatum, partim ad lumen intensius in Templis efficiendum. Contra vero albedo in veste Ministrorum Christi, si ad hoc vestium albarum usus institutus sit, utilis est ad significandum morum candorem, vitæque puritatem iis inesse debere, quos ejusmodi vestibus indui oportet. Si quæras, unde id habeat albedo in veste; Respondeo ex Institutione, quæ fundata est partìm in ipsa natura albi coloris, qui purus sincerusque, hoc est, absque ulla aliorum colorum mixtura, partim in instituentis voluntate & jam longo usu receptâ consuetudine. Sed nondum finis nugandi. Sic enim instat iterum Sophista.

Pag. 60. §. *Deinde, Num Ecclesia liberum relinquit Ministris, quotiescunque vestem hanc induunt, cogitare de puritate? Si liberum relinquat, tum medium instituit sine ullo ordine ad finem: Si non liberum relinquat, tum peccant qui vestem illam induunt nulla habitâ ratione de puritate. At quis umquam Presbyterum aut Diaconum hocce peccatum confitentem audivit.* Respon. Dilemmatibus isto vitilitigatore infelicius nemo umquam usus est. Nam quicquid aut negetur aut concedatur, haud inde sequetur, Superpelliceum non esse utile ad monendum Christi Ministros suæ ad puritatem vocationis. Si dicatur liberum relinqui de puritate, ad quam vocantur, cogitare, & sint qui de ea non cogitent, dum illud induunt, illis certè ad hoc utile non est; at esse potest, & reverà est si qui quid sit officii sui, cujus eâ ratione monentur, seriò cogitent. Si dicatur liberum non relinqui, & sint qui de puritate morum non cogitent dum vestem illam sumunt, eos peccare planum est etiamsi peccatum illud nunquam confiteantur. Nam si quis, Ecclesiam quod æquum quodque ad pietatem utile est præcipientem, non audiat, eum peccare nemo negaverit. At Ministros Christi de puritate ad quàm vocantur, cogitare quotiescunque se accingunt ad Sacra Christi peragenda, æquum est atque ad pietatem promovendam utile, seu voce, seu scripto, seu signo, seu alia quacunque ratione, illud moneantur.

§. Secundò,

§. Secundò, *Malè præcipitur*, inquiunt, quià *sub severiori quàm æquum est pœnâ, præcipitur. Si statuissent Præsules, ut omnes sine lineis vestibus Sacra peragentes solvant duodecim denarios toties quoties pauperibus, potuit fieri sanctio. At ut propter omißas vestitûs ineptias, quis libertate concionandi mulctetur, Schismaticus audiat, & indignus habeatur, qui ullo beneficio Ecclesiastico gaudeat; planè intolerabile est. Ecquid enim hoc non est per traditiones humanas Præceptum Dei evacuare?* Respon. Primò, Exauthorationem eorum qui vestis lineæ usum præfractè respuunt, non à Præsulibus sed à Regia Majestate Rogante Parlamento decretam. Deinde, egregiè falleris mi homo, si tanti esse putas vestem lineam apud Ecclesiæ Regnique Moderatores, ut quemquam propter illius simplicem omissionem, libertate concionandi mulctari velint. Sed si qui sint qui in re ejusmodi, quam mediæ naturæ apud omnium Gentium Reformatos esse & haberi constat, animo suo obsequi & præconceptis opinationibus mordicus adhærere, quàm Superioribus morem gerere, & Ecclesiasticis Patriisque legibus obtemperare suo & Ecclesiæ etiam, periculo, malint, eos dementes & insanos, adeoque indignos qui concionandi munere fungantur in Ecclesia Christi, quibusque animarum salus concredatur, rectè judicarunt. Quòd si hoc durius iniquiusque videatur, quam ut à cæteris Ecclesiis Reformatis approbari possit, periculum fac, amabò, apud Ecclesias Reformatas *Galliæ*. Videris tibi Orator egregius & Theologus merito tuo non incelebris. Fingamus te *Lutetiam Parisiorum* delatum, & *Carentoni* ad *Matronam* in Reformatorum *Parisiensium* Ecclesiâ Concionem habiturum, Sacramque Cœnam administraturum, sed nolle, præfractè nolle, posito pallio, pro illius Ecclesiæ more, togam Ecclesiasticam induere; Causâ cadam, ni ablata tibi, alii demandetur concionandi Provincia. Numquid autem tanti est apud eos toga Ecclesiastica? minimè vero. Sed viris sapientibus homo Fanaticus (quales quotquot Ecclesiæ in qua vivitur, morem in rebus ejusmodi sequi nolunt) non videtur ad grave Sacrumque illud munus obeundum idoneus. *Semper hoc in Ecclesia valuit*, inquit, Calvinus, *quod veteribus Synodis fuit decretum, ut qui subjici communis Disciplinæ legibus noluerit, munere abdicetur.*

Pag. 60.

Calvin. Epist. Farello. Ep. l. p. 122. Edit. Genev.

§. Quod aiunt 3. *Superpellicei usum malè præcipi, quia contra legem Charitatis præcipitur, nempè ob quorundam*, quos Apologista *infirmiores* vocat, sed qui se confirmatiores putant, *offendiculum*, ad id facilè respondetur, vulgari illâ *scandali dati & accepti* adhibitâ distinctione. Judicent verò Fratres Transmarini, utrius sit hac in parte *contra legem Charitatis, quæ vetat in rebus non necessariis offendiculum infirmioribus præbere*, Peccatum majus, Ecclesiæ ne, rei, quæ ex aliarum omnium Ecclesiarum Reformatarum sententiâ, naturæ prorsus mediæ est, sed quæ ad decorum & ordinem faciat, usum præcipientis; an verò tuum mi-

que similium qui se vocant *Ejectos in Anglia Ministros*, qui debitum in re adeo legitimâ Ecclesiæ obsequium non modò præfractè detrectatis, sed voce & scriptis publicis scrupulos deditâ operâ infirmiori plebeculæ nihil tale cogitanti injicitis, ut aliis qui obsequuntur, offendatur. Deinde cogita, serio cogita O homo, qui æquum putas, ut Superiores eo usque tui rationem habeant, ut tollant quæ ad Ecclesiæ ædificationem facere ipsis videntur, ne offendaris; cogita inquam, an non tu vicissim eorum etiam rationem habere eo usque tenearis, ut ea potius feras, quæ tibi minus expedire videntur, quàm eos, quos Deus tibi præposuit, contumaciâ tuâ offendas. Parentes sanè liberos suos irritare non debent; sed nec debent liberi parentibus in rebus non malis debitum obsequium detrectare. Quod si aut Parentes liberis aut liberi Parentibus cedant aliquando necessum est, utris cedendi partes incumbant, difficile non est judicium. Sed ain tu *Scandalum Presbyterianorum hac in parte cum nullo Ecclesiæ detrimento tolli posse? Nempe si abstineat Ecclesia à condendis legibus de Veste linea.* Vis igitur liberum esse Ecclesiæ Anglicanæ Ministris uti vel non uti Superpelliceo, & eâ ratione sublatum iri tuorum scandalum asseris. At istuc malâ fide, ut cætera omnia. Ais enim hoc ipso Paragrapho *Ministros qui Veste linea utuntur, eos scandalizare quos tu vocas infirmiores & pusillos.* Tollatur igitur penitus ex Ecclesia, prohibeaturque lineæ Vestis usus, ut tollatur Presbyterianorum scandalum, necesse est. Quod fieri nequit, quin de ea Veste leges condantur. At si lege de tollendo penitus ex Ecclesia lineæ Vestis usu, Presbyterianis satisfiat, nonne offendentur alii & longè numero plures, & multis nominibus longè potiores, cùm viderint Schismaticos clamoribus, seditionibus, rebellionibus, id tandem effecisse, ut Vestitum innocentem, antiquum, decentem, parabilem, consuetum, & ab ipsis Reformatoribus, pientissimis Christi Martyribus retentum, abjicere ipsi etiam jubeantur. Si igitur aut hos aut illos lege aliquâ, seu de tollenda, seu de retinenda linea Veste offendere oporteat (lege enim opus esse manifestum est) judicet Lector, utrorum major ratio habenda sit. Adde quod eâ lege, Puritani, qui a lineæ Vestis tamquam rei malæ usu abhorrent, in errore suo confirmarentur. Quod quid aliquid esset, quàm Titum circumcidere, uti fratribus Judaizantibus mos gereretur? Id autem S. *Paulus* alias facilis ac flexibilis, committere noluit.

Pag. 62. §. *Quartò, Malè præcipitur Superpellicei usus,* inquiunt, *quia Papistarum sannis & ludibrio Ecclesiam nostram exponit; Nec mediocriter confirmat in Superstitione suâ Romanenses, qui inde spem concipiunt redituros ad castra sua* Anglos. Respondeo, Papistarum sannos & ludibrium & vanam spem facilè contemnere posset Ecclesia Anglicana, ni Schismaticorum importuni de Superpelliceo & aliis rebus non majoris momenti, clamores & iniqua jurgia materiam ridendi sperandique

ipsis

ipsis præberent longè majorem, proh dolor! quàm Vestes Ecclesiasticæ, quarum usum retinuit. Sed insulsus planè est cum *Westono* suo Apologista, *qui falsè dictum putet*, Anglos *Papam è suo Regno fugasse adeo festinè, ut eum cogerent Vestes a tergo relinquere; Item eos aut Fures esse aut saltem Antichristi simias.* Patet enim è superioribus Papam non adeo præcipitanter ex *Anglia* pulsum, quin ipsum Choragium Missaticum universum convasare, & secum extra *Angliam* efferre oportuerit. Patet etiam nullas Vestes ab Ecclesia Anglicana hodie usurpari, quæ propriè Antichristi fuisse jure dici possint. Effrons porrò ac diabolica planè calumnia est, quod ait Apologista, *omnia Ecclesiæ Anglicanæ Vestigia Romam versus*, ex quo ab ea Secessionem fecit, *respicere.* Cedo vel unum Ecclesiæ Anglicanæ, ex quo à Romana depravatâ & corruptâ secessit, *Romam* versus Vestigium.

§. *Quintò*, Sed ad palmarium argumentum. *Ritus*, inquiunt, *qui ab hominibus instituitur, & tamen ordinatur ad significandum aliquid mysticum, & soli Dei cultui appropriatur, is bonâ conscientiâ nequit observari. At talis est linea Vestis. Ergo.* Respondeo primò, Ecclesiam Anglicanam, uti suprà observatum est, nullibi declarare Vestem lineam ad quicquam significandum Christi Ministris usurpandam. Sed quoniam & illud ipsum licere, ideoque rectè nec sine fructu fieri contendimus; Respondeo secundò, sic distinguendo, Ritus qui ab hominibus instituitur, *absque ullo fundamento in generalibus illis regulis quas Deus de externis Ritibus in Scripturis tradidit*, & ordinatur ad significandum aliquid mysticum, *nempe gratiam Dei quam Deus talem Ritum usurpantibus impertiturus sit*, & soli Dei cultui, *ut illius pars essentialis propriè dicta atque necessaria*, appropriatur, is bonâ conscientiâ nequit observari, *concedo.* Ritus qui ab hominibus instituitur *cum fundamento in generalibus illis regulis, & ordinatur* non ad significandum gratiam Dei quam impertiturus sit talem Ritum usurpantibus, sed *ad commonefaciendum officii sui homines, & cultui Dei appropriatur, aut potius applicatur, ut circumstantia eaque liberæ observationis in se spectata, ad decorum & ordinem faciens*, is bonâ conscientiâ nequit observari, *nego.* Hujus verò, non illiusmodi Ritum esse Vestis lineæ usum in Sacrorum celebratione ex supradictis liquet. Quæ addit Apologista ad hujus argumenti explicationem & confirmationem, ea sequenti capite, in quo agetur de Ecclesiæ potestate circa Rituum significantium institutionem, singula excutientur. Apol. pag. 62.

§. Dicunt *Sextò*, *Superpelliceum primis & purissimis Ecclesiis non fuisse in usu.* Quod satis probatum putat Apologista, *quia contrarium non probatur.* Nobis vero contrarium ex *Hieronymo, Chrysostomoque* satis probari videtur. Et quamquam *Hieronymi* ætate Ecclesiam nimio Ceremoniarum numero onustam rectè observavit *Augustinus* loco Apol. pag. 64.

ab Apologista citato, attamen nec colorem nec formam Vestium inter Ecclesiæ onera umquam numeravit; Neque adeo deliravit Vir sapiens, ut plus oneris in albedine quam in nigredine aut alio colore esse crederet. Quo autem præcisè tempore Ecclesiæ Christianæ Ministri albis Vestibus uti cœperint, scire parum interest. Nam quamvis earum usus *Hieronymo Chrysostomove* antiquior non esset, sufficeret in re ejusmodi, ea antiquitas. Neque sanè quidem nobis ab eo colore abhorrendum putamus, quo *Hieronymus Chrysostomusque*, ut & alii illius tempestatis Presbyteri atque Episcopi in peragendis divinis officiis usi sunt. Verùm ex locis apud eos citatis planè liquet albarum Vestium usum, non primò tum, in Ecclesiam introductum, sed consuetum atque adeo anteà receptum. Quod idem patet ex Concilii Carth. quarti, cui interfuit subscripsitque ipse *Augustinus*, Canone 41. quo edicitur, *ne Diaconi nisi oblationis & lectionis tempore alba induantur.* Et fatetur *Flacius* ipse cum Sociis ad Centuriam Tertiam, Ecclesiam Romanam, tum puram & verè Catholicam, usam esse singulari Vestitu in Sacrorum celebratione, cujus inventionem tribuit *Stephano* Episcopo Romano & Beato Christi Martyri, qui passus est circa medium Sæculi tertii.

Edit. Basil. 1560. pag. 146.

Apol. pag. 65. §. *Septimò*, ait Apologista, *Nullam umquam Synodum Generalem & Orthodoxam quicquam præcepisse de hisce nugis, saltem sub tanta pœna.* Sed quid hinc inferas, nisi in Ecclesia Dei ante ortos hisce ultimis temporibus Puritanos, nullos umquam extitisse homines adeo refractarios, ut illi in re adeo legitimâ, morem gerere detrectarint. Scilicet ex malis moribus nascuntur bonæ leges. Neque solent pœnæ decerni ubi peccatum nullum prævidetur. Verùm de decentibus Ministrorum Vestibus, quas nugas homo nugax vocitat, Orthodoxa Concilia statuere, & in eo præeuntem Deum, qui *Aaronis* & ejus filiorum cultum ipse describere non dedignatus est, sequi haud infra gravitatem suam duxisse, ex jam allegato *Carthaginensis* Concilii Canone perspicuum est, & ex aliis Conciliis Orthodoxis, si res esset tanti, facilè demonstrari posset. Quòd si rem Vestiariam Oecumenica Concilia non attigerunt, id ideo factum est, quia nullum extitit super ea in Ecclesia dissidium, & quod in Provincialibus Synodis res ejusmodi tractari soleant, nempe ut Gens quælibet quod sibi magis expedire videbitur, præscribat & observet.

§. Deinde *Octavò*, Ecclesiarum Reformatarum Doctores contra indumentum album adducens Miles gloriosus, *Voetium* suum de *Idololatria indirecta & participata*, Andabatarum more digladiantem, in prima acie collocat. De cujus authoritate in Controversiis nostris vide Præfationem nostram circa finem. *Voetium* sequitur *Altingius* contra *Augustanæ* Confessionis fratres disputans, atque asserens Ministros Vestitu albo non induendos. Quid ita? *Primò quia Vestes albæ nec a Christo, nec ab Apostolis præscriptæ vel usurpatæ.* At quis non videt si quid

Pag. 66.

quid ea ratio valeat ad Vestium albarum, eamdem & ad nigrarum usum tollendum valere? *Secundò* inquit, *Vestes albæ, partim Sacerdotium Leviticum, partim Papismum redolent. Nam & peculiaris Levitarum vestitus & color ille, Missificis proprius est & ad Missæ commendationem confictus.* Sed negatur cùm Antecedens, tùm illius probatio. Usi sunt quidem lineis Vestibus Judæorum Sacerdotes & Levitæ, sed ad ornatum, decorum & distinctionem, qua Dei, non qua Veteris Legis Ministri, quos decenter vestiri oportuit. Nec peculiaris Levitarum iste vestitus fuit. Eumdem enim a Gentium Sacerdotibus usurpatum fuisse nemo nescit; Et Angeli aliique Cœlites stolis albis induti in Scripturis repræsentantur. Nec color ille Missificis proprius est, cùm Protestantium Ministrorum numerus longè maximus in *Anglia*, scilicet, *Hiberniâ, Sueciâ, Daniâ, Norvegia*, & plurimis Germaniæ Civitatibus Regionibusque eodem colore induantur. Utuntur & eodem in luctu passim Viduæ in *Helvetia, Germania, Dania*, & aliis locis. Nec verum est denique Superpelliceum, de eo enim Vestimento nunc agitur, ad Missæ commendationem confictum. Nam diu ante confictam Missam, depravatam illam hodiernæ Ecclesiæ Romanæ intelligo, quam novitium ante aliquot Sæcula inventum esse omnes Reformatorum Doctores & ipse *Altingius*, jure merito affirmant, Superpellicei usum in Ecclesia Dei obtinuisse constat. Et jam suprà observavimus in Missarum celebratione Superpelliceum non adhiberi, cùm inter Sacerdotalia indumenta a Pontificiis non numeretur. Denique alii colores, niger scilicet, rubeus, viridis, violaceus, quos variè pro vario Missarum colore, ad significationes & distinctiones mysticas & majorem Sacrorum solennitatem, perinde atque album, adhiberi mos est, Missam æquè commendant.

§. *Altingium* excipiunt *Ecclesiæ Scoticanæ Superintendentium* litteræ. Sed quàm parvipendendum sit in hac controversia illius Ecclesiæ judicium, ex iis quæ à nobis de ea hactenus passim annotata sunt Lector æquus judicabit. Itaque in istis Superintendentium Scoticorum litteris duo aut tria tantùm observabo. *Primum*, eos toto cœlo aberrare, cum supponunt Superpelliceum fuisse symbolum Idololatrarum in ipsissimo actu Idololatriæ. Id enim capite præcedente explosum, ubi ostendimus nullum esse Sacerdoti Missam celebranti Superpellicei usum. *Alterum*, eos errorem eumdem circa *pileum quadratum & liripipium* (Liripipium vox est Belgica, quâ significatur Epomis seu Superhumerale illud quod ad graduum Academicorum distinctionem adhibere solent) errare. Nam pileo quadrato (a quo Puritani non minus olim abhorrebant quàm a Superpelliceo) qui Missas peragunt, inter celebrandum non utuntur. Et Liripipium Academicum ornamentum merum est ad Missificantes nihil attinens. *Tertium*, quod in Superintendentium litteris imprimis annotatum velim, hoc est, scilicet, Puritanos,

Apol. pag. 67.

pro quibus litteras illas ante annos centum scripserunt, licet multâ imbecillitate laboraverint, Viros tamen *modestos & pacificos*, aut saltem tales ipsis visos fuisse *Fratres nostri*, inquiunt, *qui inutilem illum habitum respuunt, neque vos damnant, neque molestias vobis creant.* Qui si tales fuerint, Deus Bone! quantum distant a milite nostro glorioso & hodiernis Presbyterianis?

§. Ad ea quæ sequuntur paginis 69, 70, & 71. de Ecclesiæ Scoticanæ cum Anglicana in Ritibus conformitate, a Scotis teste *Buchanano* olim subscriptâ, vide quæ respondimus capite Videsis etiam quomodo erga Puritanos animatus fuerit Jacobus Rex, capite I. pagina

Pag. 72. Quid ad rem faciat, quod ait, *se ex Foxo discere Martyres non paucos ab hac Veste abhorruisse*, non video; cum id Virorum bonorum imbecillitatem tantùm arguat; Et ex eodem *Foxo* possit discere, Martyres longè plures non modo illam usurpasse, sed illius usum ut legitimum defendisse. At *Hoppero*, *Ridleioque* Viris ut dignitate ac doctrinâ, sic etiam fide ac constantiâ inter Christi Martyres primariis insignem injuriam facit, a qua vindicandi. *Hopperus* quidem à Veste linea, ut & à pileo quadrato, & Episcopali ornatu primùm abhorruit; sed *Buceri*, *Martyris*, *Calvinique* monitis, & argumentis victus, mutatâ sententiâ se tandem morigerum præbuit. Quod malâ fide tacuit Apologista, ita de eo loquutus ac si semper errori adhærens ab eo cultu abhorruisset, illumque numquam usurpasset. Sed ut ex malis moribus nascuntur bonæ leges, sic Apologistæ injuriosum *Hoppero* silentium in causa erit, cur Viri præstantissimi candidissimum pectus & animum veritati cedere paratum hic patefaciam, exhibitis illius ad *Cranmerum Cantuariensem* Archiepiscopum, & ipsum Christi Martyrem, datis litteris, quibus se circa rerum mediæ naturæ usum meliùs edoctum quàm anteà fuerat, adeoque ad obsequendum promptum esse profitetur. Extat earum litterarum exemplar in vetere libro Manuscripto plurima ejusmodi complectente, qui penes est Virum, non in Theologia modo, sed & in omni Disciplinarum genere cultissimum D. *Sethum Ward Sarisburiensem* Episcopum Dignissimum, qui illius, pro summa sua humanitate, lubens mihi copiam fecit. "*Valdè* mihi doluit quòd non satisfecerim meo Scripto voluntati "D. D. Consiliariorum. Atqui sperabam hoc meo Scripto ita satisfe-"cisse ut nihil ultra possent a me exigere. Quid enim poteram ampli-"us quàm *meâ conscientiâ liberatâ ab omni scrupulo quo antè fuit* "*sollicitata judicium hujus quæstionis Vestræ Clementiæ deferre*, & "*polliceri me facturum quicquid statuissetis.* Ego Scripto illo nolim "contendere, sed hoc solum, ut me purgarem omni crimine inobedien-"tiæ & contemptus authoritatis R. ac V. C. atque in hunc finem pauca "induxi argumenta, quæ me hactenus movissent. Id etiam volebam in-"telligeretis *me nunc agnoscere libertatem filiorum Dei in rebus ex-*

Vide *Buceri Script. Anglic. de re Vest. ad Hooper. Martyr. ad eumdem in Epistolis. Calv. Epistol.* I. pag. 131. *Bullingero.*

"*terni*

"*ternis omnibus; quas nec per se impias, nec usum earum quemli-*
"*bet per se impium assero aut sentio,* abusum solum qui omnibus esse
"potest vitio utentium superstitiosè, aut alioqui malè, reprehendo cum
"D. *Bucero*, D. *Martyre*, & omnibus piis ac doctis Viris. Cæterum
"quod ad me attinet in hac causa usûs Vestium ac Rituum inauguratio-
"nis Episcopalis, si adhuc dubitarem aut hærerem in aliquo, attamen
"abundè putarem me satisfacturum omni officio reverentiæ vel obedi-
"entiæ, si volens meum sensum ac judicium cæteris omnibus præferre,
"ipse V. C. judicio subjicerer, quicquid judicaturi fueritis, ex animo
"facturus. Id quod meo Scripto volebam. Et nunc idem facio &
"polliceor. *Etenim in hac causa cœpi meum judicium sensumque me-*
"*um ita habere suspecta, ut V. C. judicio, vel eorum, quoscunque no-*
"*minaveritis pios ac doctos in lege Dei stare ac niti, quam meo uni-*
"*us, existimem consultius, & Christianâ humilitate dignius.* Id non
"puto in me esse mutatum. Ago gratias R. V. C. quod tam multas mo-
"lestias ac labores meo nomine subire dignatus sis. Rogo etiam supplex
"sic agas cum reliquis D. D. ut contenti esse velint in nomine Christi.
"Neque ita sentiant de me, quasi aliquid faciam simulatè ullo metu, aut
"ullâ aliâ causâ nisi Ecclesiæ: D. Jesus testis est; qui abdita cordium
"novit. Idem R. T. C. suo Spiritu semper augeat atque omnibus bo-
"nis beet. In Carcere 15 Februar. 1551. R. T. Clementiæ observan-
"tissimus *Joh. Hopperus.* Cujus utinam modestiam nunc imitarentur *Presbyteriani*, non autem ejus nominis authoritate abuterentur, ad obfirmandos infirmiores in errore, quem veritate victus tandem Vir optimus lubens deposuit. *Ridleium* verò, qui Vestis lineæ usum ut legitimum adversùs *Hopperum* aliosque acriter defenderat, sententiam umquam *flagellante conscientiâ mutasse*, quod asserit Apologista, purum putum mendacium est. Fuerat inter *Ridleium Londinensem* Episcopum & *Hopperum Glocestrensem* acerrima de re Vestiaria contentio. Atque ex eo tempore, ut ex *Ridlei* ad *Hopperum* litteris in Carcere non diu antè utriusque Martyrium scriptis, videtur, vix ulla intercesserat inter illos familiaritas aut necessitudo. Quin & *Hopperi* exigua aut nulla fuerat exinde apud *Ridleium* existimatio. Cùm verò ambo *Marianis* temporibus in Carcerem conjecti essent, propter Evangelium Christi, *Hopperus* librum quem de quibusdam Religionis capitibus scripserat, priusquam illum evulgaret, *Ridleio* examinandum misit. Quem cùm *Ridleius* perlegisset & probasset, amicam dedit ad *Hopperum* Epistolam, in qua profitetur se eum pro fratre qui eamdem veritatem pro qua sanguinem mox sit profusurus, propugnet, habere atque agnoscere. Deinde ne ex vetere illâ super re Vestiaria, contentione acerbitas ulla, in animo reliqua putaretur, ut Vir erat modestiæ summæ, *Hopperum* ait, cùm inter se uterque vehementiùs disceptarent, *pro sua sapientia, se verò*

pro

Foxus Martyrol. tom. 3.

pro sua, non *fatuitate*, quod fatuo pejor Apologista falsò asserit, sed *simplicitate*, *egisse*, *& utrumque*, ut fit, *in sensu suo abundasse*. Hæc sunt *Ridlei* verba, verbo ad verbum reddita. Quæ vide apud *Foxum* loco ab Apologista citato & corrupto. Responsione porro non eget, quòd *Foxum*, *Humphredum*, & *Fulconem*, cætera Viros doctos albo indumento fuisse æquo infensiores affirmat; (Quamquam id de *Fulcone* negat *Burgesius* noster) cùm sexcenti, tribus illis, nullâ in re nedum propugnandæ Religionis Reformatæ studio, inferiores, facilè nominari possint, quibus mens sanior fuit.

Sect. 2. p. 226. Bucerus de re Vestiaria in Sacris ad præscriptas aliquot quæstiones a R. D. Thom. Archiepisc. Cantuar. Bucero propositas; in Scriptis Anglic.

§. *Martinum Bucerum* acerrimi judicii doctrinæque reconditæ Theologum ad *Cranmeri* quæsita, ut & ad ea omnia quæ *Hopperus* contra Vestium Ecclesiasticarum usum excipiebat, ita respondentem in Tractatu Anglicano produxeram. *Ad quæstiones propositas, pro meo officio*, inquit, *ea sic habent*. An sine offensa Dei liceat Ministris Ecclesiæ Anglicanæ illis uti Vestibus, quibus hodie utuntur, & a Magistratu præscriptæ sunt? *Item*, An is qui affirmarit nefas esse, aut recusaverit his Vestibus uti, peccet in Deum, quia immundum esse dicit quod Deus sanctificavit; & in Magistratus quod violet ordinem politicum? "De "priore quæstione est hæc, quam me credo ex divinis didicisse litteris, "sententia. Primùm, nolo de ullis Ecclesiarum Anglicanarum Mini"stris mea responsa intelligi; nisi qui veri fidique sunt omnium myste"riorum Dei dispensatores, totumque Evangelium Christi, cunctam"que ejus & Doctrinam & Disciplinam populis suis summâ fide trade"re, & eorum instillare infigereque animis student. Qui Eccle"siarum Anglicarum Ministri hujusmodi sunt, eos sentio posse Vestibus "illis quarum hodie usus est, uti cum gratia Dei. Hoc vero tum demum "censeo facturos, si cum clarissima & Christi Servatoris prædicatione, "& Antichristi totius tum Romani tum cujuscunque detectione atque "detestatione, populum probè doceant, se his Vestibus utendo nihil "omninò velle constabilire impiorum commentorum, quæ Antichristi "Romani obtruserunt populis. Nec quod Sacerdotes cæteris Christia"nis per se sint Sanctiores, & ad placandum Deum efficaciores; nec "quod Christum in Sacra Communione Patri sistant, ut nunc loquun"tur, ejusque meritum suo opere & arbitratu cuiquam applicent, su"pra quam quisquam, propriâ fide, ex verbis & Sacramento Dei perci"pit. Nec quod Aharonica sint nobis revocanda. Sed præstare tan"tum eo obedientiam Regiæ Majestati, & iis penes quos Dominus vult "esse de externis Ecclesiarum Ritibus, consentienter tamen verbo Dei, "statuere: ac defugere offendiculum turbati ordinis, consensusque "publici: tum testari piis hominibus omnem Dei creaturam bonam "esse, etiam significando: posseque proinde omnes Christo verè cre"dentes, piè iis rebus uti, quibus quantumvis abusi alii sint impiè. Sed

"nec

"nec Regiam Majestatem, nec magnum Regni Consilium, puto quic-
"quam Superstitionis harum usu Vestium velle retinere, aut fovere:
"Sed cùm ejusmodi Vestium usus ante Papam, Romanum Antichristum,
"fuerit piè a Sanctissimis Patribus usurpatus, possitque hodie ad ali-
"quam Sacri Ministerii, totiusque Christianismi commendationem; si
"earum significatio pia instituatur, atque probè etiam doceatur, nolu-
"isse remotione harum Vestium dare occasionem infirmioribus fide ho-
"minibus, verum Christi Ministerium fastidiendi aut contemnendi:
"vel etiam suspicionem illis ingerere de se, quasi irreligiosâ quâdam le-
"vitate gauderent cuncta usurpata anteà in Religionibus, etiam quo-
"rum possit bonus usus esse, invertere, & abolere. Populum igitur
"debere ex harum Vestium conspectu de nulla alia re cogitare, quàm de
"cœlesti puritate & candore, omniumque virtutum ornatu, qui per Sa-
"crum Ecclesiæ Ministerium credentibus omnibus commendatur atque
"etiam exhibetur: ut eum candorem & ornatum orent, cùm sibi ipsis,
"tum Ministris ipsorum, & ad comparandum eum omni studio enitan-
"tur, quo omnes eniteant tandem Vestibus justitiæ & salutis. Opor-
"tere Ministros tamen aliquibus Vestibus uti, & quæ non tantùm eo-
"rum tegant atque foveant corpora, sed etiam aliquid significent & ali-
"cujus admoneant. Cùm itaque visum nunc sit Regiæ Majestati atque
"primo Regni Concilio, ut harum adhuc usus Vestium hactenus retine-
"atur, debere ipsos ad gloriam Dei & honorem Regiæ Majestatis, im-
"pium Papistarum abusum, & in his bonis per se Dei creaturis, pio usu
"commutare, atque reipsa declarare, sanctis & puris hominibus omnia
"sancta esse & pura, verèque sanctificari per verbum & orationem:
"Nec ullos vel Dæmones vel homines posse ullam Dei creaturam sic
"contaminare, ut tam pii homines non valeant piè ad gloriam Dei
"usurpare, etiam usu sanctificationis, non tantùm fruitione effectuum
"naturalium. Debent enim omnes creaturæ, præter exhibitionem di-
"vinæ benignitatis per effecta naturalia, nos etiam ipsius Creatoris sui
"& nostri, nostræque in eum gratitudinis multis modis admonere. Ad
"quas etiam admonitiones possunt ac debent publicè adhiberi. Scri-
"pturæ ex quibus me credo sententiam hanc didicisse, sunt fere jam in-
"dicatæ; hæ scilicet quæ docent omnem Dei creaturam bonis bonam
"esse, etiam significando & admonendo; nec posse in ulla Dei creatu-
"râ ullum hærere piis hominibus abusum impiorum: Christum Domi-
"num suis liberum harum rerum reliquisse usum: quos assumpsit Do-
"minus eos suscipiendos esse & non ad dijudicationem cogitationum;
"ita tamen nos usum semper ejusmodi rerum debere temperare, ut ad
"decorem aliquem, ordinem & fidei ædificationem faciant. *Rom.* 14.
"1 *Cor.* 8.9,10. 1 *Tim.* 4. Item quem describunt exempla Apostolorum,
"qui tamdiu Ceremoniis Mosaicis nec impiè, usi sunt. De altera

"Quæstione

" Quæstione, mea est sententia hausta, ut credo, ex divinis litteris, Eos " qui dicunt Vestibus de quibus agitur quovis modo uti, etiam eo, quem " descripsi, nefas esse, ad minimum errare; & hoc eo, quod negant san- " ctificatis esse sancta omnia. Idem affirmo de iis, qui ex eadem causa " Vestibus illis uti nolunt; cùm publico Regis Decreto, & Ecclesiarum " consensu, usus earum, & non Superstitiosus nec levis, sit præscriptus. " Possit enim usus harum Vestium eâ Superstitione, aut in gratiam Ro- " mani aut alicujus alterius Antichristi, sicut nunc in *Germania* fit, ob- " trudi, ut a piis Christi Ministris admitti ille piè nequeat: fateor etiam, " eos Magistratibus piis suum honorem imminuere, qui eorum negant " in his rebus judicio esse deferendum. Hæc ille ad Quæstiones a *Cranmero Cantuariensi* ipsi propositas.

§. Ad *Hopperi* verò contra Vestis lineæ usum Objectiones, sic respondet. " Porro dicere, has Vestes, per Antichristi abusum sic esse " contaminatas, ut nulli Ecclesiæ quantumvis aliqua Christum suum, & " rerum omnium libertatem nosset & coleret, sint permittendæ, Religio " sane mihi est, nec ullam video Scripturam, qua possim istam bonæ " Dei creaturæ condemnationem tueri. *Item*, Ritum aliquem *Aaro-* " *nicum* esse, vel Antichristianum, in nullis hæret Dei creaturis, in nulla " Veste, in nulla figura, in nullo colore, aut ullo Dei opere: Sed in ani- " mo & professione bonis Dei creatùris ad impias significationes abu- " tentium. Quæ Scriptura docet, Diabolo vel malis hominibus eam " esse factam potestatem, ut abusu suo ullam queant Dei creaturam, & " bonam etiam significando, & admonendo per se malam facere & im- " piam? Quocirca nihil potest verè dici, esse Sacerdotii *Aaronici* qua- " tenus abolitum illud est (nec enim Sanctum Ecclesiæ Ministerium " quod & præceptis de Sacerdotio *Aaronico* docetur abolitum, adhuc " illud est) nisi quod eâ Superstitione usurpetur tanquam sit etiam re- " velato Christo ad salutem necessarium, aut per se utile, aut quo occasio " detur aliqua sibi hanc Superstitionem sumendi, vel retinendi, vel con- " cordiam fratrum turbandi. Ita nec Antichristianus Ritus dici potest, " nisi quo aliqua Antichristi exhibeatur professio & communicatio, " vel tali professioni & communicationi deserviatur. Jam autem quis ne- " get Dominum, multis electorum suorum dare ut cunctas ex rebus signi- " ficationes & admonitiones præter usus naturales, sibi tantùm sumant, " & Dei beneficiorum & suorum officiorum, nec ullius rei malæ; sic " que detestentur ex animo omnia quæ a Christo sunt aliena, ut nulla " omnino eis dari possit occasio ulla ex re, in quantocunque abusu illa fu- " erit aliis, ullius Superstitionis, aut cum tenebris communicationis, aut " perturbationis fraternæ benevolentiæ? Si jam tales veri Christiani, " quorum facilè multi passim extarent, si cum pura Christi doctrina, vi- " geret etiam tota ejus Communio & Disciplina, in suis Ecclesiis judica-

"rent facturum aliquid ad Sancti Ministerii commendationem apud
" simplices homines & pueros, Ministros singulari aliquâ Veste uti in
" Ministrando, & eâ etiam, qua Papistæ sunt abusi, cur non deberem
" hujusmodi Christianos suo relinquere judicio, equidem nullam video
" scripturam docere. Cur deberem autem, non dubito clarè doceri,
" *Rom.* 14. 1 *Cor.* 8. & 9. tum multis aliis in locis, quibuscunque
" scilicet de libertate, & bono usu creaturarum, non ciborum tantùm,
" verum omnium rerum docemur. Constat etiam Dominum nostrum
" Jesum Christum substantiam tantùm Ministerii, cùm verbi tum Sa-
" cramentorum, suis verbis nobis descripsisse, & cætera omnia quæ ad
" decentem & utilem administrationem mysteriorum ejus pertinent, or-
" dinanda permisisse Ecclesiæ. Unde Sacram Cœnam nos non vesperi,
" nec in domo privatâ, nec discumbendo, nec cum Viris tantùm cele-
" bramus. Quis jam impietatis damnaret Ecclesiam, si quo puro &
" sancto suorum consensu, eum morem haberet, ut singuli etiam ad Cœ-
" nam Sacram, sicut olim recèns baptizati faciebant, Veste albâ uteren-
" tur? Nonnulli adnumerant his rebus, liberæ ordinationi Ecclesiarum
" relictis, etiam Cœnam Domini, in anno semel tantùm ter aut quater,
" vel pluries celebrare, & Cœnæ adstare, nec Sacramenta participare.
" Sed constat verè Papisticum esse utrumque. Apostolos enim & Apo-
" stolicas Ecclesias constat ex Domini instituto, singulis diebus Domini-
" cis, & quoties frequentiores fratrum cœtus habuerunt, & Sacram Cœ-
" nam celebrasse, & præsentes omnes ea participasse, *&c.* Ista itaque
" duo Domini Cœnam tam raro celebrare, & ea tam paucos communi-
" care, per se Papistica judico. Pugnant enim cùm verbo Dei. Illa
" autem de loco, de tempore, de habitu corporis, ad Sacram Cœnam vel
" celebrandam, vel sumendam, *&c.* De modo Precum atque Hymno-
" rum ad Deum, ita etiam de vestitu, & aliis rebus ad externum deco-
" rum pertinentibus, non dubito Dominum Ecclesiæ suæ liberam fecisse
" potestatem, statuendi de his rebus, & ordinandi quæ judicaverit quæ-
" libet Ecclesia apud suum populum maximè collatura ad sustinendam &
" augendam reverentiam erga omnia Domini Sacra. Si itaque aliquæ
" Ecclesiæ ex hac libertate Christi, & ad hunc finem ædificandæ plebis
" Christi, Ministros suos vellent in Sacris Ministeriis, aliquibus singu-
" laribus Vestibus uti, remotâ omni Superstitione, omni levitate, omni-
" que inter fratres dissensione, id est, abusu; Tales certè Ecclesias non
" video quis possit jure ob hanc rem condemnare ullius peccati, nedum
" communionis cum Antichristo. Eam enim libertatem, si quis con-
" tendat nulli Ecclesiæ Christi esse permittendam, oportebit sanè fateri,
" unum ex his; aut nihil omnino circa Cœnam Domini ordinandum
" Ecclesiis esse concessum, de quo non habeant Christi mandatum; quo
" pacto condemnabuntur omnes Ecclesiæ, impiæ audaciæ. Nam om-

"nes & locum & tempus & habitum corporis in Sacræ Cœnæ obser-
"vatione observant, *&c.* De quibus omnibus rebus, non solùm nul-
"lum habent Domini mandatum, sed etiam contrarium exemplum, *&c.*
"Aut fieri non posse, ut sint Ecclesiæ, quas Dominus eousque omni li-
"berat Superstitione, & abusu bonarum creaturarum suarum, ut puris per
"veram fidem in nomen ejus, sint omnes Dei bonæ creaturæ, & usu sig-
"nificationis, puræ. Quod qui dicet, is certè negabit eo ipso Christum
"Dominum esse omnibus hominibus eum, quem se promisit futurum,
"omnibus liberatorem ab omni immunditia; aut affirmabit posse im-
"pios abusu suo bonas Dei creaturas per se ita vitiare, ut nemini pio
"ad pium usum queant deservire, quod apertè adversatur testimonio
"Spiritûs Sancti, *Rom.* 14. 1 *Cor.* 8. *&* 9. 1 *Tim.* 4. Aut certè non
"licere Christianis res quaslibet disponere, & ad admonendum Creato-
"ris sui & nostri, ejusque in nos beneficiorum, atque nostrorum erga
"eum officiorum. Id quod pugnat cum eo quod Spiritus Sanctus paf-
"sim docet de agnoscendo & colendo Deo, in omnibus operibus ejus,
"& faciendo omnia in nomine Dei nostri Jesu Christi ad gloriam Pa-
"tris. Hæc omnia absurda, piis animis defugienda sunt, nec mali illud
"metuendum est, quod objici solet. Si tanta Ecclesiis libertas conce-
"ditur, ut res quaslibet adhibeant etiam ad pias significationes & admo-
"nitiones, fore, qui cunctos vel *Aaronis*, vel Antichristi Romani, vel
"Gentilium Ritus in nostra Sacra inferant. Nam Ecclesiæ quas ego
"descripsi, quibusque eam de qua ago libertatem, existimo negari non
"posse; ita quicquid vel Rituum, vel Vestium in usum suum desument,
"temperabunt, ut serviant Evangelio Domini nostri Jesu Christi illu-
"strando, non obscurando, uti apud verè Christianos omnium exter-
"norum Rituum a Domino non præceptorum expressis mandatis. Prox-
"imus finis (Rituum) est, commendatio & exornatio Ministerii
"Evangelici, per quod cuncta profligatur Superstitio, omnesque rerum
"quarumlibet abusus. Velimus, nolimus fateri nos oportet, discrimi-
"na cultuum ingerentibus munera civilia, apud homines rectè institu-
"tos, causam dare singularis erga Magistratus reverentiæ. Quid jam
"obstat, quominus idem fiat in Ministerio Religionis? Venit quidem a
"Spiritu Sancto necessariò omnis pius animi motus & verbo Dei suf-
"tentari eum necesse est. Attamen huic Spiritui, & huic verbo Dei
"apud pios nihil creaturarum adversatur, & eo minus si res publico in-
"stituto ad piam aliquam deputetur significationem atque admonitio-
"nem. Omnia namque opera sua Deus bonis in bonum & hunc mul-
"tiplicem usum suis hominibus condidit, conservat, atque si in ipso his
"utuntur, exhibet. Pensitemus quæ de significatione muliebris veli,
"& detecto capite Viri Spiritus Sanctus doceat, 1 *Cor.* 10. Cur enim de
"Angelorum lucidis Vestibus meminerit nominatim? Nihil namque fa-
"cit

"cit temerè,& cunctis salutem suorum quæ fide constat Evangelii, pro-"curat. Hæc magnus ille & nunquam satis laudatus *Bucerus.* Ad quæ quid reponit futilis Apologista? "Se quidem *Bucerum* numquam "sine honoris Præfatione nominare solere. Sed audiendum tamen de "eo *Calvinum* dicentem *Ep.* 13. tanto studio propagandi Evangelii "flagrare *Bucerum*, ut quæ præcipua sunt contentus impetrasse, inter-"dum sit æquo lenior in iis concedendis, quæ minutula quidem ipse pu-"tat, sed habent etiam suum pondus. Sed quid hoc contra lineæ Vestis usum, de quo ne nimis contenderet authorem se *Hoppero* fuisse, & illius hac in parte nimium rigorem æquè ac *Bucerum* ipsum damnasse, profitetur ipse *Calvinus* loco citato. Sed demus *Calvino* minùs probata fuisse quæ ad *Hopperum* de re Vestiaria scripsit *Bucerus*; at inde non efficitur *Bucerum* ea non scripsisse,quod unum ego affirmaveram. Idem dici debet de iis quæ ex *Beza* ad *Balduinum* citantur. Sed & addo, egregiè falli Clarissimum *Bezam*, quum ex eo quod *Cantabrigiæ* anno 1550. scribebat *Bucerus*, scilicet, *Neminem extraneum de Ritibus rogari*, concludit, *Reformationem Anglicanam ex illius consilio & voluntate non fuisse institutam.* Nam utut res se habuerit, cùm id scriberet, constat tamen ex illius ad *Cranmeri* Quæstiones jam memoratâ Responsione, ex *Censura ad librum Liturgicum* aliisquè scriptis Anglicanis, ipsum de Ritibus aliisque ad ordinem & cultum Religionis pertinentibus, sententiam rogatum,& multa ex illius mente & consilio emendata in secunda Liturgiæ Sacræ sub EDVARDO recensione; nec Ritum ullum quem non probârit,postea in Ecclesia Anglicana retentum.

Vide Buceri censuram ad libr. Liturgicum in Script. Anglic.

§. Ex *Petri Martyris* ad *Hopperum* de re Vestiaria litteris, ut ostenderem *Martyrem*, si adhuc in vivis esset, *Presbyterianis* authorem haud futurum, ut propter Vestes Ecclesiasticas in Anglia usitatas, Ministerium desererent, hæc excerpseram. "Si pergamus, *inquit*, hæc in "differentia quasi perniciosa & impia dissuadere, permultas Ecclesias ab "Evangelio non alienas damnamus, & innumeras quæ antiquitus vel "laudatissimæ celebrantur, nimis acerbè taxamus. Non me latet Ec-"clesiarum authoritatem sive præsentium, sive præteritarum non eò de-"bere valere, ut illis verbi Dei veritas prematur. Nam ea, etsi fractus "orbis illabatur, inconcussa & immota permanere debet. Sed propter "ἀδιάφορα id minimè faciendum esse contendo,vel ut damnentur,vel ut "de iis minùs honestè loquamur. Et quia te animadverto arbitrari, "hæc nequaquam esse indifferentia, jam rationes quibus hoc tibi persua-"deas, fortè utile fuerit expendere. Ideo eas, ut compendio agam, "quemadmodum tu facis, ad duo capita præcipuè redigam. Primum, "dicis *Aaronis* Sacerdotium non esse revocandum,ad quod ista Vestium "discrimina pertinere videntur. Nam cum habeamus Christum Sa-"cerdotem,Ceremoniæ *Aaronis* abrogatæ sunt,neque salvâ pietate rur-

Petr. Martyr. Epist. ad Hopperum de re Vestiariâ.

" fus accerferi. Alterum fundamentum eſt tuarum rationum ; Hæc
" Antichriſti eſſe inventa ; cumque non tantùm à Papa, ſed ab omnibus
" ejus commentis nos alienos eſſe oporteat, ejus etiam differentias & or-
" natus Miniſtrorum abjiciendos. Cum hi ſint duo tui præcipui arie-
" tes, primo loco de illis videbimus. Deinde quoque addendum erit ſi
" quid aliud præter hæc memoria ſuggerat pro tua opinione confirman-
" dâ, eſſe abs te allata. In Lege ſeu *Aaronico* Sacerdotio, fuerunt Sacra-
" menta quibus Deo placuit obſignare promiſſiones Chriſti venturi,
" quæ omnia novi uiſſe abrogata, & Chriſtum jam datum non dandum,
" credendum eſſe : Cùmque aliæ divinarum promiſſionum σφραγῖδες
" ab ipſo Domino ſub Evangelio traditæ ſint, panis inquam, vinum &
" aqua, nos antiquas notas non debemus repetere. Fuerunt nihilomi-
" nus ibi aliquæ actiones ita comparatæ, ut Sacramenta propriè dici non
" poſſint. Faciebant enim ad decorum, ad ordinem & aliquam com-
" moditatem, quæ ut lumini naturæ congrua & ad noſtram utilitatem
" conducentia, ego & revocari & retineri poſſe judico. Quis non vi-
" det Apoſtolos pro pace & convictu credentium faciliori, mandaſſe
" Gentibus ut a ſanguine & præfocato abſtinerent ? Erant citra con-
" troverſiam *Aaronica*, ſi generaliter omnia quæ in lege fuerunt, com-
" plecti volueris. Decimas quoque hodie in infinitis locis inſtitutas
" eſſe ad alendos Miniſtros Eccleſiæ, nemo noſtrûm ignorat. Pſalmos
" & Hymnos cani in Sacris cœtibus non facilè monſtrabis ex litteris
" Novi Teſtamenti, quod in vetere fuiſſe factum manifeſtiſſimè conſtat.
" Mitto quòd *Ambroſius* dum interpretatur Epiſtolam ad *Corinthios* Pri-
" orem *cap.* 14. apertiſſimè dicit morem a *Paulo* ibi traditum Prophe-
" tandi, à Synagogis deſumptum, in noſtras Eccleſias fuiſſe transfuſum.
" Ad hæc, ſi diligentius inſpicerem atque conſiderarem, quod tempus
" minimè patitur, non pauca poſſem invenire, quæ noſtra Eccleſia, ex
" *Moſaicis* decretis mutuata ſit, idque jam inde a primis uſque tem-
" poribus. Utque hoc non omittam, dies habemus Feſtos in memori-
" am Dominicæ Reſurrectionis, Nativitatis, Pentecoſtes, & mortis
" Chriſti. Num omnia iſta erunt abolenda, quia ſunt veſtigia Legis
" antiquæ ? Ex his omnibus jam arbitror te videre non ita omnia Sa-
" cerdotii *Aaronici* ſic eſſe abolita, ut nihil eorum retineri & uſurpari
" poſſit. Neque mihi ſtatim dixeris, aperietur jam feneſtra omnibus
" abuſibus, aquæ luſtrali, ſuffitui atque aliis infinitis id genus ; quia re-
" ſpondebunt Adverſarii, modum in his quæ revocant & retinent, eſſe
" conſtituendum, ut non oneretur cœtus fidelium hoc rerum genere, ne-
" que ibi cultus aut vis Religionis collocetur, ut in aqua luſtrali & ſuffi-
" tu factum vidimus. Denique Chriſtiana libertas cavendum ne peri-
" clitetur, ut & ſi qua reſtituta fuerint, non ita reponantur quaſi neceſſa-
" ria ſint ad ſalutem conſequendam. Sed ita oportet quæ ſunt hu-

" juſmodi

"jusmodi tolerare; ut quando visa fuerint minùs utilia, seponantur; ut "jam sum testatus mihi videri de hoc Vestium discrimine hodie agen-"dum. Illud enim reverà sepositum voluissem. Verum quando non "successit, quoad meliora dentur, ferre statui. Utinam Ecclesiæ quæ "sunt in *Germania*, hoc uno dispendio suam libertatem redimere pos-"sent, licet omnibus modis optem ut nihil superfluum illis obtrudatur. "Sed jam aliud argumentum expendamus, quo videbatur non licere ha-"rum Vestium usum, quod a Papæ tyrannide fuerint inventæ. Hic ego "non video quomodo firmiter statuatur, nihil nos usurpare posse quod "in Papatu sit consuetum fieri. Cavendum profecto est, ne Christi "Ecclesiam nimià servitute premamus, ut nihil usurpare valeat quod "Papæ fuerit. Certè Majores nostri receperunt Idolorum templa, & con-"verterunt in Sacras domos in quibus Christus coloretur; atque Reditus "consecratos Diis gentium, ludis Theatri, & virginibus Vestalibus tulerunt "ad alendos Ministros Ecclesiæ, cùm hæc prius non modo Antichristo, "sed Diabolo inservierint. Quin & carmina Poetarum quæ dicata "fuerant Musis atque diversis Diis, vel fabulis agendis in Theatro, ad "Deos placandos, quando commoda & pulchra veraque fuerint, Eccle-"siastici scriptores usurpant, atque exemplo id Apostoli, qui Menan-"drum, Aratum, Epimenidem citare non est dedignatus. Atque in ip-"sa divina scriptura quam tradebat, & ea verba, quæ alioquin prophana "erant, divino cultui adaptavit. Nisi forte dicere velis minùs ad cultum "Dei facere verba illius descripta in Sacris litteris, quàm verba visibilia "quæ in Sacramentis versantur. Quis præterea non intelligit vinum "consecratum fuisse *Baccho*, Panem *Cereri*, aquam *Neptuno*, oleam "*Minervæ*, litteras *Mercurio*, cantum Musis & *Apollini*, & alia per-"multa hujus generis invenire poteris apud *Tertullianum* de corona "Militis, ubi versatur fere in hoc eodem argumento, quibus tamen om-"nibus nos uti liberè non veremur tam in Sacris quam in Prophanis usi-"bus, tametsi vel Dæmonibus, vel Idolis dedicata fuerint. Neque sta-"tim concedo has indumentorum diversitates a Papa suum ortum ha-"buisse, quandoquidem legimus in Historia Ecclesiastica *Johannem* "Apostolum *Ephesi* gestasse Petalum seu laminam Pontificalem. Et "de *Cypriano* Martyre testatur *Pontius* Diaconus, quod cùm esset "mox capite plectendus, *Birrum* dederit carnificibus, *Dalmaticam* "Vestem Diaconis, & steterit in lineis. Præterea Vestis candidæ Mi-"nistrorum Ecclesiæ *Chrysostomus* facit mentionem. Atque Christia-"nos cùm ad Christum accessissent, Veteres testantur mutasse Vestem "& pro toga Pallium induisse. De quo cùm rideretur ab Ethnicis "*Tertullianus*, libellum eruditissimum scripsit de Pallio. Neque te la-"tere puto illis qui Baptismo initiabantur, traditam albam Vestem. Ap-"paret itaque priusquam esset Papæ tyrannis, discrimina nonnulla Vesti-

"um

" um fuisse in Ecclesia. Verùm esto, fac ita esse a Papa inventa, non mi-
" hi persuadeo Papatûs impietatem esse tantam, ut quicquid attingit
" omnino reddat contaminatum & pollutum, quo bonis & piis usui san-
" cto non possit concedi. Jam existimo te intelligere quid ego vel de
" *Mosaicis* Ritibus vel de Papisticis sentiam, aut revocandis, aut reti-
" nendis. Quare his ita breviter annotatis de duobus præcipuis capi-
" tibus tuarum rationum, nunc ad id venio, quod ipse quoque fateris,
" omnia humana inventa non illico damnanda esse, alioquin humanum
" inventum est, ut manè potius quam a prandio communicemus; Et
" humanum inventum fuit, ut pretia rerum divenditarum in Primitiva
" Ecclesia ponerentur ad pedes Apostolorum. Fatebor una tecum
" Vestes illas humanum inventum esse & per sese non ædificare; sed à
" nonnullis putabitur conducere, ut ad tempus ferantur. Nam id for-
" tassis efficiet ut evitentur istæ contentiones quibus majores fructus ac
" uberiores commoditates, periculum est, ne impediantur, ac ne ut fieri
" videmus, statim ab Evangelio animi hominum avertantur. Mitto
" quòd illi qui hæc defendunt, prætexere poterunt aliquam honestam
" justamque significationem à Scripturis non alienam. Ministri Ec-
" clesiæ sunt Angeli & nuntii Dei, ut *Malachias* testatur; Et Angeli
" semper fere albis apparuerunt Vestibus induti. Quomodo privabi-
" mus Ecclesiam hac libertate ut non possit suis actionibus & ritibus
" aliquid significare, modo id fiat ibi non statuendo cultum Dei, mo-
" destè atque paucis, ut populus Christi Ceremoniis non oneretur & ne
" meliora impediantur. Dicas præstent se Angelos, non id significent.
" Audio. At idem potuisset *Paulo* responderi, quando statuebat ad
" *Corinthios*, ut mulier esset operto capite, & Vir aperto. Rationem
" quippe significationis tantùm urget. Nam quispiam illi ex Ecclesia
" *Corinthia* respondere potuisset; præstet se Vir caput mulieris & mu-
" lier subjectam Viro se factis & vitâ demonstret, non id signis decla-
" rare contendant. At vidit Apostolus & hoc utiliter fieri, ut non
" tantùm rectè vivamus, sed etiam verbis & signis de officio admonea-
" mur. Quòd si datur hinc infirmis occasio errandi, moneantur ut hæc
" indifferentia credant; Concionibus doceantur ut cultum Dei in iis po-
" situm non judicent. An autem oculi adstantium propter Vestium
" discrimen avertantur a rebus seriis cogitandis, non ab omnibus fortè
" judicabitur verum. Primum enim respondere poterunt Adversarii, id
" non eventurum si absque luxu & admodum simplices, atque in hac is
" hactenus usitatæ, fuerint illæ Vestes, quas adhibebunt. Nam usus &
" utilitas admirationem auferunt. Quin & fortasse respondebunt veri-
" simile esse, ut illâ permoti admiratione quæ seria sunt, magis attentè
" cogitent, ad quem finem Sacramentorum symbola videntur esse re-
" perta, ut vel ex ipso aspectu ac sensu ad cogitandum de divinis rapia-
" mur.

" mur. Neque illico tyrannidem induci arbitror, si quid Ecclesia in-
" differens suscipiat agendum & à multis constanter servetur. Hodie
" sic administramus Eucharistiam tempore matutino, ut à prandio noli-
" mus in Sacro cœtu synaxin habere. At quis dicet hoc esse tyranni-
" cum quod voluntate atque consensu pari omnes facimus? Mihi sanè
" ut sæpius jam commemoravi, magis placeret, ut solùm quæ Christus
" gessit & Apostolis tradidit, ageremus. Verùm si aliqua indifferentia
" sunt adjecta, non hac de causa, nunc velim acrius contendere; præ-
" sertim cùm videamus eos per quos Evangelii lux multùm promota est
" in Anglia, & adhuc magis promoveri potest, se nobis opponere. Ag-
" nosco quidem tecum, omne quod non est ex fide, peccatum esse. Ve-
" rùm ut in actionibus tranquillam conscientiam habeamus, id potissi-
" mum facere videtur, quod in Apostolo scriptum est ad *Titum*, omnia
" munda mundis; Et ad *Timotheum*, omnis creatura Dei bona est.
" Non autem requiritur necessariò ut in Sacris litteris expressam menti-
" onem exhibeamus singularum rerum quas usurpamus. Id satis est in
" universum fide cognoscere, indifferentia non posse illos qui purâ sin-
" cerâque agunt mente atque conscientiâ, contaminare. Hæc *Martyr*
ad *Hopperum*, ut Viro bono scrupulos eximeret, quibus a Vestium
Ecclesiasticarum in Ecclesiâ Anglicana consuetarum usu deterre-
batur.

§. Verùm ea omnia, & quod ex iis collegerant, se bellè refutasse pu-
tat Apologista, quod dixerit, *Petrum Martyrem affectu præpostero po-
tius quàm solidâ aliquâ ratione ductum, ejus fuisse* Hoppero *authorem
consilii, ut* Superpelliceum *potius indueret, quam Ministerium desereret.*
An non hic dignus est qui pro *Ejectis in Anglia Ministris, vulgò Non-
conformistis* Apologiam scribat? Dignum scilicet patellâ operculum.
Addit deinde *Martyrem in eadem Epistola haud dissimulare, sibi Ritum
illum minus probari.* Sed ideo majoris ponderis esse debet illius consi-
lium (præsertim tot solidis rationibus firmatum) cùm licet Vestes de
quibus agitur, ipsi minus arriderent, ut sunt diversa de coloribus, homi-
num judicia, earum tamen usum legitimum esse non neget; imo ut ta-
lem argumentis non solvendis defendat. Quod ait, *postea*, Martyrem
judicium non retractasse, cùm regnante Elizabetha *de hisce Vestibus
controversia redintegraretur*, frustra est. Nobis enim sufficit si in ea-
dem sententia, quam sub EDVARDO profitebatur; nempe *Vestes illas
neque* Aaronicas, *neque Papisticas esse, neque Papistarum abusu ita con-
taminatas ac pollutas, ut iis Viri pii bonâ conscientiâ uti nequeant; sed
res esse prorsus naturâ suâ indifferentes quibus Deus Ecclesiæ suæ liberam
fecit potestatem utendi vel non utendi, & eas ad pias significationes etiam
adhibendi*, nobis inquam sufficit si in hac sententia permanserit. Nec
si ab ea abiverit, nobis quicquam officiat, cùm tot invictis argumentis,
quæ

quæ semper a nobis stabunt, eam firmaverit. In ea autem permansisse, hæc quæ habentur in posteriore ad amicum quam Apologista allegavit Epistolâ, sed quæ homo malæ fidei supprimit, ostendunt; *Cùm tamen cogito*, &c. (huc usque Apologista cæteris cum suo, *&c.* suppressis) *si inter Saxonas & nostras Ecclesias quoad dogmata pax obtineri posset, propter hujusmodi Vestes haudquaquam separationem futuram.* Quod autem aliâ Epistolâ anno 1559. ad eumdem datâ, *Sacris Vestibus* (quas speciem Missæ referre ait, quasque *meras Papatûs reliquias* vocat) *minimè utendum cum* Bullingero *censere*, id nihil ad *Superpelliceum*, quod Papisticum indumentum non esse ipse *Martyr* supra demonstravit, quodque speciem Missæ referre dici nequit, cùm nullus sit illius usus in Missa celebranda, nec inter Sacerdotalia indumenta a Pontificiis numeretur. Quid sibi volunt igitur ista *Martyris de Vestibus ut Sacris in Ministerio non adhibendis, cùm speciem Missæ referant, & sint meræ Papatûs reliquiæ?* Facilè tolletur difficultas, si datæ Epistolæ annus spectetur. Scilicet is fuit initii ab *Elizabetha* Regni primus, cùm indumentorum Sacerdotalium usus in *Anglia* adhuc obtineret, & omnia fere *Romano* Ritu celebrarentur, quumque Vestes Ecclesiasticæ ad eam paucitatem atque simplicitatem, quæ sub Edvardo fuerant, ac deinceps fuerunt, nondum reformatæ essent. Sed hoc aut ignoravit aut dissimulavit Apologista ad fucum incautis Lectoribus faciendum.

Vide *Camdeni Elizabeth. ad Ann.* 1559.

Apol. p. 76. §. Martyrem excipit *Johannes a Lasco. Is* Edvardo *Regi Epistolam conscripsit bene longam, quam tamen*, inquit Apologista, *integram transcribere in gratiam* Durelli *mei non gravabor.* Gratiam habet tibi *Durellus* tuus, quam ut referat (si *Buceri*, *Martyrisque* ad *Hopperum*, de eodem argumento, productis Epistolis, tibi jam retulisse non videatur) paucis respondet; scilicet *scuticâ te dignum & illum*, quibus adeo futile argumentum contra Vestium albarum usum, nullâ Regis maximi, nullâ Lectorum patientiæ ratione habitâ, tam insulsâ prolixitate prosequi pudor non fuit. Huc enim redit grandis illius Epistolæ summa, *non utendum indumento albo, quia eo usa est meretrix* Romana; quod jam à Viris clarissimis *Bucero* & *Martyre* solidè refutatum, explosumque vidimus.

Apol. p. 79. §. Sequuntur *Zanchii ad* Elizabetham *Reginam scripta litteræ; quæ argumentis contra Vestem lineam refertæ sunt*, inquit Apologista, *quibus Episcopi Anglicani numquam erunt respondendo.* Bene est igitur Episcopis Anglicanis quibus, cùm respondendo non sint, *Calvinus*, *Bucerus*, *Martyr*, *Beza*, *Zanchius* ipse præsto sunt, parati pro ipsis respondere. Nam ad ea omnia quæ in *Zanchianis* litteris contra lineæ Vestis usum objectantur, Viri celeberrimi jam diu responderunt: ut de responsione nihil opus sit Episcopos Anglicanos multùm laborare.

Itaque

Itaque argumenta illa, quæ Apologiſtæ inſolubilia videntur, hic proponam, ſubjectis ſolummodo Virorum Clariſſimorum ad ſingula ſingulis Reſponſionibus. Deinde quid in cognitione facti Præſtantiſſimus *Zanchius* erraverit, aperiam. Ea denique apponam, quæ in *Tractatu Anglicano* ad eam *Zanchii* Epiſtolam annotaveram, ob quæ ad Anticyras, modeſto Apologiſtæ, *ac ſecundum Chriſtum qui mitis eſt & pacatus, diſputanti*, amandandus videor. Ejuſmodi ſanè eſt illa Clariſſimi *Zanchii* de re Veſtiaria ad Sereniſſimam *Elizabetham* Epiſtola, ut invitâ Minervâ ſcriptam, neque *Zanchio* dignam meritò dicat, quiſquis eam animo partium ſtudiis vacuo, perlegerit. Quippe quæ à modeſtiſſimo, æquiſſimo, ſolidiſſimoque *Zanchii* ingenio planè abhorreat, & crebra rerum earumdem repetitione Lectori faſtidium ubique creet; à quibus vitiis quàm longiſſimè abſunt alia magni Viri ſcripta. Scilicet, Cauſidicum agebat, & quæ a clientibus ſuggerebantur, ea ſingula in cauſæ ſubſidium adducere placuit. Ea autem hæc ſunt.

Object. I. *Veſtes lineæ Papiſticam Superſtitionem redolent; ab Antichriſto ſunt inventæ; Antichriſti ſunt ornamenta; Veſtes ſunt Meretricis Romanæ, quæ iis abuſa eſt in cultu Idololatrico, & ad tegendas ſuas ſcortationes; ſunt impiorum Sacrificorum Veſtes; Excogitatæ ſunt ad homines ad ſpiritualem ſcortationem alliciendos. Nihil autem negotii nobis eſſe debet cum Papiſtis ad Religionem quod attinet.*

Reſp. Ne quis putet me adeo auſterum eſſe, aut præciſi rigoris, ut velim in totum interdicere homini Chriſtiano, ſine ulla exceptione, ne ſe Papiſtis ullâ Ceremoniâ aut obſervatione accommodet. Neque enim mihi quicquam damnare propoſitum niſi planè malum & palam vitioſum. *Calvinus de vitandis Superſtitionibus. Opuſcul. p. 609.* Eſt autem Veſtis linea, res libera, & inter Adiaphora connumeratur, inquit *Zanchius lib. 1. de Cultu Dei externo p. mihi 486.* Vide ſuprà *Bucerum & Martyrem* multis Scripturæ locis & argumentis probantes, Veſtes albas, neque impias, neque Antichriſtianas, neque Papiſtarum, aut ullorum quorumcumque abuſu ita contaminatas, ut non liberum ſit piis Chriſti Miniſtris etiamnum iis uti ad decorum & piam ſignificationem, ſi ſic Eccleſiæ Reipublicæque Moderatoribus videatur.

Certè vetuſta fuit conſuetudo in Eccleſia, ut Sacramenta adminiſtraturi, Veſte lineâ induerentur. Unde *Hieronymus* contra Pelagium lib. 1. *Quæ ſunt, rogo, inimicitiæ contra Deum, ſi Epiſcopus, Presbyter, Diaconus & reliquus ordo Eccleſiaſticus in adminiſtra-*

tione Sacrificiorum, candidâ Veste processerint. Zanch. *loco citato.*

Vestes lineæ ab hominibus piis & ad ædificationem, ordinem & decorum sunt institutæ. *Zanchius in hac ipsa ad* Elizabetham *Epistolâ.* Ergo non sunt ab Antichristo aut impiis Sacrificis ad spiritualem scortationem inventæ.

Object. II. *Sunt* Aaronica *atque Levitica Vestimenta; Hæc autem abolita post Christi mortem. Item Ceremoniæ Legis, Regno Christi patefacto, locum habere non debent.*

Resp. Bucerus atque *Martyr* hoc gratis dici probarunt suprà.

Object. III. *Apostoli iis Vestimentis usi non sunt. Incognitæ fuerunt Vestes illæ temporibus Apostolorum & Apostolicorum Virorum. Est autem Ecclesia sicut in Doctrina, sic etiam in Ceremoniis & in Vestimentis ad Ecclesiæ Apostolicæ regulam informanda.*

Resp. Quòd necessariæ sint in Ecclesia Traditiones præter legem Dei, tum propter decorum, tum propter ordinem in Ecclesia servandum. *Zanch. Tom. 7. in Com. Præcip. Cap. Christianæ Relig. loco 16.* De re Vestiaria magna hoc tempore orta fuit Quæstio, debeatne Minister cùm ad Sacramentorum administrationem accedit, uti solitis suis Vestimentis; an verò peculiaribus, putà lineâ Veste quam vocant *Superpelliceam* Vestem. Certè neque Christum, neque Apostolos legimus hac de re quicquam statuisse; imo neque Vestem mutasse, cùm vel baptizabant, vel Cœnam administrabant: Sed neque vetuerunt, ne quispiam alia sumat. Liberum est igitur per se uti vel non uti aliis Vestibus. *Zanch. lib. 1. de Cultu Dei externo, ubi suprà.*

In externa Disciplina & Ceremoniis Dominus non voluit sigillatim præscribere quid sequi debeamus, idque quia istud pendere à temporum conditione provideret, neque unam Sæculis omnibus formam convenire; ideo confugere hìc oportet ad regulas quas dedit generales, ut ad eas exigantur quæcunque ad ordinem & decorum præcipi necessitas Ecclesiæ postulabit. Nihil expressum tradidit Deus circa has traditiones, quoniam nec ad salutem necessaria hæc sunt, & pro moribus cujuscunque Gentis ac Sæculi variè accommodari debent ad Ecclesiæ ædificationem. *Zanch. Tom. 7. de Traditionibus Ecclesiasticis, loco 17. pagina mihi* 823. Quæ omnia *Zanchius* ut sua, ex *Calvini* Institutione transcripsit.

Object. IV.

Object. IV. *Vestes albæ & lineæ, neque ad ordinem, neque ad decorum & ornatum faciunt.*

Resp. Etsi res libera est, tamen propter significationem magis deceret Vestis linea quàm lanea Ministrum in Sacramentorum administratione, quòd ea sit symbolum innocentiæ & sanctitatis; unde in *Apocalypsi* sanctis dantur stolæ albæ. *Zanch. lib.* 1. *de Cultu Dei externo pag.* 486.

Proximus finis (Vestium Ecclesiasticarum) est commendatio & exornatio Ministerii Evangelici, per quod cuncta profligatur Superstitio, omnesque rerum quarumlibet abusus. Velimus, nolimus, fateri nos oportet discrimina Cultuum in gerentibus munera civilia apud homines rectè institutos, causam dare singularis erga Magistratus reverentiæ? Quid jam obstat, quominus idem fiat in Ministerio Religionis. *Bucerus in Epistola ad* Hopperum.

Object. V. *Certum est, istâ de Vestibus lege pios quosque omnes offensum iri, impios gavisuros, & plura inde speraturos.*

Resp. Num lege, qua rei mediæ ac liberæ maximèque decentis, vel *Zanchio* judice, injungitur? Unde vero istud certum est? Num ipsa Serenissima Regina, num Universi Regni Ordines, num omnes *Angliæ* Episcopi, à quibus lex ista de Vestibus sancita est, eâdem offensi sunt? Hos enim ex piorum censu eximi haud patietur modestissimi *Zanchii* æquitas. Quid verò impii, si per impios, Pontificios intelligat, sperare poterunt ex lege, qua universum Choragium Missaticum extra Ecclesiam ejicitur, & Vestium simplicissimarum utut decentium ac honestarum, usus, restituitur, valde Lynceum esse oportet, qui videat. Certè testatur *Petrus Martyr* Viros eos qui Vestium albarum usum in Ecclesia Anglicana retinendum censuerunt, pietate ac doctrina præstitisse, & *Evangelii lucem in Anglia multùm promovisse*; unde concludit, *Viros pios de rebus istis utpote indifferentibus, non debere acrius contendere.*

In Epistola ad *Hopperum* circa finem.

Object. VI. *Inde occasionem arrepturi sunt Monachi suos in sua impia Religione confirmandi & dicendi; Regina* Angliæ *doctissima, prudentissima, paulatim incipit ad S. R. Ecclesiæ redire Religionem, resumptis jam Sacratissimis Clericorum Vestibus: Sperandum est fore, ut reliqua etiam omnia S. R. E. Dogmata, Ritus, Sacramenta tandem aliquando postliminio revocet.*

Resp. Quasi verò, habitus quod aiunt, faciat Monachum; quasi quid

novum circa Vestes Ecclesiasticas statuerit, & Ecclesiæ Anglicanæ Reformatores, qui omnibus Ecclesiæ Romanæ impiis Dogmatibus atque Superstitiolis Ritibus nuncium remiserunt, Vestium discrimen ab initio retinendum non censuerint; quasi *Superpelliceum* quod inter indumenta Sacerdotalia ne quidem numeratur apud Pontificios, Vestis adeo Sancta habeatur; quasi denique insanientium Monachorum vesanam procacitatem sanus quis respiciat, aut debeat curare.

Object. VII. *Quæ Dei non sunt, sed eorum qui cultum Dei contaminarunt, prorsus abjicienda; id quod & Dominus fieri jussit, quum mandavit ut eorum qui suaserunt, ut post Deos alienos iremus, omnia funditùs perderentur, & vestimenta totaque supellex igne cremarentur, idque in medio foro. Nam Seductoris Romani pars est Vestis linea. Non adhærebit, inquit, de illo anathemate, quicquam in manu tua,* &c. *Item. Serpens æneus à Deo institutus, sublatus est propter abusum, ergo.*

Resp. Primò, Vestium linearum usum liberum esse, à Viris piis institutum, & ante contaminatum Pontificiorum Superstitionibus cultum Dei, in Ecclesia obtinuisse, locis citatis agnoscit Clarissimus *Zanchius.* Secundò, Vestis lineæ in Ecclesia Christiana abusum, qualis olim ænei Serpentis in Judaica, nullum demonstravit. Tertiò, Cùm Vir Doctissimus, eorum sententiam qui Templa Idolorum ob pollutionem censent funditùs evertenda, similibus argumentis ac Scripturæ locis firmatam sibi aliter sentienti objecisset, eam his verbis refutavit, quæ in ipsum sic facilè possunt retorqueri. Nullibi in Scriptis Apostolicis video prohiberi Christianis ullum locum (*ullam Vestem*) quin ibi (*eâ indutos*) liceat Deum invocare & colere. Nam quod affertur mandatum ex Numeror. 33. illud ad populum Principesque Christianos non pertinet, sed ad solos Judæos, ut omnes cibi quovis tempore, & loco liciti sunt Christiano, modò sumantur cum gratiarum actione, quia Domini est terra & plenitudo ejus; sic etiam omnia loca (*Vestimenta*) & Templa Idolorum (*Vestimenta Pontificiorum*) permittuntur Christianis (*Reformatis*) ut ibi (*iis induti*) possint verum Deum colere: modò, ut dixi, tollantur inde omnia quæ pugnant cum lege Dei. Quicquid in mundo est, eo nobis uti licet ad Dei gloriam, & ad utilitatem Ecclesiæ. Sunt enim omnia huc ordinata, etiam quæ sunt mala. Quanto magis quæ suâ naturâ mala non sunt, sed Adiaphora, *Zanch. in quartum Præceptum lib. 1. pag. 710.*

Object. VIII. *Turbabuntur piorum fidelium Conscientiæ, si esca scandalizat*

scandalizat fratrem, &c. *non autem scandalizandi infirmi propter Adiaphora.*

Resp. Scandala sunt quævis offendicula, in quæ, qui ambulant in tenebris, subinde impingere & lædi solent; ac proinde quæ tum totam viam iniquam & molestam reddunt, tum ne viator susceptam profectionem expeditè atque feliciter perficere possit, impediunt. Nihil est, quod propriè nos, ac proinde totam vitæ nostræ rationem iniquam & molestam reddat; quod denique, ne expeditè, inoffensè & feliciter susceptum nobis ad Cœlum iter perficiamus, impediat, nisi mandatorum Dei transgressiones. *Zanchius in S. Johan.* 1 *Epistol. c.*2. *v.*10. *pag.*116. Nulla autem in usu rei mediæ ac liberæ, à Deo nec præscriptæ nec vetitæ, qualis linea Vestis (vel *Zanchio* teste) mandatorum Dei transgressio, ac proinde nec scandalum ullum. Vide supra quæ nos ad idem argumentum reposuimus.

Object. IX. *Vestes illæ, cùm necessariæ non sint, nec ut necessariæ proponantur, Ecclesiis liberæ relinquendæ sunt: Jubendo autem aut cogendo ex liberis facimus necessarias.*

Resp. Cùm in hominum moribus tanta insit diversitas, tanta in animis varietas, tanta in judiciis ingeniisque pugna, neque Politia ulla satis firma est, nisi certis legibus constituta, *nec sine stata quadam forma servari Ritus quisquam potest*, huc quæ conducunt leges, nempe ad ordinem & decorum, tantùm abest ut damnem, ut iis ablatis dissolvi suis nervis Ecclesias totasque deformari ac dissipari contendam. Neque enim haberi potest quod *Paulus* exigit, ut decenter omnia & secundum ordinem fiant, nisi additis observationibus tanquam vinculis quibus ordo ipse & decorum consistat. *Zanchius de Traditionib. Ecclesiast. loco* 16. *pag.* 821. *ex Calvini Instit. lib.* 4. *c.* 10. *n.* 27.

Quantarum rixarum semen, futura est earum rerum (*mediarum scilicet & ad ordinem & decorum facientium*) confusio, si prout cuique libitum sit, mutare liceat, quæ ad communem statum pertinent, quando numquam futurum est, ut omnibus idem placeat, si res velut in medio positæ, singulorum arbitrio relictæ fuerint. Quod si quis obstrepat, & plus sapere ille velit quàm oportet, viderit ipse qua morositatem suam ratione, Domino approbet (1 *Cor.* 11.) *Nos talem consuetudinem contendendi non habemus, neque Ecclesia Dei. Idem ibidem ex eodem* Calvini *loco.*

Non negamus quin unitas in ipsis etiam Ceremoniis & Ritibus cujusque Ecclesiæ, quoad ejus fieri per conscientiam potest, retinenda atque

que colenda. Duo enim rerum genera sunt, in quibus unitas Ecclesiæ esse potest, quæ in verbo Dei traditæ sunt, & quæ verbo non sunt expressæ, quales sunt externi multi Ritus & Ceremoniæ Ecclesiasticæ. In illis unitatem ubique & semper necessariam esse credimus; in his autem, etsi non est per se necessaria, sed pro diversitate locorum, & pro diversa temporis ratione, utile est habere diversos Ritus: ubi tamen certi aliquid de hisce rebus ad ædificationem Ecclesiæ institutum est atque receptum, ibi unitatem quoque in hujusmodi Ritibus cuique retinendam esse & ordines Ecclesiasticos non esse turbandos, sentimus, juxta regulam Apostoli, *Omnia decenter*, &c. *Zanch. de Ecclesia Militante, pag.* 539.

Rerum mediarum usus legitimè coercetur, tum in genere, tum in specie, in genere per Legem Charitatis, *&c.* in specie, ex constitutione vel Politica, vel Ecclesiastica. Etsi enim Conscientias propriè solus Deus ligat, tamen quatenus vel Magistratus, qui Minister Dei est, judicat interesse Reipublicæ ut quippiam alioqui per se licitum non fiat: vel Ecclesia ordinis & decori adeoque ædificationis rationem habens, leges aliquas de rebus mediis ritè condit, ejusmodi Leges piis omnino sunt observandæ & eatenus Conscientias ligant, ut nemo sciens & prudens rebellandi animo, possit absque peccato vel facere quæ ita prohibentur, vel omittere quæ sic præcipiuntur. *Beza Epistol.* 24. *ad Peregrinar. in* Anglia *Ecclesiar. Fratres.*

Object. X. *Pleraque omnes Ecclesiæ Reformatæ, Vestes illas abominantur, etsi paucæ sunt quæ Vestes illas retinent.*

Resp. Ecclesias Reformatas quæ albis Vestibus non utantur, quasdam; quæ eas abominentur, nullas novimus. Rebus enim mediis, adeoque usûs liberi, ab iis omnibus Vestes albas annumerari vulgò notum est. Nec hìc prætereundum est, Ecclesias Reformatas *Poloniæ*, *Lithuaniæ Borussiæ*, *Moraviæ*, *Silesiæ*, tam quæ Helveticam quàm quæ Fratrum Bohemorum Confessionem sequuntur, *Superpelliceum* adeo non abominari, etiam si illius usum non retinuerint, ut si quando earum Ministri conciones habeant in *Augustanæ* Confessionis Ecclesiis (quod subinde fieri norunt qui earum Ecclesiarum statum non ignorant) illud absque ullo scrupulo induant, & verò induere teneantur juxta Consensum *Sandomiriensem*, quo expressè cautum est, ne propter Ceremonias sese invicem lacessant, sed cùm sint res liberæ observationis, earum Ecclesiarum Ritus usurpent, in quibus, seu ad Synodos celebrandas, seu aliis de causis fortè adfuerint. Ad Ecclesiarum autem Reformatarum numerum quæ Vestem albam retinuerunt, quod attinet, si eas cum Ecclesiis à quibus illius usus exulat, conferas, his illas nec numero pauciores, nec aliis

Vide *consensum Sandomir. in Syntagmate Confess. Edit. Genev. ann.* 1654.

aliis rebus inferiores reperias. Nam Vestes lineas in inclytis *Angliæ, Hiberniæ, Sueciæ, Daniæ, Norvegiæ* Regnis, & in Ecclesiarum Reformatarum *Germaniæ* parte longè maximâ tunc usurpatas constat, in iisque etiamnum publicè usurpari videmus. Ut *Zanchium* hic Virum gravem, doctum, verique custodem & æqui, in *Zanchio* jure desideres. Atque hæc ea sunt contra Vestem lineam argumenta quæ futili Apologistæ insolubilia videntur. Nam quod ait Clariss. *Zanchius* in eadem Epistola, si Vestis lineæ usus apud *Anglos* retineatur, *Multis extra* Angliam *datum iri occasionem novas in Ecclesia excitandi rixas, foreque ut scribantur & spargantur libelli per totam* Germaniam *de rebus Adiaphoris*, eum vanum metum fuisse eventus comprobavit. Neque id futurum verisimile fuit, cùm in externis Ritibus, quicquid magis expedire unicuique Ecclesiæ videbitur, id constituendi liberam potestatem sibi invicem concedant omnes per Europam Ecclesiæ Reformatæ, nec aliæ alias ob Rituum diversitatem damnare soleant.

§. Quid porro in cognitione facti (ut loquuntur) Vir magnus erraverit, ex his patet quæ in eadem ad *Elizabetham* Epistola inculcantur, videlicet. 1. *Non esse pios Episcopos ad Vestium albarum usum Conscientiis reclamantibus cogendos.* 2. *Non esse pios cum impiis Episcopis confundendos; cum etiam Vestimentis ut alteri ab alteris, discernantur, aquum sit.* 3. *Novitatem omnem, præsertim in Religione esse vitandam, ne turbetur Ecclesia pax.* 4. *Ecclesia pacem propter Adiaphora turbandam non esse.* Ex his patet, inquam, Viro magno Puritanorum artibus persuasum, Primò, Ipsos Ecclesiæ Anglicanæ Episcopos eâ tempestate, anno sc. 1572. Episcopalem ornatum ita fuisse aversatos, ut se paratos Episcopatus suos deserere, potius quàm illum induerent (nempe reclamantibus Conscientiis) profiterentur; unde futuram in Ecclesia horrendam dissipationem haud immeritò metuebat. Secundò, Episcopalem ornatum eumdem esse in Ecclesia Anglicana, qui in Romana. Tertiò, Lineas Vestes non usurpatas ante illud tempus in Ecclesia Anglicana. 4. Eos Ecclesiæ pacem turbasse qui novarum illarum & in Reformata Ecclesia Anglicana antea inauditarum, Vestium albarum usum invehere voluerunt. Contrà verò 1. Ne fando quidem auditum est, illius temporis Episcopos adeo desipuisse, ut eis simplicem modestumque illum ornatum, quem capite præcedente descripsimus, usurpare Religio fuerit. 2. Ornatus ille alius planè est ab eo quo utuntur Ecclesiæ Romanæ Episcopi, prout ibidem observatum est. 3. Vestium albarum usus in Sacrorum administratione, à primis Ecclesiæ Anglicanæ sub EDVARDO sexto Reformatoribus *Cranmero*, *Ridleio*, &c. Beatis Christi Confessoribus & Martyribus, retentus & institutus ex totius Regni Ordinum Decreto Regiâ authoritate firmato, & à Clero Refor-

mato

mato exinde semper observatus, & ab *Elizabetha* postquam Regnum adepta est, hoc est, plus decem annis antequam *Zanchius* scriberet, Ecclesiæ Anglicanæ, eodem Clero approbante, restitutus est. Unde liquet quartò, eos novitatem affectasse & Ecclesiæ pacem turbasse, idque, vel Clariss. *Zanchio* judice, propter rem à Domino nec præscriptam, nec vetitam, adeoque indifferentem ac liberam, non qui Vestibus illis juxta Superiorum mandatum utebantur, sed qui præfractè illarum usum respuebant.

§. Superest, ut quæ ad prolixas illas *Zanchii* ad Serenissimam *Elizabetham* datas litteras in Tractatu Anglicano à me annotata sunt, quibus ostenderem Viro Præstantissimo numquam in mentem venisse, quod munus & Ecclesias suas potius deserere debeant Christi Ministri, quam *Superpelliceum* induere, hìc subjiciam. Hæc autem ea sunt. Primò non modò Clarissimo *Zanchio*, cæterisque *Heidelbergensibus* Theologis, sed & ipsi Serenissimo *Electori Palatino* à Puritanis impositum, cum ipsis renunciarunt fuisse tum in *Anglia* non Ministros modò sed etiam Episcopos plurimos qui Vestium albarum usum adeo horrerent, ut mallent non Episcopari quàm illas, jussi licet à Superioribus, usurpare. Unde magnam Ecclesiæ Anglicanæ perturbationem futuram in tantis animorum dissidiis, non immeritò metuebant. Cui confusioni ut obviam iretur, scribendi Provincia *Zanchio* demandata est; quo Reginam à proposito (lineæ Vestis usum Ecclesiæ Ministris imponendi) quod tunc suscepisse dicebatur, quoquomodo deterreret. *Zanchius* itaque quicquid excogitare potuit ad persuadendum, seu id ipsi probaretur seu secus (ut solent causarum Patroni) in Epistolam suam congessit. Verùm cùm Viri sapientes præsentiscerent vix fore, ut tam levis momenti rationibus Princeps Maxima sententiam mutaret, judicarunt *scribendum quoque esse ad aliquot præcipuos & prudentiores Episcopos, & rogandos ut reliqui* (quos *Heidelbergenses* credebant cum Puritanis unà insanire) *authores essent, ne si Regina amoveri ullo modo posset à sententia, ipsi præterea suas mallent deserere stationes, quàm Edicto Regio obtemperare*. Scripsit itaque *Zanchius* ad Celeberrimum *Juellum Sarisburiensem* Episcopum, *non videri, cur liceat Pastori suum deserere gregem, quoties ei licet liberè docere, & Sacramenta ex verbo Dei administrare, tametsi aliquid cogatur agere quod usquequaque non probetur, modò non sit ex tali rerum genere quæ per se & suâ naturâ mala sint. Numquam enim propter res suâ naturâ Adiaphoras deserenda est vocatio legitima & necessaria*. Ex quibus probè collegisse mihi videbar *Zanchium*, si viveret, in Presbyterianorum sententiam (qui *Superpelliceum* bonâ Conscientiâ usurpari posse negant, quique greges suos potius deserendos judicarunt, quàm eis impiâ illâ Veste indutos operam suam porrò præstare) nequaquam iturum. Atque hæc ea est

Zanch. Epistolarum libro 2. pag. 181.

est disputandi ratio ob quam *Pyrgopolinices* (præ quo scilicet ipse *Aristoteles* garrit & ineptit) *Durellum ad Anticyras relegandum* pro imperio edicit. *Nam licet*, inquit, *Virum bonum de hisce rebus Regio mandato obtemperare posse* Zanchius *fateatur, id tamen non concedit nisi cum legitima Protestatione, & si doceatur, cur & quâ Lege, tali sit à se obtemperatum mandato. At neutrum permittunt Prælati.* Imò utrumque inquam. Haud patientur sanè quidem Schismaticos in rem ex se mediæ prorsus naturæ & proinde observationis liberæ, qualis est Vestis linea, vel *Zanchio* judice, furentium instar debacchari; sed patientur, scio, Ministrum quemvis protestari se Vestibus de quibus agitur, nullam efficaciam aut sanctitatem tribuere; sed illas ad distinctionem, ornamentum ac decorum, ut Superiorum mandatis mos geratur, & ut Uniformitas Cultûs externi servetur, licèt alius color magis arrideat (non eodem enim omnium oculi delectantur) usurpare, ne si se morosum atque immorigerum in re ejusmodi præbeat, suæ stultitiæ ac Rebellionis pœnas jure merito debitas luat. Quæ *Zanchio* satis, satis etiam *Baxtero* tuo sunt. Nam *Baxterus* profitetur se bonâ Conscientiâ posse *Superpelliceum* usurpare, *si illius usus à Superioribus præcipiatur ad distinctionem, ornamentum & decorum, aut etiam ad significationem; modò efficacia nulla ei tribuatur.* A quo errore cùm Ecclesiam Anglicanam immunem nosset *Baxterus*, an non illæsâ Charitate quis suspicari possit, cautelam illam ab eo additam dolo malo, nempe ut incautis imperitisque Lectoribus innueret, ad efficaciam quoque *Superpelliceum* in Ecclesia Anglicana usurpari, præsertim cum Apologista, *Baxteri* summus admirator, illum ipsum errorem Hierarchicis, quos vocat, tribuere satagat. Cuivis præterea per Prælatos licebit populum docere Factionem Puritanicam plebi turpiter imposuisse, cùm *Superpelliceum*, Sacerdotis Missam in Ecclesia Romana celebrantis indumentum esse affirmavit.

Apol. p. 90.

Baxter. *Disput. quinque de Eccles. Regimine. Disput. quintâ.*

Apol. p. 59.

§. Quo sensu teneantur Ecclesiæ Anglicanæ Ministri *assensum & consensum suum non fictum omnibus & singulis in libro Liturgico contentis declarare* (nempe quod eorum usui, tanquam legitimo, assentiantur atque consentiant) ita liquido demonstravit Rever. *Fulwoodus Totnesi* Archidiaconus, de quo suprà ad finem Capitis 7. ut si de eodem argumento hìc scribere aggrediar, nihil aliud quam quod jam actum est, egero. *At approbatio*, inquit Apologista, *contentorum in libro Liturgico, non eorum usus tantùm exigitur.* Exigitur sanè; sed *approbatio eatenùs*, ut nempe Precibus & Ritibus utaris in libro Liturgico contentis, si uti Lege tenearis: & ut cum ab aliis usurpantur, id illis per te liceat; nec Sacris juxtà librum Liturgicum celebratis interesse detrectes; quòd scilicet libro illo nihil aut impium, aut superstitiosum contineatur atque præscribatur. At non exigitur ejusmodi approbatio, ut

In libro cui Titulus, The Grand Case.

Apol. p. 91.

ut si niger, viridis, luteus, cyaneus, aliusve colo Christi Ministros Sacra celebrantes, magis quàm albus decere tibi videatur, à laudabili illâ sententiâ tuâ discedas (id enim fateor, mi *Pyrgopolinices*, foret tyrannicum, & ultrice machærâ tuâ dignum) & in atras Vestes eâdem intemperie declamites, quâ in albas jam vociferaris. Nam poteris, idque bonâ Prælatorum veniâ, si ad saniorem mentem numquam reverti constitueris, quantum libuerit apud te tacitus insanire, & in sensu seu potius, insaniâ tuâ abundare, modò ne nos per fas aut nefas, prout nuper faciebat Factio Puritanica, ad eamdem insaniam adigere satagas.

§. Superest, ut quæ ex *Luthero*, *Melancthone*, *Flacio Illyrico*, *Pomerano*, *Academiâ Wittembergicâ* & *libro Concordiæ* adversus *Superpelliceum* affert Apologista, paucis excutiam. In *Augustana* Confessionis Ecclesiis albarum Vestium usum obtinere annotaveram. Id quoniam ad Apologistæ, hominis scilicet delicatuli, palatum non sapit, ad *nauseam usque à me inculcatum ait*. Quamquam id vix plus semel atque iterum, nec nisi pro data occasione omnino invenias. Sed quæ *Presbyterianis* nostris minùs arrident; si vel semel apposueris, licèt ipsi crambe recoctâ perpetuò vescantur & alios pascant, nauseam statim pariunt. Deinde narrat primò quid ipsi & *Altingio Augustana* Confessionis Ecclesiæ & earum Ceremoniæ in genere videantur; quid *Carolostadius* absente *Luthero*, egerit; quid ipsi *Luthero* de Ceremoniarum in omnibus Ecclesiis Conformitate, deque Conciliis Ecclesiasticis visum. Quibus subjungit dissidium de *Adiaphoris* inter *Melancthonem* & *Flacium Illyricum*, furentem illum Puritanum Germanicum, quo tempore Articulis *Interimisticis* Protestantes in *Germania* à *Carolo Cæsare* premebantur. Quæ omnia ab eo tantùm afferuntur, ut fucum faciat Lectoribus, & aliquid reposuisse videatur, cùm reverà nihil omnino respondeat. Neque enim negare audet *Superpelliceï* usum in Ecclesiis illis obtinere, quod unum ego affirmavi, quodque unum satis nobis est ad probandum *Presbyterianis* ab Ecclesia Anglicana ob Vestem illam non abhorrendum, cùm super ea *Augustana* Confessionis Ecclesiis in quibus illius usus obtinet, litem nullam moveant cæteræ Reformatæ (Nam *Altingium*, *Voetium*, & si qui sunt alii homines privati adeo morosi, ut Christi Ecclesias in rebus mediis discrepantes non ferant, haud moramur) imo Veste eâdem utantur earum Ministri, si quando in Fratrum *Augustanorum* Ecclesiis conciones habeant. Quod sæpius contingit *Dantisci*, *Thoruni*, *Elbingæ*, aliisque *Prussia* Civitatibus, prout à me alibi annotatum est. Sed singula expendamus, ne & nos effugium in generalibus quæsiisse videamur.

In Tract. Anglic.

Pag. 92.

In Tract. Anglic.

§. *Altingius*, ait, *totam illam Ceremoniarum pompam, pro qua non aliter quàm pro aris & focis digladiantur* Lutherani, *ex Papatu esse, &* Lutherum *qui eas Ceremonias retinuit, cùm à* Carolostadio *cœpissent reformari,*

reformari, ambitione magis quàm ullâ justâ ratione impulsum totum factum damnasse, instrumentaque destructa restituisse, & relicta confirmasse; licèt tum & postea, & jam, omnia ad Apostolicam simplicitatem revocanda dictitaret. Quæ verò à Magistro acceperunt Discipuli (sic pergit *Altingius*) *eadem ipsi servarunt, non tantùm quòd discedere à placitis ejus ipsis Religio esset, sed etiam ut ob discrepantiam Rituum, justior graviorque facti Schismatis causa videretur. Resp.* Quid hæc ad illud quod à me annotatum, aut si vis etiam, plus satis inculcatum? Scilicet Vestis lineæ usum in *Augustana* Confessionis Ecclesiis obtinere? Id enim non it inficias *Altingius*. At ait, *totam illam Ceremoniarum pompam, quæ apud* Lutheranos *in usu est, ex Papatu esse*. Quid tum? Haud enim inde efficitur *Superpellicei* usum apud eos non obtinere. Nec quicquid ex Papatu esse *Altingio* videtur, id statim ex Papatu esse putandum est. Vidimus enim suprà hoc ipso Capite, illius errorem circa Vestem lineam, quam etiam ex Papatu esse vult, à Viris Celeberrimis *Bucero* ac *Martyre* solidè confutatum. *Resp.* secundò, Pompam illam Ceremoniarum quam in *Augustana* Confessionis Ecclesiis reprehendit *Altingius*, ad Ecclesiam Anglicanam, in qua longè minor Ceremoniarum earumque longè simpliciorum numerus, nihil attinere. *Resp.* tertiò, In *Altingio* modestiam quis jure desideret, qui *Martinum Lutherum*, Virum Tantum, quem totus Reformatorum orbis meritò suspicit ac veneratur, ambitionis postulare non dubitavit; quum tamen *Lutherum* facti sui rationes justas licèt *Altingio* incognitas aut minùs probatas, aut reverà habuisse, aut saltem justas credidisse (quod satis est ad eum ab ambitionis vitio purgandum) & certè habere potuisse nemo non videat. Deinde & *Lutheri* Discipulis etiam injuriam non unam facit *Altingius*; primò in eo quòd dicit eos *pro Ceremoniis tanquam pro aris & focis*, hoc est si phrasin illam intelligo, tamquam pro rebus divinis ac necessariis *digladiari*. Nam certum est eos, Ceremonias omnes in rerum mediarum atque indifferentium censu ponere & habere, nec nisi qua tales, illas defendere contra *Altingios*, *Voetios*, & ejusmodi Gladiatores, qui nullâ pacis Ecclesiarum Christi & fraternæ Charitatis habitâ ratione, controversias in infinitum multiplicare, nævos Fratrum si quos habeant, aut isti eos habere somnient, digito monstrare & nodos in scirpo solent quærere. Deinde & in eo Fratribus *Lutheranis* injuriosus est *Altingius*, quòd eos ideo Ceremonias retinuisse affirmat, ut *ob Rituum discrepantiam justior graviorque facti Schismatis causa videatur*. Omnes enim uno ore cum *Luthero* suo docent Rituum diversitate Ecclesias eamdem fidem profitentes, scindi non debere; atque eos à se invicem eâ de causa (in variis enim eorum Ecclesiis, Ritus varii celebrantur, vixque plus Ceremoniarum apud *Argentinenses* & *Mombeliardenses, Lutheranismi*, sic loqui fas sit, assertores rigidissimos, quàm apud

Vide *librum Concordiæ*.

apud *Genevenſes* videre eſt) nullo modo diſſociari res ipſa oſtendit. Quo faciunt iſta *Lutheri*, quæ hîc (licèt prorſus ἀπροσδιόνυσα) ab Apologiſta citantur. "Mihi non ſatis tutum videtur Concilium è noſtris cogi pro unitate Ceremoniarum ſtatuendâ. Eſt enim res mali exempli quantumvis bono Zelo tentata, ut probant omnia Eccleſiæ Concilia ab initio; ita ut in Concilio Apoſtolico fermè de operibus & traditionibus magis quàm de fide tractatum ſit: in poſterioribus verò numquam de fide, ſed ſemper de opinionibus & quæſtionibus diſputatum, ut mihi Conciliorum nomen penè tam ſuſpectum & inviſum ſit quam nomen liberi arbitrii. Si una Eccleſia alteram ſpontè non vult imitari in externis iſtis, quid opus eſt Conciliorum decretis cogi, quæ mox in Leges, & animarum laqueos vertuntur. Imitetur ergo altera alteram liberè, aut ſuis moribus ſinatur frui; modò unitas Spiritûs ſalva ſit in fide & verbo, quantumvis ſit diverſitas & varietas in carne & elemento mundi. Ad quæ *Lutheri* verba, ne iis, incautis Lectoribus imponatur, hoc unum velim annotatum; ſcilicet eum per Eccleſias non particulares fidelium cœtus (quaſi eos qui ſunt in eadem Republicâ nullis communis Diſciplinæ Legibus vinciendos atque uniendos, ſed ſolutos & ſuo arbitrio *Independentium* more, permittendos cenſeat) ſed Eccleſias Nationales intelligere, quibus ſingulis liberum eſſe vult iis uti Ritibus, quæ ipſis ad ædificationem facere maximè videbuntur. Quæ Anglicanæ aliarumque omnium Eccleſiarum Reformatarum mens eſt. Quippe quæ aliæ in alias jus nullum ſibi arrogant, contentæ ſcilicet Rituum uniformitatem intra ſe à particularibus, quibus conſtant, cœtibus obſervari. Quo ſenſu etiam intelligi debet ultimus Septemdecim illorum Articulorum, quibus *Lutherus* Proteſtantium doctrinam primo complexus erat, quem non magis appoſitè quàm ſuperiora hìc nobis exhibuit Apologiſta, videlicet, *Quòd Ceremoniæ Eccleſiaſticæ pugnantes cum verbo Dei ſint abolendæ, cæteræ autem liberæ permittantur, ut iis vel utamur, vel non utamur ſecundum normam dilectionis, ne leviter abſque gravi causâ ſcandalum aliis præbeatur, & communis pax ſine neceſſitate turbetur.*

§. Quæ deinde ſequuntur de Diſputatione quæ inter *Lutherum*, & *Melancthonem* per litteras habita eſt, circa Ritus Eccleſiaſticos, nihilo magis ad rem. Nam quæ *Lutherus* contra Epiſcoporum Pontificiorum *Germaniæ* poteſtatem in Eccleſiaſticis ibi ſcripſit, ad Epiſcopos Anglicanos qui Principatum & Dominationem, ſeu in Eccleſiam, ſeu in Rempublicam, apud nos nullam ſibi arrogant aut exercent, nihil pertinent. Quin ea ibidem habet *Lutherus*, quæ Schiſmaticis noſtris penitus adverſantur. *Epiſcopus ut Epiſcopus*, inquit, *nullam habet poteſtatem ſuper Eccleſiam ſuam Traditionis, aut Ceremoniæ imponendæ niſi conſenſu Eccleſiæ, vel expreſſo, vel tacito.* Habet igitur modò Eccleſia vel tacitè, vel

Vide *Melancthonis Conſil. Theologicâ apud* Pezelium. *part.* 2. *pag.* 115.

vel expresse consentiat. Unde addit, *si Ecclesia consenserit seu unum corpus cum Episcopo, possunt super se imponere quicquid volunt salvâ pietate, rursus etiam omittere.* Ergo cùm Ecclesia Anglicana, omnibus Episcopis & reliqui Cleri Delegatis in Synodo Nationali consentientibus, primò; deinde & totius Regni Comitiis annuentibus ac sancientibus, ceu unum corpus congregata, & *Superpellicei* usum & alios Ritus, pietati, *Luthero* judice, haud adversantes, sibi imposuerit, nihil præter jus fasque, ex *Lutheri* quidem sententiâ, hac in parte fecit. Unde sequitur eos Ritus ab omnibus Ecclesiæ Anglicanæ Membris observari debere, nec nisi eodem consensu eâdemque authoritate removeri posse. Hæc denique, quæ postremo loco ex eadem *Lutheri* & *Melancthonis* disputatione citat Apologista; "Nullum opus cum sit, quod traditio "de novo instituere possit, consequens est, ut opus jam divinitus præ- "ceptum apprehendat, & veluti prædicamentum substantiæ præsuppo- "nat, quod postea solenniter, ut aiunt, vestiat quantitate, qualitate, ubi, "quando, ad aliquid; ut gratias agere, est opus traditionis, imo non "traditionis, sed præcepti Divini. Fit verò traditionis dum ea dictat, "hac horâ, hoc loco, hac voce, tantâ morâ, hoc habitu, hoc gestu volu- "mus hoc efficere. At hæc prædicamenta accidentium, in operibus "suis Deus voluit esse libera, & vera accidentia, nequaquam vero sub- "stantiam. Jam redit Disputatio ad circulum suum, quod nec ipsa ac- "cidentia ullus potest aliis imponere, nisi jussus, & ut causa efficiens à "Deo vocatus, sicut dicit: si quis loquitur, & ministrat tanquam verbo "& virtute Dei. Hæc, inquam, egregia *Lutheri* verba, quid faciant contra *Superpelliceum*, non video. Neque enim illius usus, ut *opus* aut *substantia*, aut *cultus*, sed ut circumstantia, ut accidens, ut ἀδιάφορον merum ad decorum spectans instituitur & servatur. At *ejusmodi accidentia*, inquit *Lutherus*, *Deus voluit esse libera*; Respondeo, id est voluit esse *vera accidentia*, *nequaquam verò substantiam*, ut ait ibidem *Lutherus*. Verùm, instabis, *nec ipsa accidentia quemquam imponere aliis posse*, censet *Lutherus*. Censet quidem id nullum posse, scilicet, *qui non sit jussus, & ut causa efficiens a Deo vocatus*, prout ipse ibidem loquitur; hoc est, id nulli homini privato licet. Nam Episcopo, consentiente Ecclesiâ, id licere disertis verbis, in hac eadem disputatione, loco citato testatur ipse *Lutherus*: Et quod liceat *Pastoribus facere Ordinationes, ut res ordine gerantur* (quod sine accidentium impositione fieri nequit) *in Ecclesia; non ut per illas mereamur remissionem peccatorum, aut satisfaciamus pro peccatis, aut obligentur Conscientiæ, ut judicent esse necessarios cultus*, &c. *Et quod tales Ordinationes conveniat Ecclesias propter charitatem & tranquillitatem servare catenus, ne alius alium offendat.* 1. *Ut ordine & sine tumultu omnia fiant, in Ecclesiis*, expresse docet *Augustana* Confessio, cui subscripserunt Illustrissimi

simi Protestantium Principes quotquot *Augustæ* aderant, & duæ Civitates, cùm exhibita est *Carolo Cæsari* anno 1530. in Imperii Comitiis, quamque probavit ipse *Lutherus*. Quod videre est in Historia *Augustanæ* Confessionis à *Chytræo* scriptâ. Ut Apologistæ frontem satis mirari nequeam, qui ut celeberrimæ illius Confessionis authoritatem elevaret, & præstantissimum *Melancthonem* à quo conscripta est, hic Lectoribus suspectum redderet, ausus sit scribere, *illum cùm eam exasciaret & in formam redigeret, ita omnia ad Pontificiorum sensus accommodasse, ut eâ ratione magnam sibi apud suos conflaret invidiam.* Quod ut probet, *Calvinum ait Melancthonem hac de re acrius monuisse in Epistola ad Melancthonem.* Quum tamen vulgò notum sit & ipsum *Calvinum Augustanæ* Confessioni subscripsisse, & non nisi post elapsos ab eo tempore quo Confessio *Augustana* scripta atque exhibita est, annos complures Epistolam illam ad *Melancthonem* dedisse; Quod vel eo patet quòd vix *Calvini* nomen inter Reformatos notum erat, cùm *Augustanam* Confessionem *Melancthon* exaravit. Ex his vero *Calvini* verbis videre est, quo loco tum Confessio *Augustana*, tum Confessionis Author apud ipsum fuerint. *Ego siquis alius*, inquit, *veram & sinceram consensionem expeto, quam modò Deus ipse suo verbo sanciat, nec verò* Augustanam *Confessionem repudio, cui pridem volens ac libens subscripsi, sicut eam Author ipse interpretatus est.* At *Calvinus* in ea Epistola disertè ait, *Melancthonem plura quàm oportuit Papistis concessisse.* Ait quidem, sed id ex aliorum relatu, ut ostendunt ista, *si verum est quod pro certo passim asseritur; tu res medias & indifferentes nimis longè extendis.* Adde quod tota illa *Calvini* Epistola nihil ad Confessionem *Augustanam*; sed ad negotium *Interimisticum*. Quod aut ignoravit imperitus Apologista, aut subdolè, ut alia plurima, dissimulavit. Utris autem *Calvinus* faverit, *Philippo* ne; & iis qui cum eo lineam, Vestem, & alia Adiaphora nonnulla recipienda sentiebant, an verò *Flacio* & Sodalibus, qui Ministerium deseri & Ecclesias vastari malebant, ex *Theodoro Beza* discimus. "Eodem hoc anno, *inquit*, exortâ in *Saxonicis* "Ecclesiis contentione de rebus Adiaphoris, quum à *Calvino* quoque "consilium peteretur, sententiam hac de re suam liberè exposuit: *Philippo* etiam officii admonito, quem nonnulli ut in eo molliorem accusabant, immeritò id quidem, ut accuratiùs postea *Calvinus* cognovit. Tum enim erat ignotum, quo animo malus ille genius, & tota "*Flacianorum* cohors impelleretur: quæ postea tot turbas dedit, & nunc quoque opus Domini labefactat, non aliter sanè, nec minùs impudenter ac furiosè, quàm si ab ipso Romano Pontifice, magnis stipendiis esset conducta.

Calvin. *Epist.* 188. *pag.* 182.

In vita Calvini *ad ann.* 1549.

§. Verùm *Melancthonem* ipsum pro se dicentem adversus eos qui eum insontem & inauditum accusare & damnare non dubitabant, hic

audiamus.

audiamus. "Nam & esse publicè congressus honestos & Ritus non "barbaricos in illis congressibus, imo & quædam Disciplinæ signa esse "necesse est; in quibus si nihil contra mandatum Dei institutum est, de "gestibus ipsis non esse pugnandum vel ipsi scitis. Sed metuitis in ge- "nerali verbo insidias, cùm dicimus nos de Adiaphoris non pugnare. "Veniunt eadem nobis in mentem, quæ vos prudenter prospicitis; Et "voluntates multorum eò spectant, ut inclinationem ad totam Politiam "Pontificiam faciant. Sed tamen cùm occupati majoribus certaminibus "de rebus necessariis, omittimus rixas de Adiaphoris, decet bonos Vi- "ros, qui talia legunt, adhibere dexteritatem in judicando. Vocamus "Adiaphora, non magicas Consecrationes, non statuarum Adorationes, "non Circumgestationes panis aut similia, quæ apertè damnantur voce "nostrâ & scriptis, imò nec ineptias quidem, ut excubias ad sepulchrum. "Talia qui odiosè exacervant, ut nos exagitent, vel astutè colligunt, ut "Pastoribus duriora onera imponant, injuriam nobis faciunt, & suis af- "fectibus morem gerunt. Alia multa sunt Adiaphora, quæ & Antiqua "Ecclesia instituit, & ad concinnum ordinem, & ad docendos seu com- "monefaciendos rudiores conducunt, ut ordo Festorum, Lectionum, "Publici congressus, *&c.* Aula proponit Articulos qui Doctrinam & "Liturgiam non mutant, sed plus Rituum imponunt, qui utcunque tole- "rari possunt. Additur Comminatio, ut qui hanc normam sequi no- "lint, discedant. Et si multi Pastores discedere malebant, tamen Ec- "clesiæ petebant ne desererentur. Tali tempore quid consilii dandum "fuit? Respondent aliqui vehementiores atroci scripto prætereffacien- "dam fuisse Aulam metu seditionis, & hâc Gorgone reprimendam, ne "quid in Ecclesiis mutaretur. Id cur facere nolimus, multæ causæ "sunt. Ut igitur clarè cerni possit nos non cupiditate libertatis, non "studio novitatis, non odio dissidere ab adversariis, de magnis rebus "pugnamus, in quibus evidentia veritatis convincit saniores etiam inter "inimicos. Id judicamus utilius esse quàm de vestitu à ut re simili rix- "ari, ubi sapientes clamitant, nos tantum stultâ morositate ac contuma- "ciâ adversari Gubernatoribus, alere dissidia, attrahere peregrinas gen- "tes. Hæc ille ad Pastores Ecclesiæ *Hamburgensis*, qui eadem quæ *Calvinus*, cum ipso expostulaverant. At *mihi*, inquit Apologista, *dum* Melancthonis *Epistolas lego, plura occurrunt loca, è quibus constat Virum mitem, lineam Vestem potius tolerasse quam probasse; quin eam inter ineptias vel potius onera reponit.* At *Presbyteriani*, Viri fortes scilicet atque Magnanimi, ejusmodi moderationem se indignam arbitrantur, ut quibus ratum fixumque sit Cœlum terræ potius miscere, quàm rem ullam quantulamcunque, nisi quæ perplaceat, tolerare. Vestis linea *Melancthoni* probata est pro natura rei, nempe ut Vestitus antiquus, decens, honestus, & ex sese naturæ prorsus mediæ atque verè in-

Melancthon. Epistolar. l. 1. Epist. 79. p. 97.

differentis.

Melanchthon. Epist. l. 2. Epistola 223. Georgio Principi Anhaltino.

differentis. Unde illud habet, *Contentio de linea Veste non magni momenti est*. Sed tantùm abest ut illius usum damnaverit & oneri esse esse duxerit, ut illum potius optaverit ubique obtinere. "Non tantùm "metu moveor, *inquit*, ut pias, elegantes & similes Ceremonias optem "in Ecclesiis nostris esse. Sæpe ante multos annos non ego tantùm, sed "etiam alii multi Gubernatores Ecclesiarum, hortati fuerunt, ut in Ec-"clesiis pia & similis forma Rituum institueretur. Hæc ille in Epistola ad Ecclesiam *Francofurtensem* ad *Mœnum*, postquam dixisset, *se non judicare populum onerandum esse periculis, cùm petitur, ut servetur ordo veterum Lectionum, Feriarum & Vestitûs*.

Idem Epistol. l. 1. Epist. 82.

Unde verò Apologistæ constat eum *lineam Vestem inter ineptias & Ecclesiæ onera reposuisse?* Scilicet *Melanchthon*, ait, *Lutherum initio Vestitûs ineptias tulisse, ne novitas seu morosis, seu prophanis sermones præberet*, sed quid hæc ad *Superpelliceum*, cùm de Vestitu & toto Choragio Missatico (in quo multæ ineptiæ) ibi loquatur; quod integrum *Lutherus* retinuerat, quamquam eo superstitiosè haud utebatur. Ait etiam *Melanchthon*, ut persuadeat Ministerium propter Vestem lineam non esse deserendum, *graviorem servitutem & onera graviora*, studiorum causâ sustineri & sustinenda esse, ne dissipentur Ecclesiæ. *Judice ergo* Melanchthone, inquit noster, *Vestis linea Ecclesiis* Lutheranis, *oneri erat magis quam ornatui*.

Pag. 99.

At non advertit homo præceps, qui in *Melanchthonis* consilia Theologica (quæ tam impensè Lectori commendat) oculos semel tantùm, dum moras prorogabant operæ, conjecit; eum ita loqui per *concessionem*; non quòd reverà Vestem illam *onus* atque *servitutem* esse crederet, sed quòd iis, qui eam adeo præfractè respuebant, *onus* ac *servitus* esse videretur. Id enim liquet ex his quæ habentur in Oratione ab *Anhaltino* in cœtu Pastorum Diœceseos *Mersburgensis*, recitatâ, sed à *Melanchthone* conscriptâ.

Vide apud Pezelium in Consiliis Theol. Melanch. part. 2. p. 101.

"Ac ut nos, *inquit*, libertatem eis "gratulamur, ita ipsi vicissim, servitutem nostram, quam vocant, boni "consulere debebant. De Veste linea aliisque Ritibus recipiendis agebatur. Sic enim loquitur in eadem Oratione *Anhaltinus*, "At incon-"stantiam nobis tribuunt aliqui (*Flacianos* seu *Lutherano-Puritanos* intelligit, in quibus vide nostrorum ingenium) "quòd de Vestitu & "aliis quibusdam similibus Ritibus non tumultuosè pugnamus, non mi-"nitemur Principibus Seditiones, non jubemus deseri Ecclesias. Di-"cunt his initiis servitutis strui insidias populo. At gratulatur sibi Apologista, "quòd peroportunè *Melanchthonis* Epistolam repererit, in "qua exertè fatetur Vir Pius peccatum à se esse, & à Deo veniam petit, "quòd non procul fugit illas insidiosas deliberationes de mediis Ritibus. Ita est. Nam ea fuit Viri optimi pietas, ut si aliis peccandi vel minimam occasionem, nec opinans licèt, præbuisset, peccati aliquatenus se affinem crederet. Cùm itaque deliberationibus suis de mediis rebus, veræ

Christi

Christi doctrinæ insidias struxisse nonnullos aulicos comperisset, agnoscit Vir Pius à se in eo peccatum quod vel tantillum cum ipsis de re illâ communicaverit. Sed a sententia quam contra *Flacianos* de Adiaphoris, initio tutatus est, *nempe ea posse recipi salvâ pietate; nec ea- propter Ministerium esse deserendum*, ne latum unguem umquam discessit. Contrà vero, in *scripto ad Pastores Ecclesiarum Saxonicarum*, Vide *ibidem p.* 259.
quod litteris ad Flacium datis posterius est, *consilio hoc usum esse profitetur, ut tacere & cedere Flacio maluerit, quàm respondendo augere publicas discordias. Sed juvante Deo*, inquit, *non deerit mihi honesta oratio si quando respondebo.* Et ex Responsionibus ad eosdem Pastores *Saxonicos*, ad quos Lectorem ablegat Apologista, idem manifesto liquet. Nam cùm ab eo petiissent ut *contestari vellet sententiam suam de rebus Adiaphoris*, respondit, *nihil opus esse novo scripto. Nam quid de Adiaphoris* *Ibid. p.* 265.
sentiam ex libris meis, inquit, *notum est.* Atque iterum ad eosdem; quum, instigante *Flacio*, rem eamdem denuo *Philippo* proposuissent, hæc verba reposuit; "De septimo Articulo jam antè respondi. Ex meis "scriptis quid sentiam notum est. Nec volo de Adiaphoris novam dis- "putationem movere, aut damnari nostros, quorum aliqui mortui sunt, "qui retinere eos Ritus, quos *Lutherus* retinuit, maluerunt, quam pelli "Pios Pastores, & miseras Familias, & fieri vastitatem in Ecclesiis. Has tamen Responsiones appellat Apologista (quæ illius frons est) ut *Pag.* 99.
inde *Melancthonem* appareat *nimiæ suæ in Ritibus aliisque συγκαταβάσεως pœnituisse.* Eâdem audaciâ, ad ea, quæ Vir magnus ad *Joannis Alberti* Ducis Megalopolitani Legatorum postulata reposuit, homo vecors provocat; in quibus sic loquitur *Philippus.* "Petitur à me con- "fessio proditionis & magnorum Scelerum. Dicit forma concordiæ (*Melancthoni proposita*) "in gratiam persecutorum Evangelii recep- "tas esse quasdam Superstitiones, dicit abnegationem veritatis esse, eti- "am si qua verè Adiaphora recipiantur, *&c.* Clarè igitur profiteor, "*inquit*, me non assentiri narrationibus istis, quæ arte intextæ sunt, ut "me, si eas recepero, ipse jugulem.

§. "Sed quid, *inquit*, unum *Melancthonem* refero. Universa Aca- "demia *Wittebergensis* in Expositione quam ex Actis Synodicis com- "pilavit & edidit anno 1559. apertè profitetur, Adiaphora admissa "esse cùm Imperator receptionem libri *Augustani* dicti, *Interim*, "pertinacissime urgeret; & metus esset ne, si non restituerentur Ritus, "penitus vastarentur Ecclesiæ, cumque postulationi Principis refragari "non liceret. Et tamen rebus sic stantibus *Pomeranus* de linea Veste "plura promittere noluit, quàm à Pastoribus suæ inspectioni subditis, "eorum cum gratia, impetrare posset. Respondeo. Nihil ego dixi de tempore aut occasione quibus lineæ Vestis usus in *Augustanæ* Confessionis Ecclesias introductus est; sed apud illas nunc temporis, nemine

 reclamante,

reclamante, passim obtinere tantùm affirmavi. Quid autem contra hoc, quod à *Wittebergensibus* asseritur, aut quod de *Pomerano* narratur? Nihil quicquam. Id quidem asserunt *Wittebergenses*, quod de Adiaphororum quorumdam apud ipsorum Ecclesias, receptione verum est. Dixi *quorumdam*; "Nam testantur in suis Ecclesiis ab initio retentas fuisse præcipuas Ceremonias conducentes ad bonum ordinem "quales sunt Celebratio Diei Dominicæ & Solennium Festorum, usitato ordine Lectionum & Cantionum in paucis mutato. Dixi etiam "apud ipsorum Ecclesias. Nam *ait Melanchthon*, in ea ipsa Epistola ad *Flacium* data, quam citat Apologista, "se de Ritibus his mediis eò minùs pugnasse quia jam antea in plerisque Ecclesiis *Germaniæ* retenti "erant. Ad *Pomeranum* quod attinet, ut Vir erat singularis prudentiæ & moderationis, ad pacem Publicam magis conducere judicavit si persuadendi, quàm si cogendi Provinciam in se susciperet. Sed quid hoc contra *Superpelliceum*, cùm & *Pomeranus* ipse eo usus sit, imo illius usum in Regni *Danici* Ecclesiis instituerit, & cum *Melanchthone*, propter Vestem lineam, & alia Adiaphora si à superioribus imponantur, Ministerium non esse deserendum, nec Ecclesiæ pacem turbandam, semper censuerit.

Vide apud Pezelum *part.* 2. *pag.* 51.

§. "At *Wittebergenses* coram Electore *Mauritio* mutationem in "Adiaphoris multotiès dissuaserunt, & deprecati sunt. Cùm verò "Elector constanter se nullam facturum mutationem ullius rei necessariæ ostenderet, sed in Ritibus Adiaphoris velle se suæ Conscientiæ "causâ præstare obedientiam Imperatori, quatenus cum Pietate & Religione ad Deum possit, moti salute harum Ecclesiarum cesserunt ei, & "censuerunt hanc potius servitutem ferendam quàm aut desertione vastandas, aut Seditione commovendas Ecclesias. Addiderunt disertè "se hac sententiâ consulere imbecillioribus, non statuere modum zelo "confirmatiorum & robustiorum, si qui essent, qui experiri adversationes suo loco & suo cum periculo, non alieno, quàm cedere mallent, "ferendo servitutem non impiam. Hæc Apologista, ex quibus manifestum esse putat *quàm contrarius sit Præsulum nostrorum Spiritus Spiritui quo acti sunt* Wittebergenses. At videt hìc quisquis non est præjudiciis obcæcatus, Præsules nostros planè imitatos esse *Wittebergenses* Theologos, *cùm mutationem in Adiaphoris multotiès dissuaserunt & deprecati sunt*. Contrà verò Adiaphora omnia vi & armis nullâ Regis, nullâ Legum, seu Civilium, seu Ecclesiasticarum, nullâ Juramenti, quo ad ea servanda sese adstrinxerant, ratione habitâ, penitùs sustulerunt Schismatici, & vastitatem in Ecclesiis, qualis numquam antea audita est, Pastoribus innumeris (qui unà cum illis insanire noluerunt) expulsis, & in Carcerem conjectis, aut solum mutare coactis, initio turbarum nostrarum, fecerunt. Quum autem Rege Legibusque restitutis,

restitutis, eadem Adiaphora quæ ipsi sustulerant, restituta quoque sunt, isti aut *desertione vastari aut Seditione commoveri Ecclesias maluerunt, quàm ferre servitutem* (sic ipsis videtur) *Wittebergensibus* judicibus, *haud impiam.*

§. Denique, ut sciat Lector quàm sit iniquus Præsulum nostrorum censor Apologista, cùm ait, " eos Regem Senatumque indesinenter interpellasse ut jugum hoc (sic vocant *Superpelliceum*, & alia ejusmodi) Ministrorum cervicibus imponeretur ; Et cùm emissa esset Declaratio Regia, quæ spem fecerat alicujus relaxationis, litteris suis Senatores interpellasse, ne quid de rigore Statuti remitteretur ; quædam, quæ in rerum *Anglicanarum* Historiâ prolixius olim enarrabuntur, hic paucis memorabo. Quum fere biennio post restitutum Regnis suis Serenissimum CAROLUM II. de tollendis Religionis dissidiis in Publicis Regni Comitiis seriò deliberaretur, neque id aliâ ratione fieri posse videretur, quàm si cultus Divinus idem ubique ab omnibus, qualis sub *Elizabetha*, JACOBO ac CAROLO I. obtinuerat, publicè celebraretur,eo tamen inclinabat Regis Clementissimi animus,ut si qui essent è *Presbyterianorum* Ministris, qui à lineæ Vestis usu aliisque ejusmodi Ritibus, adeo usque abhorrerent, ut Ministerium deserere quàm eos usurpare mallent, iis Rituum istorum omissio, ne noceret , modò Ecclesiasticis Patriisque Legibus, in cæteris morem gererent ; idque ut eâdem Lege,quâ Uniformitas Cultûs edicenda erat,caveretur. Cui sententiæ adeo non refragati sunt Præsules, ut quidam eorum, iique præcipuæ authoritatis, in eamdem, quâ erant moderatione, manibus pedibusque, quod aiunt, in publicis Comitiis concesserint. Verùm cum Rex Serenissimus negotium illud in totum, Parlamento permisisset, prout in litteris *Bredâ* datis, exul adhuc, erat pollicitus,res mali exempli visa est, fovendisque quàm tollendis dissidiis aptior, atque Ecclesiæ paci,ad quam conciliandam proponebatur, prorsus contraria. Itaque Ordinum decreto Regiâ authoritate firmato sancitum est, ut Uniformitas Cultûs ab omnibus Ecclesiæ Anglicanæ Ministris servaretur. At conjunxerunt, paulo post tempore, Copias suas non *Independentes* & *Presbyteriani* modò, verùm etiam *Pontificii*, *Anabaptistæ*, *Tremuli*, aliique Sectarii atque Hæretici, ut Regi Regioque Senatui suaderent quam felix faustumque Reipublicæ futurum sit, si iis omnibus indulgeatur Templa seorsim habere, & singulos, probato sibi Ritu, Numen colere : Eo enim fore, ut omnes quibus Religio cordi est, eâ Conscientiarum libertate allecti , undique , *Amstelodamo* etiam , *Angliam* ob commodiorem mercaturam , cum suis opibus brevi advolent ; unde inmane quantum Regi universæque Genti emolumentum emersurum : Neque vero quicquam inde detrimenti capturam Ecclesiam Anglicanam, ut quæ sola in posterum , quemadmodum nunc & antea , in Academiis, in Ecclesiis

Cathedralibus & Parochialibus, audienda sit; Nihil enim de illius Privilegiis & Immunitatibus imminutum iri. Emissa itaque est Declaratio Regis, quæ spem faciebat, *non alicujus relaxationis*, quod ait Apologista, *sed libertatis & eorum omnium quæ Schismaticorum Hæreticorumque Secta singula postulabant*: Addita vero à Rege hæc conditio est, *si hoc Parlamento*, brevi coituro (quo nempe inconsulto, Regi fixum ratumque erat nihil in magno illo Religionis negotio movere) *è re esse videretur*. Atque hæc ea est Declaratio, cui tam sedulò adversati esse dicuntur Præsules nostri, ut *Senatores, rure agentes, etiam litteris sollicitaverint ne ei assentirentur*. Nam magno bonorum omnium, etiam moderatiorum *Presbyterianorum* consensu, delegati sunt inferioris Parlamenti consessûs nomine, Viri primarii, qui Regiæ Majestati repræsentarunt, quàm perniciosum Ecclesiæ Reique Publicæ futurum esset, quod eâ Declaratione proponebatur. "Permittere enim quamlibet Sectam publicè suis uti Ritibus, præterquam quod Patriis nuperque Regiâ authoritate firmatis Legibus apertè repugnet, nihil aliud esse, quàm Religionem ex Religione serere, mentes bonorum variè distrahere, seditiosorum studia alere, Ecclesiam atque Rempublicam conturbare, & divina humanaque commiscere; imo latam portam Pontifici Romano in *Angliam* aperire si quando cæteræ, Pontificiis artibus deceptæ, ad illius Sectam (quod sæpe fieri videmus) accesserint. Quod si factum est Præsulum nostrorum piâ sedulitate, utris plus debeat Reformata Religio; illis ne, quòd eorum operâ Pontificiæ Superstitionis, & aliarum Sectarum exercitium publicum in *Anglia* prohibitum sit; an verò immoderatioribus *Presbyterianis* (quorum hic causa agitur) quòd nihil intentatum reliquerint, ut potius istorum omnium, Pontificiorum etiam, Ritus publicè obtinerent, quàm ipsi nostris interessent, atque animo suo eâ in re non obsequerentur, esto penes Reformatos omnes judicium. Odiosè autem falsòque ab Apologista dicuntur *Præsules nostri omnibus qui cedere nolunt aquâ & igne interdicere*. Nam præterquam quòd

Pag. 101. pœnam quæ iis verbis significatur, non est penes eos cuiquam irrogare; eorum authoritas omnis, ut antea observatum est, Ecclesiasticis Politicisque Legibus circumscribitur, ut nihil contra præterque præscriptum Legis valeant; *Nec tantâ pollent Episcopi potestate*, inquit ipse Apologista, *ut admittere possint exceptiones, limitationes, distinctiones, quæ destruant sensum Legum latarum*. Unde si quid, quod *Presbyterianis* aliisve Schismaticis minùs arrideat, adversus immorigeros & Disciplinæ Ecclesiasticæ contemptores, seu Ministros, seu homines privatos decernant, id non illis, qui nihil nisi quod Lex imperat, faciunt, sed Legi, quâ id facere jubentur, tribui æquum est. Quæ tandem ex *Augustana & Wirtembergica Confessionibus*; item ex libro

bro Concordiæ, affert, ut oſtendat, non eſſe cur *Presbyteriani Lutheranos in hac de* Superpelliceo *controverſiâ, judices refugiant, modò principiis ſuis ſtare velint*, fruſtra eſſe, vel ex eo conſtat, quòd ipſe *Melancthon*, Confeſſionis *Auguſtanæ* Scriptor, & *Lutherus*, illius approbator, ut & *Wittebergenſes*, aliique qui *libro Concordiæ* ſubſcripſerunt, aut lineam Veſtem omnes ipſi uſurparunt, aut ſaltem illius uſum ut legitimum, non *quaſi indumenti Levitici, aut Miſſatici, aut Pontificii, aut ullum Chriſtianæ Religionis myſterium adumbrantis, aut meritorii & neceſſarii; ſed honeſti, decentis atque ex ſeſe naturâ prorſus media & indifferentis, approbarunt.*

CAP.

An Penes Ecclesiam sit Ritus significativos instituere?

Gallicæ Puritanorum Apologiæ in Ecclesiam Anglicanam Calumnia refutatur. Scripturam Sacram perfectam credendorum agendorumque ad Salutem consequendam Regulam ab Ecclesia Anglicana haberi: quod patet ex Confessione Fidei, Formulâ Ordinationis, & aliis Scriptis Publicis & Privatis Virorum Doctissimorum, maximè R. Laudi Cantuariensis. Hookerus *vindicatur*, Amesius, Jeanesius, *aliique Puritanorum Scriptores à Cl.* Ritschelio *confutati. De Scripturæ Sacræ Perfectione, dèque Prophetico atque Regio Christi Officiis, in quibus scilicet consistant. De Ecclesiæ Apostolicæ Officio circa Rituum indifferentium institutionem. Rituum genera varia. Qui Ritus ab Ecclesia institui & servari possint. Ritus significativi ab Ecclesia Apostolica instituti & observati, scilicet,* Manuum levatio, Genuflexio & Capitis apertio *inter Orandum & Canendum, Osculum sanctum. Iidem Ritus aliique longè plures à sequentium ætatum Ecclesiis observati. Ritus significativi instituti & observati apud omnes Reformatorum Ecclesias; à* Calvino, Luthero, Melancthone, Bucero, Martyre, Zanchio, *imo & ipso* Theodoro Bezâ, *probantur. Solvuntur Schismaticorum Objectiones.*

MIrabar quid sibi vellet Gallicæ Puritanorum Anglicanorum Apologiæ Scriptor infrunitus, cujus Calumnias quibusdam locis obitèr dispulimus, cùm in Præfatione libelli sui affirmare non verecundatur, Scripturam Sacram pro perfecta credendorum faciendorumque ad Salutem consequendam regulâ, ab Ecclesia Anglicana non haberi. Quippe noveram Scripturæ Sacræ cùm perfectionem, tum in Controversiis Fidei authoritatem summam ab hac Ecclesia nostra, disertis Verbis in Articulis Religionis tribui, nec quemquam ad Sacros Ordines apud nos admitti qui non Scripturæ Sacræ sufficientiam

Articul. 6. Vide Formulam Ordinationis.

ficientiam agnoscat; & in Apologia quam Ecclesiæ Anglicanæ nomine, regnante *Elizabetha*, edidit præstantissimus *Juellus Sarisburiensis* Episcopus, ut & in Apologiæ Defensione adversus *Hardingum* fusius, solidis argumentis asseri, ab aliisque Scriptoribus Anglicanis in Polemicis ubique adversus Pontificios constanter accuratèque defendi. Id verò à nemine doctiùs, acutiùs, liquidiùsve demonstratum est quàm à Reverendissimo *Laudo Cantuariensi*, adversus *Fisherum* Jesuitam. (Ut subeat mirari calumniatoris illius qui se *Irenæum Philadelphum* falso vocat, cùm Ecclesiis omnibus Reformatis bellum indixerit, & reverà sit ὁ κατήγορος τῶν ἀδελφῶν ἡμῶν, improbam audaciam, qui in sua ad *Renatum Verdæum* Epistola Pientissimum Christi Antistitem & Reformatæ Religionis propugnatorem eximium, Protestantium causæ Pontificiis proditæ insimulare non verecundatur. Sed de eo infra fusiùs.) Cumque *Hookeri* Viri illius incomparabilis locum, quem iste ad fidem Calumniæ suæ conciliandam in margine citat, inspexissem, in quo Vir summus Scholæ Romanæ placitum illud, *Scripturam insufficientem esse, quasi omnem revelatam ac supernaturalem Veritatem (quam quidem filios hominum in hac vita nosse oportet, ut salventur in futura) non contineat nisi addantur Traditiones, jure repudiandum* disertè asserit. Et paulò antè, *Quicquid additur ad Doctrinam Salutis perficiendam ut quod deest Scripturæ, eâ ratione suppleatur, id Ecclesiam Anglicanam rejicere. Cùm enim*, inquit, *Doctrinam Salutis enarrare sibi proposuerit Scriptura Sacra, id planè perfectèque præstitit*; Cùm, inquam, inspecto *Hookeri* loco hæc & alia multa quæ eòdem faciunt, occurrissent, hominis frontem magis magisque mirari cœpi. Nam quamquam ibidem Scriptor doctissimus eorum errorem refellit qui nihil omnino, quod expressum in Scriptura non habeatur, etiam in vita civili, rectè fieri volunt, disertè tamen Scripturæ Sacræ perfectionem adversus Pontificios propugnat. At hic Apologista, qui alias Calumniarum in Ecclesiam Anglicanam parcus esse non solet, istum tamen errorem simpliciter ac directè ei attribuere non est ausus. Verùm asserit & probare satagit (quod eodem recidit) quodque mihi hominis istius mentem aperit, *Iis Ritibus, significativis nempe, quibus utitur, quibusque uti fas esse censet Ecclesia Anglicana, Scripturæ Sacræ perfectioni derogari, & Prophetico Regioque Christi officiis detrahi, atque Ecclesiæ Apostolicæ negligentiam adscribi.* Istud verò quo jure quâve injuriâ jam hic nobis dispiciendum.

Hooker. Polit. Ecclesiastic. lib. 2. sect. 8.

Apol. p. 63.

Omnia hæc media, lubens, inquit, *persequerer, nisi operam meam feliciter antevertissent* Amesius & Henricus Jeanes *in agro* Somersetensi *concionator, quibus nescio an umquam respondere aggressi fuerint Hierarchici.* Certè tanti non sunt *Amesii Jeanesiique* de hoc argumento Scriptiones, ut de iis refutandis multùm esse solliciti debuerimus; quod patebit sub finem hujus Capitis, ubi quæ ex illis depromplit Apologista, discutientur.

discutientur. Ne tamen isti duo de Hierarchicis triumphasse diutius ipsi videantur, discat quandoquidem id nescit, utriusque illorum aliorumque ejusdem farinæ Scripta, ut alios taceam qui Anglicè scripserunt, à *Georgio Ritschelio, Hexamiæ* in *Northumbria* Ministro, Viro Eruditissimo, solidè refutata esse *Dissertatione Unicâ de Ceremoniis Ecclesiæ Anglicanæ, quâ usus earum licitus ostenditur & à Superstitionis & Idololatriæ crimine vindicatur*. Sed ne sint Lectores aliò ablegandi, ego hìc ad ea omnia quæ isti nobis objiciunt, & pondus aliquod habere videntur ad probandum Ritus nostros ejusmodi esse, ut institui atque usurpari nequeant quin Verbo Dei in Scripturis revelato, & Christo Regi, Prophetæque nostro unico ingens fiat injuria, atque Ecclesia Apostolica negligentiæ rea peragatur, quam brevissimè potero respondere non gravabor. Quò autem hoc Controversiarum nostrarum Caput rectiùs intelligatur, & ab utra parte, nostrâne an vero Adversariorum stet veritas, clariùs dignoscatur, 1. De Scripturæ Sacræ perfectione. 2. De Prophetico Regioque Christi officiis, in quibus scilicet consistant. 3. De Ecclesia Apostolica, quodnam fuerit, scilicet, illius circa Rituum indifferentium institutionem officium. 4. Denique de Rituum ipsorum variis generibus, nonnulla præmitti necesse est.

Prostat Londini apud Jos. Nevil ad insigne Arati.

§. Cùm Ecclesiarum Reformatarum Doctores uno ore Scripturæ Sacræ perfectionem adversus Pontificios attribuunt, id non simpliciter & absolutè, sed secundum quid & relativè duntaxat, nempe ad eum finem, cujus gratiâ Scripturæ Sacræ, Dei beneficio nobis traditæ sunt, hoc est, ad viam salutis hominibus plenissimè demonstrandam, sternendamque debet intelligi. Scripturam igitur ideò perfectam jure meritoque dicimus, quòd ea omnia quæ necessariò scire, credere, sperare atque observare homines in hoc sæculo tenentur, ut serventur in futuro, doceat, proponat, ac præcipiat. Id autem facit duobus modis, scilicet aut expressè, & totidem verbis, aut analogicè & æquivalenter, ut inde per legitimam consecutionem elici possint. Unde non tantùm quod Scripturæ Sacræ adversatur, sed quicquid ex ea aut disertè κατὰ τὴν λέξιν, aut per consequentiam legitimam probari nequit, id eo ipso neque scitu, neque creditu, neque factu ad salutem nobis necessarium esse, constat; sed rejiciendum tanquam temerariorum superstitiosorumque hominum ἔνταλμα, quo Deum frustra coli ipse Dei Filius testatur, si cultus Dei sive internus, sive externus in eo reponatur. Intereà non negamus, neque negant cæteræ Reformatæ Christi Ecclesiæ, quin fieri possint ac debeant tum circa modum docendæ discendæque doctrinæ in Scripturis traditæ, tum circa cultum ibidem institutum Constitutiones ac Determinationes, non quibus seu doctrinæ, seu cultui quicquam addatur (iis enim quicquam addi nefas) sed ut doctrina faciliùs tradatur atque intelligatur, firmiùsque memoriæ infigatur, & ut cultus majore cum decentia & Numinis

nis reverentiâ, atque adeo uberiore cum fructu fidelium peragatur. Egregiè hìc *Amyraldus*, libro, *de Secessione ab Ecclesia Romana & Pace inter Evangelicos conciliandâ*, postquam de diverso corporis gestu, quo Reformati Eucharistiam participant, disseruit; "Atque omnibus sanè, "*inquit*, eò liberiùs esse debet, frui quemque suo Ritu suâque consuetu- "dine, quod neque Christus, neque Apostoli quicquam de eo disertè "præceperunt. Jussit enim quidem Servator ut Panem & Vinum ad "eam rem adhiberemus, & ut ederemus ac biberemus in sui commemo- "rationem. Reliqua quæ ad Sacramenti circumstantias pertinent, per- "misit ei Sapientiæ quam Spiritus propediem è Cœlo mittendus Eccle- "siæ Christianæ suppeditaturus erat. Idem antè eum docuerat præ- stantissimus *Bucerus*. "Constat etiam (inquit, in Epist. ad *Hopperum*) "Dominum nostrum Jesum Christum substantiam tantum Mi- "nisterii, cùm verbi tum etiam Sacramentorum, suis verbis nobis præ- "scripsisse, & cætera omnia quæ ad decentem & utilem administratio- "nem mysteriorum ejus pertinent, ordinanda permisisse Ecclesiæ. Debent autem, quæ eò spectant Constitutiones in generalibus, quæ in Scriptura de rebus ejusmodi habentur, regulis (nam speciales ibi nullæ traditæ sunt.) fundari, *& ad pietatem promovendam* (inquit Doctissimus *Zanchius*) *hoc est, tum ad internum cultum qui consistit in fide, spe, charitate & bonâ Conscientiâ excitandum, conservandum, & promovendum, quàm ad externum, qui consistit in Sacramentorum perceptione & precibus publicis reverentiùs exercendum, dirigi atque accommodari.* Accuratè hæc cuncta, id est, & Scripturæ Sacræ perfectionem & Constitutionum Ecclesiasticarum legitimarum, expreßè in Sacra Scriptura non contentarum, æquitatem necessitatemque his verbis asserit celeberrimus *Calvinus*. "Quia Dominus & totam veræ justitiæ summam, *inquit*, "& omnes cultûs Numinis sui partes & quicquid ad salutem necessari- "um erat, Sacris suis Oraculis tum fideliter complexus est, tum perspi- "cuè enarravit, in his solus Magister est audiendus. Quia autem in "externa Disciplina & Ceremoniis non voluit sigillatim præscribere "quid sequi debeamus (quod istud pendere à temporum conditione "prævideret, neque judicaret unam Sæculis omnibus formam conveni- "re) confugere hìc oportet ad generales quas dedit regulas, ut ad eas "exigantur quæcunque ad ordinem & decorum præcipi necessitas Ec- "clesiæ postulabit. Postremò quia ideo nihil expresse tradidit, quia "nec ad salutem hæc necessaria sunt & pro moribus unjuscuiusque gentis "ac Sæculi variè accommodari debent ad Ecclesiæ ædificationem, prout "Ecclesiæ utilitas requiret, tam usitatas mutare, & abrogare, quàm no- "vas instituere conveniet. Quibus subjungendum quod eodem loco "paulò antè habet. Id tantùm semper in istis observationibus exci- "piendum est, ne aut ad Salutem credantur necessariæ, atque ita Consci-

Pag. 237.

Zanchius. Tom. 8. de Sacra Scriptura. p. 389.

Calvin. Instit. l. 4. c. 10. n. 30.

" entias Religione obstringant, aut ad Dei cultum conferantur, atque " ita in illis reponatur pietas.

§. 2. De Prophetico Regioque Christi muneribus necesse non est ut hic longus Sermo instituatur, quum ad utrumque referri possint, quæ jam de Scripturarum perfectione disseruimus. Prophetis Deus olim sub Lege usus est quasi internunciis, ut populum suum in iis quæ ad salutem consequendam spectabant, eorum operâ erudiret. At quamvis quæ de Christo venturo deque humani generis redemptione ab eo perficienda, vaticinabantur, & quas conciones ad Legem explicandam & Sanctimoniam promovendam apud populum habebant, ad eorum salutem qui sub illa dispensatione vivebant, si modò Prophetarum vaticiniis crederent, & monitis obtemperarent, abundè sufficerent; plenior tamen eorum omnium Revelatio, magno illi Prophetæ quem Deusad eos aliquando se missurum promiserat, reservabatur, & ab eo expectabatur,ut ì vel ex illa *Samaritana* mulieris voce, *Messias cùm venerit docebit nos omnia*, videre est. Unde Apostolus ad *Hebræos* postquam dixit, *Deum multifariam multisque modis olim loquutum Patribus in Prophetis*, addit, *eum novissimè diebus istis, loquutum esse nobis in Filio*; iis verbis innuens, complementum Divinæ Revelationis in doctrina Christi Domini contineri. Quod ipsum plenissimè de Cœlo Pater ipse declaravit, cùm vox illa remotis *Moise* & *Eliâ*, qui cum Christo ad ostendendam Evangelii cum lege & Prophetis Concordiam, in Transfiguratione visi fuerant, *Petro*, *Johanni* & *Jacobo* audita est; *Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite.* Nam perinde est ac si omnibus aliis silere jussis, hunc unum deinceps, Prophetam illum scilicet, qui venturus erat, loquuturum, atque ideo unum, neque alium præter illum, in Ecclesia audiendum pronunciasset. Ut huc redeat Christi dignitas Prophetica, quòd ea quam tradidit doctrina, æternum scilicet Evangelium, summam Divinæ Revelationis, quâ quidem ad Salutem perveniamus, adeo perfectè complectatur, ut si quæ alia dogmata quocunque prætextu illi assuantur, ea pro vanis atque perniciosis Satanæ figmentis, non pro Revelationibus Divinis habenda sint, ideoque prorsus respuenda. Verum Propheticæ huic Christi Domini dignitati nihil decedit si de circumstantiis tradendæ propagandæque animisque penitiùs infigendæ Cœlestis illius doctrinæ quam de sinu Patris attulit, ab iis, quibus illud juris concessum esse voluit, id est, Ecclesiæ Pastoribus, Constitutiones fiant; non æternæ quidem obligationis ac quasi partes Divinæ illius Revelationis (qui Pontificiorum circa suas traditiones non scriptas, Error est) sed quasi res ex sese indifferentes, proindeque mutabiles, prout Ecclesiarum Dei Rectoribus expedire videbitur, *Liberâ quidem Conscientiâ & sine Superstitione, piâ tamen & facili ad obsequendum propensione observanda, non contemptim habenda, non supinâ negligentiâ prætereunda, tantum abest*

Calvin. *Instit.* l.4. c.10. n.31.

est ut eas Christianus populus per fastum & contumaciam violare aperte debeat, ut habet *Calvinus*, cum de Circumstantiis ejusmodi ipsi Christo Domino nihil statuere visum sit, ob causas suprà ab eodem Authore memoratas.

§. Regium Christi munus quod attinet, illud in rebus multis positum est, quibus eum jus summum in Ecclesiam suam universam sibi comparasse, ipsique in æternum merito competere constat. Nam & illam servitute pressam, à Diaboli, peccati, mundi, mortis potestate redemptam & in libertatem vindicatam adversus istorum omnium infestissimorum potentissimorumque hostium impetus tuetur, & verbi sui Sceptro regit & Spiritûs internâ vi sustentat & gratiâ locupletat, & aliis denique spiritualibus beneficiis, quotquot ad felicitatem cùm præsentis, tum etiam futuræ vitæ conducunt, jugiter cumulat. Unde Christo Domino Ecclesiæ jure Regio imperandi potestas, Ecclesiæ autem tamquam Regi summo parendi obligatio, meritissimè competit; Et quemadmodum Christo soli in Ecclesiam imperium concessum, sic Ecclesiæ una obsequii gloria relicta est. Juris autem Regii cum pars memorabilis sita sit in Legum ferendarum authoritate, eam nemini præterquam ipsi Christo Regi ac Domino in Ecclesia, illius Regno scilicet, concedi par est. Sed Leges intellige quæ ad Essentiam Religionis, Ecclesiæque Universæ gubernationem atque conservationem pertinent, non quaslibet de rebus quibuslibet Constitutiones, quæ aut ad Religionis exercitium, aut Ecclesiarum Particularium statum, quocunque modo referri possunt. Nam sicut in Regno Leges aliæ sunt *Fundamentales* quibus quasi fundamentis tota Regni compages innixa stat, ita ut neque tolli ab iis neque illis addi quicquam possit, quin tota Regni ratio immutetur ac funditus corruat; aliæ *Communes*, quæ omnium totius Regni incolarum cujuscunque ordinis Jura respiciunt, suumque unicuique tribuunt; aliæ denique *Municipales*, quæ non ad Rempublicam universam, non ad omnium communitatem, sed ad singulas Civitates & Municipia speciali jure spectant, ut concordia inter uniuscujusque Municipii Cives alatur & omnia juxta præscriptum Legum à Principe universæ Reipublicæ impositarum decenter atque ordine in singulis Civitatibus gerantur. Quarum quidem Constitutionum potestas cuilibet Civitati ac Municipio ubivis Gentium à Principibus ferè permitti solet, cùm eâ ratione nihil aliud intendatur quàm ut Principis voluntati Legibus & Edictis declaratæ, melius obtemperetur; tantùm abest ut illius authoritati summæ in ferendis Legibus quicquam decedat. Sic in Ecclesia quamquam Christus, Cultûs rationem essentialem qua Dei Numen coli debet, Legibus suis, quas ipse Ecclesiæ suæ Universali, omnibusq; ac singulis fidelibus ubique locorum ad finem usque Sæculi tulit, præfinitam esse voluit, ut illi quicquam addere aut detrahere mortalium nemini fas sit; haud tamen vetuit ne ab

 iis,

iis, quos Ecclesiæ suæ in unaquaque Gente præfici placuit, Constitutiones fiant de Cultûs divini Circumstantiis, ut decenter atque ad majorem omnium ædificationem celebrari possit. Imo vel inde constat id juris Ecclesiæ Moderatoribus à Christo Rege concessum esse, quòd etiamsi absque ejusmodi Constitutionibus, Deum quâ par est gravitate, decentiâ, reverentiâ, imo omnino publicè coli impossibile sit; nullas tamen seu ab ipso Christo Domino, seu a Christi Apostolis ipsius in Ecclesia Ministris primariis, & in Legibus Ecclesiæ scribendis Amanuensibus fidissimis nisi generales, aut particularibus quibusdam Ecclesiis quasdam particulares & temporarias latas videmus. Hinc enim sequitur Christum, aut Ecclesiæ suæ Universæ in re haud exigui momenti defuisse, quod nemo Christianus dixerit; aut, ut ei ab Ecclesiarum particularium Moderatoribus hac in parte pro prudentia prospiceretur, intendisse. Quod ex Apostolorum tam Scriptis quàm praxi factum esse constat, uti postea manifestum faciemus. Quid verò hic Christi Regiæ dignitati detrahatur, cùm nihil eâ ratione fiat præter ipsius voluntatem & eorum Ministrorum exemplum, quos cæteris in Ecclesia sua ad finem usque Sæculi, in iis quæ ad Ecclesiæ ædificationem quoquomodo pertinent, exemplo suo præire & quasi viæ duces esse voluit, *Argo* ipso oculatiorem esse oportet qui videat.

§. 3. Ex his facilè intelligere est, quod *Tertio loco* dispiciendum nobis proposuimus, videlicet quodnam fuerit Ecclesiæ Apostolicæ Officium circa Cultûs divini Circumstantias. Nam cum Christus jus illud Ecclesiæ suæ per omnes ætates ad consummationem usque Sæculorum permiserit, ut de rebus ejusmodi eas Leges sibi ferat, quæ pro temporum, locorum, personarumque ratione atque rerum statu maximè expedire & ad ædificationem facere videbuntur, modò nihil statuatur contra generales regulas, quæ de his in Scriptura Sacra habentur; nihil aliud ab Ecclesia Apostolica, hâc in parte, expectari debuit, quàm ut intra limites à Christo Domino positos, sese contineret, & eos Ritus liberâ Conscientiâ observandos sibi deligeret, quatum aptissimi videbantur ad plebem ædificandam in charitate. Potuit itaque Ecclesia Dei quasdam Circumstantias & quosdam in Cultu divino celebrando Ritus observare Apostolorum ætate, quos sequentium Sæculorum Ecclesiæ prætermittere non fuit nefas. Potuit & quibusdam carere sub Cruce gemens ac minùs numerosa, quos adhibere debuit, si ex iis fructum à fidelibus perceptum iri credidit, cùm ex profundo persecutionum emersit, cùmque inter populos longè latèque diffusa est. Certè nonnulla ab ipsis Apostolis instituta, Osculum sanctum putà & convivia sacra in ipso fidelium cœtu inter Eucharistiæ Solennia, celebrari solita, quas *Agapas* vocabant, Ecclesia postea tollere non dubitavit. Quod illius factum ne ipsi quidem Adversarii damnant aut improbant, quin potius confirmant cùm ab iisdem

dem institutis ubique abstineant. Atqui ejusdem potestatis est Ritus & alia quævis instituere, cujus est abrogare. Fatendum igitur aut peccatum ab Ecclesia, cùm ea Apostolorum instituta abrogavit, & etiamnum peccari cum non observet; aut rerum ejusmodi potestatem penès illam esse quovis ævo & loco, ut omnes id genus observationes, instituere, mutare, abrogare possit ac debeat pro fidelium commodo. Proindeque nec Ecclesiam Apostolicam negligentiæ, quòd quosdam Ritus qui in hodierna cum ædificatione observantur, haud instituerit; nec Ecclesiam hodiernam arrogantiæ, quòd eos observet qui non sunt ab Apostolica instituti, accusari posse. Unde liquet, ut illud hic obiter annotem, Ecclesias Christi fide & moribus concordes, Ritibus vero & Cultûs Circumstantiis diversas, alias aliis ob eam diversitatem offendi non debere: Cùm eadem Ecclesia alio atque alio tempore à se ipsâ etiam aliquando diversa sit, imò, pro diverso rerum statu, diversa in his externis (alioquin eadem semper) esse debeat.

§. 4. Superest ut de Ritibus in genere pauca annotemus. Rituum alii ad Essentiam Cultûs externi (de hoc enim impræsentiarum Sermo fit, non de interno qui fide, spe, *&c.* constat) alii ad Circumstantias & accidentia tantùm pertinent. Ad Essentiam Cultûs pertinent ii quibus Deus propriè colitur; ad Circumstantias & accidentia quibus ordo decorum ac dignitas in Cultu peragendo constituuntur & servantur, reverentia excitatur, fidelium denique major ædificatio procuratur. Ritus Cultui externo Essentiales non nisi à Deo institui possunt: Circumstantiales seu Accidentales modo Deum ipsum, modo etiam homines Authores habent. Ritus à Deo instituti seu ad Essentiam Cultûs, seu ad Circumstantias & Accidentia tantùm referantur, necessariò sunt observandi, nec eos nisi ab ipso Deo mutari & aboleri fas est. Ritus ab hominibus instituti necessariò quidem, quamdiu Sancientium Leges obtinent, liberâ quidem Conscientiâ vel propter instituentium authoritatem (quam legitimam, nempe à Deo ipso illis concessam vidimus, si sint Ecclesiæ gubernandæ legitimè præpositi) observandi sunt, sed mutari & prorsus abrogari possunt ac debent, aut retineri (sicut institui) pro Ecclesiæ commodo, non ad cujuslibet privati hominis arbitrium, sed cùm ita Superioribus visum fuerit. Sub antiquo Legis fœdere Circumstantiales Ritus Deus ipse ferè solus instituit; sub novo nullos nisi Essentiales commendavit, Circumstantialibus omnibus in Ecclesiæ potestate relictis. Ritus Essentiales à Christo Domino instituti sub Evangelio (Nam de Ritibus qui sub lege obtinuerunt, nihil opus est jam ut dicamus) Supernaturalem Dei gratiam significant simul & exhibent, promissionesque divinas obsignant ritè dispositis. Ad quos effectus Ritus nulli ab hominibus quâcunque authoritate præditis institui debent aut possunt quin in ipsius Dei Thronum involetur, cùm illius unius sit gratiam

tiam suam quâ ipsi libitum fuerit, viâ & ratione dispensare, & promissiones hominibus factas obsignare. Accidentalibus verò seu Circumstantialibus Ritibus, quales sunt gestus, vestitus, *&c.* hominis Officium significari ac doceri, & ad illud præstandum fideles excitari nihil vetat, siqui ad eas res apti reperiantur, seu a natura, seu ab hominum instituto & receptâ consuetudine id habeant. *Omnis enim creatura Dei*, prout in hac ipsa materia, superiore Capite rectè monuit *Bucerus*, *bona est in bonum, etiam usu significationis. Quomodo privabimus Ecclesiam hac libertate ut non possit suis actionibus & Ritibus aliquid significare, modò id fiat non statuendo Cultum Dei, modestè atque paucis*, inquit *Martyr* ibidem. Neque enim magis vetuit Deus Ecclesiam suam aliis signis ab iis quæ ipse instituit, quam aliis verbis, ab iis quæ in Sacris Scripturis tradidit, doceri & ad pietatem excitari, modo signis quæ ad eam rem adhibebuntur, nihil nisi quod signorum humanæ Institutionis est, nempe vis significandi, non autem quicquam operandi, tribuatur. Ex quibus cordato cuivis & præjudicatis opinationibus non obcæcato Lectori quin liqueat nullus dubito, neque *Perfectioni Scripturæ Sacræ derogari; neque Prophetico, Regioque Christi Muneribus detrahi; neque Ecclesiæ Apostolicæ negligentiam ascribi*, etiamsi lineâ Veste (nam de ea nominatim nobis Sermo est) Christi Ministri tum ad decorum & distinctionem, tum etiam ad piam Officii sui Commonefactionem Sacra celebrantes, Superiorum jussu induantur; aut alii ejusmodi Ritus, *significativi* nempè, non ad Cultum Dei, non ad illius gratiam aut conferendam, aut promerendam, & justificationem eâ ratione coram Deo consequendam (quod faciunt Pontificii) sed ad eos usus duntaxat, quos dixi in Sacris peragendis adhibeantur, quamvis de iis taceat Scriptura Sacra, & iis caruerit Ecclesia Apostolica. Quin confido Doctos omnes inter Reformatos, re consideratius pensitatâ, Puritanorum & risuros imperitiam, qui nec Scripturæ Sacræ perfectionem, nec Prophetici, Regiive Christi Muneris rationem, nec Ecclesiæ Apostolicæ denique Officium circa Adiaphora, intelligunt; Et indignaturos insanum furorem, qui propter res ejusmodi, quarum naturam neque sciunt, neque scire volunt, Ecclesiam Reformatarum omnium florentissimam, funditus tantùm non everterint. Possem itaque hic manum tollere de tabula. Istorum tamen Objectiunculas, adversus Ritus significantes, quo faciliùs ab errore revocentur, diluere non gravabor. Prius autem ostendam Ecclesiam Christianam ab ipsis Apostolorum temporibus ad hodiernum usque diem talibus Ritibus numquam caruisse, nec carere, ex Virorum apud Reformatos Doctissimorum Celeberrimorumque sententiâ, posse aut debere; denique & apud ipsos Puritanos in defœcatissima illa, quam somniabant Ecclesiæ Reformatione, nonnullos etiam obtinuisse; quo manifestum fiat eos clamoribus suis adversus Ritus significantes, non Ecclesiam Anglicanam duntaxat

duntaxat sed cæteras omnes Reformatas & ipsam Ecclesiam Apostolicam impetere, & ipsos hac in parte, sibi non constare.

§. 1. Apostolorum ætate manus inter orandum levabant fideles: Quod ex S. *Paulo*, 1 Tim. 8. liquet, ubi ad Ritum tum in orando consuetum respiciens, *volo*, inquit, *Viros orare in omni loco, levantes puras manus.* Quibus verbis non jubet ut manus inter orandum attollantur; id enim dubio procul à fidelibus pro more Judæorum ne dicam Gentium omnium communiter observabatur, sed ut *puræ* attollantur, hoc est, ut sint sanctæ & innocuæ. Illa autem manuum sublatio Ritus erat significativus, & ideo in Oratione usurpabatur, quod qui in aliquo periculo versantur, manus ad eos tendere soleant, à quibus opem sperant & petunt. Unde attolluntur ad Deum cùm auxilium ab eo imploratur, quoniam in Cœlis esse creditur.

§. 2. In Epistola ad *Ephesios, cap.* 3, 14. idem Apostolus dicit, *Se flectere genua ad Patrem Domini nostri Jesu Christi*; hoc est orare, *rem*, uti rectè observat *Calvinus, signo denotans, quoniam hoc reverentiæ signum in Oratione maximè ubi seria est, communiter adhibetur.* Unde & hic quoque Ritus, significantibus, quibus utebantur fideles Apostolorum Sæculo, jure annumerandus est.

Calvin. *Comment. in hunc locum.*

§. 3. Capite superiori vidimus Apostolum, juxta *Petri Martyris* sententiam, quando statuebat, 1 *Cor.* 11. ut mulier esset operto Capite & Vir aperto, rationem significationis tantùm ursisse. *Et quamvis aliquis illi ex Corinthiorum Ecclesia respondere potuisset*, inquit *Martyr*, *præstet se Vir caput mulieris & mulier subjectam Viro se factis & vitâ demonstret, non id signis declarare contendant; vidit tamen Apostolus, & hoc utiliter fieri ut non tantùm rectè vivamus, sed etiam verbis & signis de Officio admoneamur.* Rectè etiam *Calvinus* & admodum appositè ad propositum nostrum, in eumdem locum Apostoli ad versum 3. *Vetus Proverbium est*, inquit, *ex malis Moribus, nasci bonas Leges. Quia nondum Ritus iste de quo disseritur, venerat in quæstionem, de eo* Paulus *nihil præceperat; Erratum* Corinthiorum *in causâ fuit ut doceret quod honestum erat factu in hac parte.* Itaque hic etiam Ritus significativus in Ecclesia Apostolica observatus rectè dici potest, primùm ex recepta consuetudine, deinde etiam ipso Christi Apostolo præcipiente.

Vide *supra* Petr. Martyr ad Hopperum.

Calvin. *comment.* in 1 Cor. 11. 3.

§. 4. Osculum Sanctum, cujus meminit S. *Paulus* Epist. ad *Rom.* 16. 16. 1 *Cor.* 16. 20. 2 *Cor.* 13. 12. & S. *Petrus* 1. *Ep.* 5. 20. quod Symbolum concordiæ & mutuæ Charitatis erat, Ceremonia quoque fuit Apostolorum ætate in Ecclesiis Dei usitata. *Verisimile est*, inquit *Calvinus* in 1 *Cor.* 16. 20. *Paulum de Solenni osculo hic loqui, quo se in Sacro conventu salutabant. Facilè enim crediderim, jam ab ætate Apostolorum, Cœnæ administrationi conjunctum osculum fuisse.* Et

Ibid. in 1 Cor. 16. 20.

Theodorus

Bezæ Annot. in N.T. in 1 Cor. 16. 20.

Justin Martyr. Apol. 2.

Tertull. lib. de Oratione.

Augustin. Serm. 83. ad Diversos.

Theodorus Beza ad eumdem locum hæc habet, *Salutate aliis alios osculo sancto, id est*, inquit, *sanctè amate inter vos. Petita est autem hæc loquutio vel à consuetudine illâ mutuò sese osculandi in salutando, Judæis magis quam Græcis familiari; vel mutua osculationis Ritu in Cœna Domini, ad summam illam animorum consensionem declarandam. Quem Ritum diserte declarat* Justinus *Apologetico secundo.* Verba *Justini* hæc sunt, in Sacrorum Christianorum descriptione, ἀλλήλους φιλήματι ἀσπαζόμεθα παυσάμενοι τῶν εὐχῶν. *Tertullianus* osculum illud sanctum modò *pacis osculum*, modò *pacem* vocat; vel quòd eo concordia quæ inter Christi membra vigere debet, significabatur; vel quòd tum demum sese osculabantur fideles, cùm pronunciata essent hæc antiquæ Christianorum Liturgiæ verba Solennia, *Pax vobiscum*. Id enim ex *Augustino* fieri solitum discimus. *Post ipsam* (Orationem Dominicam intelligit) *dicitur pax vobiscum, & osculantur se Christiani in osculo sancto, quod est signum pacis, si quod ostendunt labia, fiat in Conscientia, id est, quomodo labia tua ad labia Fratris tui accedunt, sic cor tuum à corde ejus non recedat.* Supervacaneum foret ad sequentium ætatum Ecclesiam descendere, cùm ultro concedant Adversarii omnis generis Rituum plus satis in ea obtinuisse. Quod de posterioribus Sæculis certum est, nec ab ullis Reformatis nedum à nobis, ut in Præfatione Liturgiæ nostræ videre est, negatur. Unde à Reformatoribus ubique non modo a falsis dogmatibus, sed & a Superstitiosis superfluisque Ceremoniis, quibus tantum non obruta erat Ecclesia Dei, sedulò repurgata est; quamquam ab aliis plus, ab aliis minus externorum Rituum retentum est, & ad hunc usque diem retinetur. Nam cùm tam altas radices egisset Superstitio, ut vix extirpari posse quibusdam videretur nisi sublatis iis omnibus Ritibus, quibus abusi fuerant Pontificii; hinc factum ut pleraque omnia Adiaphora ab illis sublata sint. Qui autem, modum in ea parte maximè excessisse creduntur, id non ideo fecisse putandi sunt, quòd ab istiusmodi Ritibus tamquam naturâ suâ malis abhorrerent; sed quòd ita temporum ratio & rerum status flagitare videretur uti modo dixi ob præcedentem abusum. Siquidem & Ceremonias quasdam, licèt oppido paucas ipsi Sacris adhibuerunt, & cum iis, quibus majorem earum numerum retinere placuit, fraternam communionem ex animo coluerunt.

Confessio Bohemica Artic. 15.

§. Omnes Reformatorum Ecclesiæ de quibus jam quæstio est, aut *Bohemicam*, aut *Augustanam*, aut *Helveticam*, aut *Gallicam*, aut *Belgicam* Confessionem sequuntur. Fratres *Bohemi* nonnisi flexis genibus Sacram Eucharistiam percipiunt, & de Ritibus in genere sic loquuntur. “Docent deinceps, nempe Fratres *Bohemi*, ne ob Ceremoniarum, “consuetudinum & Rituum discrimina, quæ in variis Ecclesiis inter “Christianos videre est, nec reclamant aut officiunt pietati, alii in aliis

“offendantur,

" offendantur, aut se vicissim contemnant, oderint & persequantur. Et eodem loco, " Quamquam etiam nostri, non omnium Ritus & mores " servant, quod neque fieri potest, neque ut ubi ubi in omnibus Ecclesiis " iidem Ritus & Ceremoniæ serventur, necessarium est; Nulli tamen " bono pioque Ritui adversantur, nec adversari animus est. Et si hu- " jusmodi Ritus nonnulli non perinde necessarii videantur, modo tamen " nihil obsint pietati, nec quicquam fidei, quæ una & justificat & beatos " reddit, detrahant, non rejiciendos putant. Et verba factis comprobant. Nam quamquam multis Ritibus carent qui in Ecclesiis *Augustanæ* Confessionis usurpantur, iis tamen sine scrupulo conscientiæ, ut in re liberâ, sese accommodant, quandocunque apud eas versari contingit. Quod fit non modò ab hominibus privatis pro arbitrio, sed ab ipsis Ecclesiæ Ministris & Antistitibus, idque ex decreto Synodico; cui etiam subscripserunt Ecclesiarum *Helveticæ* Confessionis per Regnum *Poloniæ*, & magnum Ducatum *Lithuaniæ* dispersarum Delegati, prout videre est in Celeberrimo illo & nunquam satis laudando Consensu *Sandomiriensi*. Adhibetur quoque in *Bohemorum* Reformatorum Ecclesiis Ritus Manuum Impositionis, cùm pueri jam adulti fidem suam in Christum ipsi coram Ecclesia profitentur & in ea, invocato super illos Nomine Divino, confirmantur, antequam ad Sacræ Eucharistiæ participationem admittantur. Stantes audiunt Verbum Dei prælectum fideles in *Polonicis Lithuanicisque* Reformatorum Ecclesiis, & pectora tundunt peccata confitentes. In iis omnibus Ecclesiis Matrimonio copulandorum dextræ à Ministro prehensæ in signum mutui consensûs futuræque animorum conjunctionis perpetuæ, junguntur. Qui Ritus observatur in Ecclesia *Basileensi*, prout disco ex illius Ecclesiæ *Agendis*, quæ rogatu meo Vir Reverendus D.D. *Gernlerus* illius Ecclesiæ Antistes Dignissimus, & in Academia Sacrarum litterarum Professor Eruditissimus in Latinum Sermonem transferri curavit, & Typis edita ad me per *Jacobum Rudolphum Batterium* Virum Ornatissimum transmisit. Adhibetur idem Ritus ad rem eamdem significandam, in aliis plerisque Ecclesiis Reformatis. In *Hungaricis, Transylvanicis*, quæ *Helveticam* Confessionem sequuntur, ut & in *Helveticis Belgicisque* atque etiam *Germanicis*, quæ *Calviniana* ad *Lutheranorum* distinctionem audiunt, hoc est, in Reformatis omnibus Ecclesiis, si *Genevensem* & *Gallicanas* exceperis, aspersio trina in Baptismo ad significandam personarum Divinarum Trinitatem usurpatur. *Genevensis & Gallicana*, ut & aliæ pleræque, stantes communicant; *quòd Status ille*, inquit *Amyraldus*, *habeat aliquam reverentiæ significationem, quæ sanctæ isti actioni maximoperè convenit*. Manuum Impositio, Ceremonia utique significativa, in Ordinatione Ministrorum apud plerosque Reformatos cujuscunque Confessionis adhibetur. Aperto Capite apud omnes Reformatorum

Vide *Consensum* Sandomiriens. *in Syntagmate Confessionum*.

Vide *Ration. Discip. Fratr.* Bohem. c. 3.

De Secess. ab Eccl. Rom. p. 235.

matorum Ecclesias, ne unâ quidem exceptâ, orant, communicant & Sacri Baptismatis administrationi intersunt fideles, eo *animi sui humilitatem, reverentiamque Deo debitam* (prout habet Disciplina Ecclesiarum *Galliæ, Cap.* 10. *Artic.* 1.) testificantes. Quam tamen Ceremoniam, significativam licèt, in Cœtibus suis ipsi quoque *Presbyteriani* observabant. Conciones Sacras etiam eorum Ministri semper Capite nudo habuerunt, neque trinam in Baptismo aspersionem ipse improbat Apologista. Ritus Symbolicos in *Augustana* Confessionis Ecclesiis obtinere adeo vulgò notum est, ut hic quicquam in eo genere de iis dicere nihil necesse sit. Quoniam vero, ait Apologista, se suosque *Presbyterianos*, *Lutheranos* judices non refugere, *modo Principiis suis stare velint*, abs re non fuerit annotare in ipsa Confessione, quam *Melanchthon* adornavit, & ipse *Lutherus* approbavit, quamque ab initio Reformatæ Religionis amplexæ sunt omnes *Germanorum* Protestantium Ecclesiæ, disertè affirmari, *Ceremoniis opus esse quæ* DOCEANT *imperitos*; quod nisi earum significatione fieri nequit. *Calvinum* suprà laudavimus dicentem, *se de Ceremoniis non litigare, quæ decoro tantùm & ordini serviant, vel etiam* SYMBOLA SINT ET INCITAMENTA *ejus quam Deo deferimus reverentiæ*; & eodem loco, postquam in Superstitiosas Ecclesiæ Romanæ Ceremonias acriter pro meritis invectus est, hæc subjicit, quæ etiam à nobis jam observata sunt, *Ergóne*, iniquit, *nihil Ceremoniarum rudioribus dabitur* AD JUVANDAM EORUM IMPERITIAM? *Id ego non dico.* OMNINO ENIM UTILE ESSE ILLIS SENTIO HOC GENUS ADMINICULI. *Tantùm hic contendo ut is modus adhibeatur, qui Christum illustret, non obscuret. Proinde modus ut retineatur, illam in numero paucitatem, in observatione facilitatem, in* SIGNIFICATIONE *dignitatem, quæ etiam claritate constat, retinere necesse est.* Tantùm abest ut Ceremonias ideo illicitas, atque repudiandas censeat quòd institutæ sint, ut Officii fideles admoneant, & eos significatione suâ ad præstandam Deo debitam reverentiam incitent & adjuvent, illiusque Symbola sint, ut nullas nisi quæ sint ad illos usus comparatæ, & quæ decoro & ordini serviant, admittat & in Ecclesia obtinere patiatur. In *Esaiam* verò *Cap.* 58.5. Hæc habet, *si quæratur an saccus & cinis nostro tempori conveniant?* "Respondeo res esse medias quibus in ædificationem uti licet. Item; "Nihil prohibet quo minùs supplicum more sordidas Vestes induant qui-"bus propositum est reatum suum fateri. Possem hic alios plurimos, Viros Doctissimos atque in Ecclesiis Reformatis Celeberrimos idem hic cum *Luthero*, *Melancthone* & *Calvino* sentientes laudare. Nam superiore Capite *Bucerum*, *Martyremque* vidimus prolixè, eamdem sententiam & profitentes & rationibus idoneis adversus Puritanos fulcientes;

In Præfatione.

Pag. 101.

August. Conf. Tit. de Missa.

Calvin. Instit. l. 4. *c.* 10. *n.* 30.

Ibid. n. 14.

tes; itemque Eruditissimum *Zanchium* affirmantem quòd *propter significationem magis deceret Vestis linea quàm lanea Ministrum in Sacramentorum administratione.* Nec ullum alicujus nominis Scriptorem Reformatum (maximè ex illis Vetustioribus quorum authoritas hìc potissimùm spectanda) me legisse memini à quo Ceremoniæ significativæ, qua tales, modò illis ad spirituales effectus nulla virtus supernaturalis attribuatur; nec in earum usu meritum & justificatio quærantur aut Cultus ponatur, simpliciter improbentur, ne excepto quidem *Theodoro Bezâ.* *Nam quamquam Ritus omnes Symbolicos semel ex Ecclesia Christiana profligari oportere affirmat*, in ea Epistola quam ad R. *Grindallum* tum *Londinensem* Episcopum scripsit, *Anno 1566.* eâdem tamen Epistolâ paulo superiùs, quid sibi velit per *Ritus Symbolicos*, declarat; nempe *Ceremonias Sacramentales & rerum spiritualium significativas.* Non dicit significativas officii hominum, sed *rerum spiritualium*; nec intelligit significativas simpliciter, sed ita significativas ut etiam exhibitivæ habeantur. Alioqui ipse sibi non constaret, cùm alio loco de rebus iisdem differens, agnoscat, *Geniculationem dum Symbola Eucharistiæ accipiuntur, speciem habere piæ & Christianæ Venerationis, ac proinde olim potuisse cum fructu usurpari*; cùmque contra *Balduinum* scribens, concedat, *aliquando olim fuisse signaculi Crucis usum adversus Persecutores*; & cùm profiteatur, *se scire, nonnullos, qui sublatâ Crucis adoratione, aliquem signi Crucis usum retinuerunt; quos vult, uti par est suâ libertate uti.* Nam utraque illa Ceremonia Symbolica est. Neque ullus signaculi Crucis apud Reformatos, a quibus solis sublata est Crucis adoratio, usus est nisi in significàndo. Agnoscit etiam Vir Clarissimus in ea ipsa ad *Grindallum* Epistolâ, *Vestes lineas* (quas bonâ conscientiâ usurpari posse negat Apologista) *rem esse verè mediam & indifferentem propter quam minimè sibi videri deserendas esse Ecclesias.* Denique Ritum mutuæ osculationis in Cœna Domini, qui erat significativus, ad animorum consensionem declarandam, in Ecclesia Apostolica obtinuisse non negat, ut suprà vidimus. Possem, inquam, plurimos Scriptores Reformatos a nobis unà cum *Luthero*, *Melancthone*, *Calvino*, in hac Controversia adversus *Presbyterianos* stantes laudare. Sed ea est trium illorum Virorum apud omnes qui repurgatum Christianismum profitentur, authoritas, ut instar omnium esse possint.

Bezæ Epistol. 1. Ep. 8.

Ibid. Epist. 12.

§. Itaque his positis, tandem venio ad solvendas Adversariorum non nostrorum modo, sed omnium quotquot sunt & umquam fuerunt, Orthodoxarum Ecclesiarum Christi, Objectiones. Concedunt *Ceremonias quæ naturaliter significant ante & citra omnem humanam institutionem licitas esse & à se religiosè observari profitentur.* Ejusmodi autem oppido paucas reperias. Nesciò an alias præter oculorum ma- Apol. p. 63.

 nuumque

nuumque ad Cœlum elevationem. Utut ſit, de iis litem nobis non movent. Verùm, quod mireris, etiamſi Ritus aliquis aptus naturâ ſit ad aliquid ſignificandum; nihilominus illius uſum rejiciendum & procul ab Eccleſia amovendum cenſent, ſi vel ad eam rem ſignificandam, ad quam naturalem aptitudinem habeat, applicetur. Hujuſcemodi eſſe dicunt lineæ Veſtis uſurpationem, ſi illius candore animi ſinceritas vitæque puritas, quæ in Chriſti Miniſtris eſſe debent, ſignificentur, ſique, uti eas ſibi comparent & in ſeſe adaugeant, admoneantur. Alioqui ſi nullâ ſignificationis habitâ ratione uſurpetur & uſurpari ab Eccleſia præcipiatur, *perinde ſibi eſſe Veſtis quâ in Sacris celebrandis utuntur alba ſit an atra; quippe qui non colore offenduntur ſed ſignificatione myſticâ; quique ultro largiuntur penes Eccleſiam eſſe ſtatuere de colore & formâ.* Apologiſtæ ipſius verba refero; quibus liquet huc tandem totam diſputationem redire. Scilicet, Ritibus uti licet vel naturâ; vel ex inſtituto ſignificantibus, ſed non quà talibus. Eccleſia poteſt ſtatuere ut Chriſti Miniſtri Sacra celebrantes albâ Veſte induantur; ut verò cogitent eam Veſtem induentes, ſe ad ſinceram puramque præ cæteris mortalibus ob ſacram quo funguntur Miniſterium, vivendi rationem obligari, & ut ad eam puritatem eo pacto incitentur, hunc ſibi ſi proponat uſum Eccleſia, grande nefas admiſſum putant. Poteſt Eccleſia præcipere ut fideles aperto Capite precentur, Verbum Dei prælectum audiant, ad menſam Domini Sacram Euchariſtiam ſumpturi accedant, *&c.* Sed ut eâ Capitis apertione animi ſui humilitatem, & quam Deo Deique Sacris debent reverentiam teſtentur, abſque piaculo ſibi proponere non poteſt. Idem de Oſculo, Genuflexione, aliiſq; Ritibus dici poteſt. Quod ſi verum eſt, peccatum hac in parte, uti ex ſuperioribus patet, ab ipſa Eccleſia Apoſtolica; peccatum a proximè ſequutorum Sæculorum Eccleſia; peccatum, peccaturque etiamnum ab omnibus Eccleſiis Reformatis; nec ipſi Puritani immunes ſunt à peccato niſi ſi humilitatem non teſtentur dum Caput aperiunt inter orandum ac communicandum & ſe alioſque reverentiæ quam Deo debent eâ ratione admoneri, & ad eam præbendam incitari non patiantur. Iſtam tamen ſuam de Ritibus Symbolicis ſententiam tam validis, tamque perſpicuis niti rationibus putant, ut vix probari indigeat. Unde uno hoc medio ex *Ameſio Jeanneſioque* eam ſic demonſtratum it Apologiſta. *Ea eſt*, inquit, *Divinæ Scripturæ perfectio, nihil ut ei addi debeat, nihil detrahi, at* Superpellicei *uſu* (in eo enim inſtat, Ritu nempe ſignificativo) *fit additio Verbo Dei.* *Reſp.* Negatur pernegaturque minor. Scilicet, quemadmodum vulgò dicitur Prætor non curare minima, ita Verbum Dei non occupatur circa Ritus ejuſmodi, qui ad Cultûs ſubſtantiam (quam ſolam Scriptura curat ac inſtituit) nihil attinent; ſed ejus ſunt mera tantùm accidentia in Eccleſiæ poteſtate poſita & pro illius arbitrio, ex prudentiæ

Ibidem. p. 101.

Ibid. in Præfat. ad Durellum.

Apol. p. 63.

tiæ & charitatis regulis applicabilia aut separabilia, prout postulaverit fidelium ædificatio. Sed sic iterum ex iisdem authoribus. *Cujus proprius usus est honor Dei & in sua natura formaliter elicitur à Religione, est Cultus externus propriè dictus. Ceremonia de qua agitur*, nempe Vestis lineæ, *proprius usus est honor Dei, & in sua natura formaliter elicitur à Religione: Ergo. Respondeo.* Multa ad majorem dici possent; Nam in rerum multarum usu quæritur honor Dei, quæ Cultus Dei propriè dictus non sunt; imo in rerum omnium usu illum tamquam finem ultimum nobis proponere debemus, juxta illud S. *Pauli*, 1 Cor. 10. 31. *Sive editis sive bibitis, sive quid aliud facitis: omnia in Dei gloriam facite*; unde *Calvinus* in Commentariis ad eum locum, non dubitat dicere vel *victum nostrum ad Dei Cultum debere destinari, & eâ destinatione Sacrum fieri.* Multa quoque in natura sua formaliter à Religione eliciuntur, si phrasin illam capio, quæ non sunt Cultus Dei, sed ad illum tantùm referuntur tamquam ejus circumstantiæ & accidentia: qualia sunt Templa, Baptisteria, Mensæ & Vasa Sacra celebrandæ Eucharistiæ, *&c.* quorum usus quoque est honor Dei. Sed ut paucis rem absolvam, si per usum proprium intelligatur usus proximus & immediatus, & per honorem Dei, honor Dei ex se & primario; & ita à Religione eliciatur, ut in eo justitia & sanctitas ab utentibus reponatur, conceditur Major. Negatur autem Minor, quæ falsissima est. Neque enim magis nos *Superpellicei* quàm alii togæ ex nigro panno confectæ usu Deum honorari credimus, neque in eo plus Religionis, justitiæ aut sanctitatis ponimus. Eâ enim Veste utimur tamquam re ex sese mediæ prorsus naturæ, sed quæ nobis, uti Clarissimo *Zanchio*, decentior aliis videtur vel propter sinceritatis puritatisque significationem, quam partim à natura habet, partim ex usu apud pleraisque Gentes recepto; Quemadmodùm alii nigris tantùm Vestibus indui Ministros volunt ob modestiam quam ex iisdem causis, præ se fert color ille, cujusque adeo, velint nolint, eâ ratione admonentur. Unde habitus nigri coloris modestus, perinde atque alba Vestis, munda puraque vulgo dici solet. Sed uno verbo ostendam quàm frustra sint miseri illi dùm sese excruciant ut Ceremonias quibus utitur Ecclesia Anglicana, probent esse Cultum Dei verè & propriè dictum. Scilicet, nihil Dei Cultus propriè dictus reverà est aut verè dici potest, nisi quod à Deo ipso institutum est, aut à Deo institutum creditur, aut eo fine ab hominibus instituitur & observatur, ut eo Deus propriè per se & immediatè colatur. Ceremoniæ nostræ à Deo nec institutæ sunt, nec esse à nobis creduntur, nec eo fine observantur, ut iis Deus propriè per se & immediatè colatur. Undè sequitur eas nec esse, nec dici posse Cultum Dei. Pontificii vero Ceremonias suas, nonnullas saltem, ad Deum Authorem referunt, & iis se Deum colere credunt ac profitentur. Unde rectè inferas eas esse, non reverà quidem, sed ex eo-

rum

rum opinione, Cultum Dei propriè dictum; perindeque cùm nihil aliud sint quàm mandata hominum, quibus Deus coli non vult, jure meritoque repudiandas & abominandas. Alio loco objicit Apologista, *in Præfatione libri Liturgici exertè affirmari, Ceremonias Ecclesiæ Anglicanæ esse significativas & aptas ad excitandum hominis ignavum animum. Quo*, inquit, *nihil fermè angustius dici potest de duobus novi Fœderis Sacramentis.* Apol. p. 107.

Respondeo 1. Locus Præfationis quem carpit ille, sic habet. *Tanta fuit harum Ceremoniarum nostrarum* (sub Papatu) *congeries, & in his plurimæ adeo obscuræ, ut Christi beneficia erga nos obruerent atque obscurarent potiùs quàm ea nobis exponerent & illustrarent. Præterea Evangelium Christi non est Ceremoniale institutum uti magnâ ex parte fuit Lex Mosaica; Sed Religio est ad colendum Deum non in typorum & umbrarum servitute, sed in libertate Spiritûs instituta, iis tantùm Ceremoniis contenta quæ decoro & εὐταξίᾳ Piæque Disciplinæ conservandæ sufficiant; & quæ aptæ sint ad excitandas insigni ac singulari quadam significatione stupidas hominum mentes ad recordationem officii sui erga Deum, ad ædificationem.*

2. Qui negat Ritibus, quorum significatio in ipsa rerum natura & longo usu receptâ consuetudine fundata sit, hominum mentes excitari, is negat solem mediâ die lucere & ignem calefacere. Id ni faciant qui dici possunt à *Melancthone*, *Luthero* & aliis quotquot *Augustanam* Confessionem amplexi sunt, *imperitos docere*; à *Calvino Symbola esse & Incitamenta reverentiæ Deo debitæ*; à *Zanchio* aliisque, *ædificare?* Saxeus sit oportet & stipite stupidior quisquis ædem Sacram ingrediens & totum Cœtum aperto Capite prostratum aut in genua provolutum & junctas manus ad Cœlum tendentem conspiciens, eô spectaculo non moveatur, & quid ea sibi velint Ceremoniæ, non intelligat. Idem de Ministris, albis Vestibus indutis, deque Cruce Infantum baptizatorum frontibus designatâ cum Ceremoniæ illius declaratione quæ tum fieri solet, ut & de fidelium genuflexione cum iis Sacra Cœna porrigitur, dici potest.

3. Quæ hic nobis objectat Apologista ex Liturgiæ Præfatione, dicuntur, uti manifestum est, per oppositionem ad ineptos Ecclesiæ Romanæ Ritus, quos omnes *Innocentius* Papa Tertius pluribus locis affirmat, *moralibus imbutos esse Mysteriis & Divinis gravidos Sacramentis.* Sed abstrusa sunt adeo illa Mysteria, ut de Ritibus illis, licèt jam à Sæculis multis, parturientibus, & ipso *Innocentio* Pontifice, & aliis innumeris obstetricantibus, in suis Mysteriorum missæ explicationibus, hoc unum verè dici possit, *Parturiunt* De Myster. Miss. l. 1. c. 63. & l. 2. c. 1, &c.

turiunt montes, nascetur ridiculus mus. Quis enim risum teneat, cùm hæc apud *Innocentium* legit. "Sandalia Pontificis de subtus habent soleam, desuper autem corium fenestratum, quia gressus Prædicatoris debent subtus esse muniti, ne polluantur terrenis, secundum illud, excutite pulverem de pedibus vestris: & sursum aperti, quatenus ad cognoscenda cœlestia revelantur, secundum illud Propheticum, Revela oculos meos & considerabo mirabilia de lege tua. Quod autem Sandalia quibusdam locis aperta, quibusdam clausa sunt, designat, quod Evangelica prædicatio nec omnibus revelari, nec omnibus debet abscondi, sicut scriptum est; Vobis datum est nosse Mysterium Regni Dei; cæteris autem in parabolis. Stolam super collum sibi Sacerdos imponit, ut jugum Domini se suscepisse significet; quæ à collo per anteriora descendens dextrum & sinistrum latus adornat, quia per arma justitiæ a dextris, & a sinistris, i. in prosperis & adversis, Sacerdos debet esse munitus. Quia vero plerique bonum opus, quod faciunt, inani favore corrumpunt, statim Episcopus manus operit Chirothecis, ut nesciat sinistra sua, quid faciat dextra sua. Quis inquam hæc & similia apud celeberrimum illum *Innocentium*, & alios ejus commatis Scriptores in Ecclesiæ Romanæ Rituum Mysticorum explicationibus legens, risum teneat & in Cachinnos vel invitus non erumpat. Omnes igitur ejusmodi Ceremonias & earum significationes Mysticas sapientes Ecclesiæ Anglicanæ Reformatores, jure merito ut ineptas profligarunt, iis tantum retentis *quæ decoro & εὐταξίᾳ, &c.* Inserviunt uti habeat Liturgiæ Præfatio, quam integram nostræ Præfationi *Pyrgopolinici* inscriptæ inseruimus, ut Lector eam habens ad manum inde possit certo cognoscere, quæ sit Ecclesiæ Anglicanæ de Rituum naturâ, numero, usu, *&c.* sententia.

Idem. l. c. 48.

Ibid. c. 54.

4. Quod vero aiunt *Presbyteriani*, si Ceremoniæ significativæ esse dicantur, & significatione suâ aptæ ad excitandas stupidas hominum mentes ad officii sui recordationem, eas hac ratione quasi Sacramenta fieri, *cum de ipsis novi fœderis Sacramentis, nihil fermè augustius dici possit*, in eo, uti jam supra observavimus, suam produnt de Sacramentis sententiam, quàm sit à doctrina omnium ubique Reformatorum aliena. Nos enim iique omnes augustiora de Sacro Baptismo & Cœnâ Domini dicimus & sentimus, cùm præter significationem quæ mentes nostras ad beneficiorum divinorum intelligentiam adjuvant & meditationem excitant, ipsis etiam Dei promissiones obsignandi, & gratiam spiritualem ritè dispositis conferendi vim ex institutione divinâ uno ore tribuimus. Sed sic rursus argumentantur, *Eæ Ceremoniæ quæ Cultui Dei appropriantur, sunt Cultus Dei propriè dictus. Atqui Vestis linea, Crucis signaculum,*

culum, &c. *Cultui Dei approprientur. Ergo.* Major sic distinguitur; Quæ Ceremoniæ Cultui Dei approprientur, *tamquam essentialia Cultûs, quibus Deus coli putetur & justitia sanctitasque acquiri credantur*, eæ sunt Cultus Dei propriè dictus, concedo: *tamquam accidentalia, quibus nec Deus coli nec justitia aut sanctitas acquiri credantur, sed tantùm Cultus majore cum decentia peragi, & ad eum peragendum homines potentiùs incitari censeantur*, Nego. Istius non illius modi sunt Ceremoniæ de quibus inter nos & Schismaticos disceptatur. Præterea, Cultui divino appropriari propriè dici non possunt, sed tantùm applicari. Potest enim esse, & revera est eorum usus extra cultum. Nam & albas Vestes etiam ad significationem in vita Civili olim atque etiamnum usurpari superiore Capite ostendimus. Et Crucis figuram monetæ insculpi, in labaris pingi & Regiis diadematibus imponi ad Christianismi professionem declarandam vulgò notum est. Nihil etiam communius quàm Capitis apertione humilitatem & reverentiam coram hominibus in Aula, in foro, in privatis ædibus testari. Sed & illud quod habetur S. *Marci* 7. de *Pharisæorum ablutionibus, quæ erant Ceremonia significativa, quæque à Christo damnata sunt*, objiciunt. *Respondeo*, damnatas quidem, sed non ideo quia erant Ceremonia significativa. *In hoc summum erat vitium*, inquit *Calvinus*, *quòd non putabant aliter Deum ritè coli; & lotiones illas divini Cultûs partem esse censebant*, prout ex his Christi verbis rectè colligitur, *frustra autem me* COLUNT, *docentes doctrinas, præcepta hominum*, ver. 7. Nos verò neque absque Ceremoniis in Ecclesia nostra usu receptis, Deum ritè coli negamus; neque divini Cultûs partem esse credimus. Quippe qui nihil præter adminiculum aliquod in Cultu decentius peragendo, & ad officii nostri erga Deum præstationem incitamentum, internæque animi nostri reverentiæ testificationem in iis quærimus, Ecclesiis illis, quæ, his omissis, alios Ritus sibi delegerunt, quasi Deum imperfectè colerent, neutiquam damnatis. Secus *Pharisæi*, qui Christi Discipulos, quod illotis manibus comederent, quasi piaculum admisissent, accusabant, & eâ ratione immunditiem ab iis contrahi cibumque pollui sibi persuadebant. Unde apud *Menahemum Recinensem*, Comment. in Mosem 198. 4. refertur de superstitioso quodam Judæo, *qui vocatus ad Convivium cùm videret patremfamilias illotis manibus accubuisse, surrexit è mensa & abiit dicens, absit ut comedam tecum. Nam de te Scriptum est, Ne comedas panem ejus qui malum oculum habet. Præterea cibus tuus pollutus est & immundus.* Concludimus igitur, cùm Ceremoniæ significativæ, iis limitibus circumscriptæ, quos iis ponit Ecclesia Anglicana, ex cæterarum Reformatarum sententiâ licitæ sint, eas ab Ecclesia rectè institui posse,

Calvin. *in hunc locum.*

Vide *Drus. l. Prateri. ad S. Marci. c. 7.*

posse, & à fidelibus ubi institutæ sunt, liberâ quidem Conscientiâ nullâque superstitione, piâ tamen & facili ad obsequendum propensione observari debere, non contemptim haberi, non supinâ negligentiâ præteriri. Tantùm abest ut eas Christianus populus per fastum & contumaciam violare apertè debeat, prout jam suprà rectè monuit *Calvinus*. Nam etsi Ceremoniis ejusmodi omnes fortè non indigemus, *omnes tamen utimur: quia alii aliis ad fovendam inter nos charitatem omnes sumus obnoxii*; ut rectè idem *Calvinus*, & ex eo *Hieronymus Zanchius*.

Zanch. *Tom.* 7. *in Com. præcipuar. cap. doctr. Christ.* loc. 16.

CAPUT XVIII.

De Doxologia, Gloria Patri, *&c.* deque illius usu in Ecclesia Anglicana; an in eo sit ulla Battologia. Itemque de Doxologia quâ clauditur Oratio Dominica in Evangelio secundum *Matthæum*; cur modò recitetur, modò omittatur in Ecclesiæ Anglicanæ Liturgiâ. Denique de assurgendi Ritu, dum Sanctum Evangelium prælegitur in Ecclesia.

Sacro-sanctæ Trinitatis Doxologiæ usus in Ecclesia Anglicana, aliisque Ecclesiis Reformatis. Eam ab Ecclesia eliminarunt Presbyteriani, *& si quis eam recitaret, censurâ dignum eum judicarunt. Quid in illius recitatione reprehendant, scilicet,* 1. Quòd repetatur ad finem Precum quarumdam & *Psalmorum* in quibus nihil sit Eucharisticum, *à quo more abhorret Ecclesia Romana. Ecclesiæ Anglicanæ ac Fratrum Bohemorum circa Ecclesiæ Romanæ Ritus in genere, sententia.* 2. Quòd non videatur toties recitari posse, quoties recitatur, absque Battologia. *Quid sit* Βαττολογεῖν. 3. Quòd soleamus assurgere cùm recitatur. *De antiquitate illius Doxologiæ; ante Concilium* Nicenum *in Ecclesia usurpatam fuisse.* 4. Quòd alternatim & per modum Antiphonæ pronuncietur aut cantetur. *De Antiphonarum antiquitate. Falsò accusatur Ecclesia Anglicana omissæ*

aut

aut neglectæ Coronidis, quâ clauditur Oratio Dominica: Quibus locis omittatur, quibus verò recitetur. Virorum Doctorum sententiæ variæ circa eam Coronidem. Cur à S. Lucâ, *&* à Latinis *omissa, à* S. Matthæo *autem & à* Græcis *constanter usurpata. Mediam viam sequuta est Ecclesia Anglicana. Cur surgant fideles dum prælegitur Evangelium. Moris illius Antiquitas, & praxis universalis, præterquam apud* Alexandrinos *quorum Episcopus non assurgebat, cùm legebatur Evangelium. Locus apud* Chrysostomum *corruptus, à* Merico Causabono *restitutus. Solvuntur Schismaticorum Objectiones contra hunc Ritum.*

FInitâ prolixâ illâ de *Superpelliceo* velitatione, quæ quartam totius Libelli partem complectitur, ad alia progrediens Apologista, antiquæ illius Orthodoxorum Christianorum Doxologiæ, *Gloria Patri & Filio, & Spiritui Sancto; sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in Secula Seculorum. Amen,* usum qui jam à prima Reformatione in Ecclesia Anglicana obtinuit, carpit & obelis trajicit. "In libro Liturgico, *inquit,* post recitatam Orationem Dominicam, adduntur perbreves quædam precatiunculæ, ad quarum finem præcipitur, ut omnibus erectis repetatur partim à *Presbytero,* partim à plebe Doxologia, Gloria Patri, *&c.* sicut erat in principio, *&c.* Eadem repetenda est ad finem Invitatorii quod vocant, *i. e.* Psalmi 95. Nec non ad finem cujuslibet Psalmi per totum annum, ut & canticorum Benedictus, Benedicite, Magnificat, & Nunc dimittis. Et quoniam in Tractatu Anglicano, de aliarum Ecclesiarum Conformitate cum Anglicana annotaveram "Hymnos plerosque, qui Ecclesiis *Polonicis, Lithuanicisque* in usu sunt, ipsâ eâdem Doxologiâ claudi, eamque apud easdem Ecclesias solitariam nonnumquam statim à concione ante cœtûs dimissionem, cantari; denique & in Ecclesiis *Hungaricis,* ac *Transylvanicis* eodem modo ad quorumdam Hymnorum finem usurpari; Quod & fieri solebat uniformiter ad finem singulorum Psalmorum in illis Ecclesiis, assurgente etiam juxta Ecclesiæ Anglicanæ morem cœtu universo, ante exortos apud illas abhinc aliquot annis, Puritanos, D. *Voetii* & *Presbyterianorum* nostrorum Discipulos, quibus labor nimius videtur, Gloriam Deo, *& quidem reverenter stantes,* tribuere, sic pergit noster; *Numquid & hoc in usu Ecclesiis aliis Reformatis? Imo,* inquit *Durellus, paginâ* 41. *Ecclesiæ* Poloniæ *&* Lithuaniæ, *nec non* Hungariæ *&* Transylvaniæ *habent suos Hymnos, quorum*

Apolog. p. 103, 104, 105.

Pag. 40. *&* 41.

quorum plerique vel saltem aliqui (adverte Lector hominis fidem verba mea ridiculè corrumpentis) *clauduntur hâc Doxologiâ.* Deinde, *benè habet*, inquit, *nec gravarentur opinor* Presbyteriani *si idem in nostris Ecclesiis obtineret Mos.* Quod si verum est, magnam gratiam *Presbyterianis* habet antiqua illa Ecclesiæ Christianæ Doxologia, quòd nunc apud illos eousque in gratiam redierit, ut illius recitationem in Ecclesia nonnumquam absque offensa ferre queant. Eam enim cùm Ecclesiam Anglicanam ad mentem suam efformabant, unà cum Symbolo Apostolorum (fortè ut formulam Pontificiam, quâ scilicet utuntur Pontificii, aut ut formulam simpliciter) è *Directorio* suo penitus erasérant. Sicque factum, quod mirabitur Orbis Christianus, ut post eliminatam Sacram Liturgiam, nulla Patris, Filii ac Spiritus Sancti, expressa mentio in Anglorum Ecclesiis, facta sit, nisi in Administratione Baptismi, quamdiu Presbyterianorum Ministri, pulsis Episcopis, eas soli rexerunt & in *Anglia* Regnum tenuerunt. Imo testatur *Fullerus* ab Apologista satis pro merito laudatus, Ministrum quemdam qui juxta Presbyterianorum Directorium Sacra celebrabat, cùm Doxologiam, *Gloria Patri*, &c. semel recitasset, ob id fuisse accusatum ac vehementer increpitum; Unde nisi hac in parte multùm immutati sint, quam de illis opinionem se concepisse Apologista profitetur, veram esse vix cuiquam persuadebit. Sed rem ita se habere supponamus. Quid est igitur cur super ea Ecclesiæ Anglicanæ dicam scribant? *Multa*, inquit noster. *Primò enim, nescimus* inquit, *quid sibi velit quòd repetenda sit hac Doxologia ad finem Precum quarumdam & Psalmorum istorum in quibus nihil omnino est* εὐχαριστικὸν. Et ne videatur sine ratione insanire, confugit ad Missale Romanum, à *Pio* 5. evulgatum, & a *Clement* 8. recensitum; *ex quo ait se discere, in Missa pro defunctis non cantari vel Gloria Patri, vel Hallelujah, quia istis significatur lætitia. At Missa pro defunctis revocat nobis in memoriam, tristitiam qua egredimur & ingredimur in mundum mortales: Unde* infert, *incongruum profectò esse, nequid duriùs dicat, hanc Doxologiam decantare & recitare ad finem Psalmorum istorum qui è lamentationibus toti constant.* Poterat & à *Duranto* discere *eam, intermitti apud Pontificios, in Responsoriis à Dominica Passionis per undecim dies; & à nocte Cœnæ Domini, usque ad Sabbatum Sanctum non tantùm in Responsoriis sed & in Psalmis, eamque in aliis etiam Ecclesiæ Romanæ Officiis propter eamdem rationem reticeri.* Nos verò scimus, quodcunque tandem sit Precum aut Psalmorum argumentum, seu peccatorum confessio, seu malorum deprecatio, seu miseriarum nostrarum aut afflicti Ecclesiæ status repræsentatio ac deploratio, in istis omnibus, imo in persecutionibus & morte piorum, Gloriam Patri & Filio, & Spiritui Sancto tribuendi materiam haud deesse; nec minus in adversis laudandam atque glorificandam Sacro-sanctam

Fullerus *in Historia Ecclesiæ Britanniæ* lib. 11. ad ann. 1645. p. 224.

Durant. *de Rit. Ecclesiæ Cathol.* cap. 15.

cro-sanctam Trinitatem, quàm cùm omnia ea ex Voto succedunt. Idque ipsi Apologistæ, ubi disputandi & contradicendi æstus aliquantum deferbuit, adeo non incongruum videtur, ut lamentabili illi Epilogo, quo Apologiam suam pro Ejectis in *Anglia* Ministris claudit, Doxologiam hanc, antiquæ illi cujus usum oppugnat, non absimilem, *Tibi Clementissimo Jesu unà cum Patre & Spiritu Sancto, sit omnis laus & benedictio & gloria, in Sæcula. Amen*; addiderit. *Turpe est doctori cùm culpa redarguit ipsum.* Ad praxim Ecclesiæ Romanæ quod attinet, Respondeo, Ecclesiam Anglicanam Pontificiorum mores ac ritus nec ita aversari, ut si Scripturæ Sacræ, puriori Antiquitati, rationi & fidelium ædificationi minimè repugnent, eos ideo repudiandos censeat, quòd Pontificiorum sint mores ac ritus; neque etiam ita admirari, ut ab iis si sic videatur expedire, numquam rectè discedi posse credat. Nam illud Fratrum *Bohemorum* nobis perinde atque ipsis probatur: "Nostri, eos "Ritus tantùm & Traditiones quæ fidem, Cultum Dei aliaque bona inter fideles provehunt, aluntque concordiam, & pacem in populo conciliant & retinent, ac Politiam & harmoniam quamdam constituunt, "quoscunque tandem Authores habeant, Synodum, Pontificem, Episcopum, aut alium quemvis, servandos docent. Nulli siquidem in illorum Authoribus offendi debent, quominus, si nihil habent incommodi, eas observent. *Bohem. & Morav. Confess. Artic. 15.*

§. *Secundò, Non videmus,* inquit, *qui Doxologia hæc octies vel decies recitari possit in eodem officio sine insigni violatione Præcepti de vitanda Battologia,* Matth. 6. Quid sit Βαττολογεῖν inter Doctos non convenit, licèt omnes sentiant à Batti Poëtæ cujusdam imperiti ineptis repetitionibus, dictam esse Battologiam. At quamquam necesse non est ut certò statuamus quid sit Βαττολογεῖν, ut ostendamus octies vel, si vis, decies imo centies repetitâ S. S. Trinitatis Doxologiâ juxta usum Ecclesiæ Anglicanæ, Domini Præceptum de vitando Battologiæ vitio, non violari: (Ad id enim sufficit ut sciamus quid non sit Βαττολογεῖν) Certò tamen tenendum est, quid sit Battologia, antequam Præceptum de ea vitanda violatum, jure quis possit affirmare. At hujus Doxologiæ repetitionem post Responsoria semel, deinde in fine uniuscujusque Psalmi, item semel cùm ferè ad finem Litaniæ ventum est, ut & post recitatum S. *Athanasii* Symbolum, certis quibusdam Dominicis ac Festis diebus, Battologiam nemo dixerit, qui meminerit eamdem sententiam, quâ nempe quilibet Versiculus clauditur, Vigesies sexies in uno Psalmo 136. iterari. Nam Battologiam prohibet Christus Dominus, non tamquam Judæorum nedum Spiritùs Sancti (cujus nullum est) sed tamquam Ethnicorum vitium. Μὴ βαττολογήσητε inquit, ὥσπερ οἱ Ἐθνικοί. Scio in Anglica ut & in Gallica Sacrorum Bibliorum Versionibus, τὸ Βαττολογεῖν versum, *inanibus repetitionibus uti.* *At quævis repetitiones,* vel fatentibus

tentibus ipsis Presbyterianis, *in Anglicis ad hunc locum notis, inanes non sunt, nec his verbis prohibitæ.* Inanes sunt rerum inanium, aut etiam utilium ineptæ in orando repetitiones. Sed Sacro-sanctæ Trinitatis Doxologia non est res inanis, nec eximiæ illius Doxologiæ juxta usum Ecclesiæ Anglicanæ jam memoratum, inepta repetitio est; cùm S. S. Trinitatis laudandæ materiam uberrimam fidelibus præbeant tum Responsoria & Confessio peccatorum, Absolutio, & Oratio Dominica, quibus Responsoria subjiciuntur, tum Psalmi, tum quælibet Divinorum Officiorum pars, quæ huic Doxologiæ præmitti solet. Βαττολογεῖν à Græcis proverbialiter dicti sunt qui Batti vitium, quodcunque fuerit, in loquendo imitabantur. Sed cùm Græcè Christus non sit loquutus, eum hac voce usum non esse constat. Quid tamen per Battologiam intellexerit, planè demonstrant hæc quæ Præcepto de ea vitanda immediatè adjiciuntur, Δοκοῦσι γὰρ ὅτι ἐν τῇ πολυλογίᾳ αὐτῶν εἰσακουσθήσονται. Unde liquet Βαττολογεῖν nihil aliud esse juxta Christum Dominum, quàm πολυλογεῖν, ac proinde Βαττολογίαν idem esse cum πολυλογίᾳ. Πολύλογος verò non est qui multa, sed qui multùm loquitur; qui rerum inops, verbis abundat, aut rebus ad rem de qua agitur haud pertinentibus; φλύαρος ac garrulus. Utræ autem vitiosi illius multiloquii jure accusari possint *Presbyterianorum* precationes aliquando per bihorium productæ, an eæ quæ in Sacra Liturgia habentur, judicet quisquis Sacris nostris interfuerit, ac *Presbyterianum* Ministrum inter precandum πολυλογοῦντα & Deum atque homines πολυλογίᾳ fatigantem audiverit.

§. *Tertiò, Non probamus*, inquit Apologista, *illam assurgendi, quoties hæc Doxologia recitatur, consuetudinem.* Quamobrem verò? numquid eâ consuetudine contra fidem aut bonos mores peccatur? Id ne affirmare quidem audet audacissimus Apologista. Eo enim corporis situ hoc sibi proponit Ecclesia Anglicana, primò ut fidelium attentionem magis excitet; Deinde ut reverentiam erga S. S. Trinitatem, dum illius Doxologia recitatur, ea ratione contestetur. Postremò per illam corporis erectionem significatur, fideles quasi in procinctu stantes paratos esse, illud fidei Symbolum contra omnes fidei Hostes, sive Infideles, sive Hæreticos, vel mortem ipsam obeundo, defendere ac tueri. *At neque in Scriptura*, inquit noster, *aut in puriori antiquitate fundamentum habet ista consuetudo.* At audi tu, meministi, opinor, *Presbyterianos* omnes, sic jubente rebelli illorum Parlamento, surrexisse, ac capita nudasse dum prælegebantur verba solennis illius Conjurationis formulæ, quibus omnes hujus Regni subditi volentes nolentes ad Ecclesiæ Anglicanæ Politiam evertendam & Bellum adversus Regem pro virili promovendum jure jurando sese adstringere cogebantur. Num isthæc consuetudo in Scriptura aut puriori antiquitate fundamentum habet? Vix puto

to à quoquam id iri affirmatum. Nec tamen *Presbyterianis* improbatur. At nemo affirmaverit, vel Scripturæ Sacræ, vel purioris Antiquitatis praxi repugnare, si Dei laudes eo gestu recitentur qui tum ad attentionem conciliandam tum ad reverentiam testificandam, aptus habeatur. Id enim utriusque authoritate, ut & rectâ ratione niti liquet. Porro ignorantiæne ac temeritati, an malæ fidei, innato Apologistæ vitio, tribuam, quod ausus est affirmare, *assurgendi consuetudinem dum hac Doxologia recitatur, à Concilio Gallicano Senonensi anno 1528. primùm institutam, & eum in finem institutam ut Sacerdos & populus caput Cruci commodiùs inclinarent.* Statuit quidem Concilium Senonense, *in Decretis Morum capite 18. de horis Canonicis distinctè decantandis, ut cùm dicitur Gloria Patri, omnes consurgant;* Sed id, non ut rem novam & antea numquam usitatam, sed ut Ritûs antiqui restitutionem. Decretum enim sic incipit; *Ut in majoribus Ecclesiis Cultus Dei vivi sanctior juxta Majorum traditiones in meliùs reformetur, statuimus ut,* &c. quæ omnia in Ecclesia Gallicana jam diu obtinuerant, sed in Diœcesi Senonensi aut in desuetudinem abierant aut neglectiùs observabantur. Quòd autem Ritum illum instituerint seu potius restituerint, ut Sacerdos & populus caput Cruci commodiùs inclinarent, merum Apologistæ commentum est. De eo enim nec verbum nec syllaba toto Decreto occurrit. Leve est quod ait Apologista, assurgere fideles in Ecclesia Anglicana quoties recitatur Gloria Patri, *&c.* licèt semper positis genibus eam recitent circa finem Litaniæ.

Concilium Senonense Decret. Mor. cap. 18.

§. Hic vero cùm gestum Doxologiam hanc recitantium tantùm reprehendat, cur etiam in ipsius Doxologiæ Antiquitatem inquirat, aut quorsum dicat eam esse vel *Hieronymi*, vel *Hieronymo fortean antiquiorem* non video, nisi ut pro Antiquitatis perito Lectori sese venditet, quamquam & hac in re imperitiam suam planè prodidit. Nam posteriorem Doxologiæ hujusce partem S. *Hieronymo* nonnulli quidem tribuerunt, integram, quod sciam, nemo ullius inter doctos nominis. *Hieronymo* autem certo antiquiorem probant, vel quæ ipse Apologista sequente paginâ, ex *Theodoreto* allegat de *Leontio Athanasii σύγχρονῳ*, ideoque *Hieronymo* antiquiore, qui S. S. Trinitatis Doxologiam tacitus secum recitabat. Idem probatur ex *Philostorgio* Arianorum Historico, qui ad an. 348. Doxologiam eam à *Flaviano* in *Antiochena* Ecclesia recitatam affirmat. Plerique eam Concilio *Niceno*, quo celebrato vix natus erat *Hieronymus*, tribuere solent. Ex iis autem quæ *Hieronymi* nomine ad *Damasum* & *Damasi* ad *Hieronymum* circumferuntur, litteris, in quibus de addenda ad finem Psalmorum singulorum Doxologiâ agitur, fieri potest ut imperito Apologistæ, *Hieronymi* esse videatur. Verùm eæ litteræ à Viris doctis supposititiæ habentur, nec si genuinæ sint, *Hieronymum* Doxologiæ Authorem probent. Sed neque verisimile

verisimile est à *Nicenis* Patribus fuisse compositam, cùm in Actis *Nicenæ* Synodi nusquam occurrat, aut ulla illius mentio fiat. Eam sanè *Basilius* magnus ab Apostolicis usque temporibus, imo ab ipsis Apostolis Ἐκ τῆς τῶν Ἀποστόλων παραδόσεως, deducere videtur, & apud *Irenæum* reperiri affirmat. Vixque dubitari potest quin hæc apud *Justinum Martyrem*, ἐν αἴνοις... πρὸς τὸν πατέρα καὶ τὸν υἱόν, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα δοξολογίαν τῆς σωτηρίας ἡμῶν ποιεῖν; & hæc apud Clementem, αἰνοῦντας τῷ μόνῳ πατρὶ καὶ υἱῷ σὺν τῷ ἁγίῳ πνεύματι, de Doxologiæ hujus recitatione publicâ in Cœtu fidelium intelligantur. Sed cùm exortis in Ecclesia *Arianis* nonnihil variaret, aliis, *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto*; aliis, *Gloria Patri in Filio per Spiritum Sanctum*; aliis, *Gloria Patri & Filio cum Spiritu Sancto*, dicentibus, ut videre est apud *Theodoretum* & *Sozomenum*, idque bono sensu & illæsâ fide Orthodoxâ, post damnatum in Concilio *Niceno Arium*, Orthodoxi omnes magno consensu eam ubique Doxologiæ formulam usurparunt quæ *Arianæ* Hæresi maximè adversari videbatur, nempe *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto*; *Arii* verò Sectatoribus, eâ quæ ipsorum dogmati minùs repugnabat, scilicet, *Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto*, uti placuit. Unde postea duæ istæ formulæ Orthodoxias, & Hæreseos quasi κριτήρια & *Shibboleth* in Ecclesia extiterunt; quâ de re vide *Theodoretum* lib. 2. cap. 24.

Basil. *de Spiritu.* cap. 27.

In Expositione fidei.

De Pædagogia. lib. 3.

Theodoret. lib. 2. cap. 24.

§. Jam expendendum, Quod *quarto loco* circa S. S. Trinitatis Doxologiam, delicatulo *Presbyterianorum* palato minùs arridet. *Non videmus*, inquiunt, *cur alternatim & per modum Antiphonæ pronuncianda aut cantanda sit hæc Doxologia.* Id tamen visu non est difficile. Nempe Antiphonatim ea sunt pronuncianda ac cantanda quæ Antiphonatim pronunciari atque cantari jubet Ecclesia in qua vivitur; cui obsequendum in rebus ejusmodi, naturæ scilicet mediæ atque ex sese prorsus indifferentis, omnes Christiani, si Schismaticos nostros excipias, uno ore profitentur & factis comprobant. Neque dissentire in Thesi audet Apologista, quamvis hìc in hypothesi dissentiat, quod prævideram prædixeramque futurum. *At antiquitùs*, inquit, *non ita consuevit fieri.* Esto, at nunc fit; nec quid est, quod in eo more reprehendi jure possit, quod istius silentium hìc abundè testatur. Sed qui probat *antiquitùs ita fieri non consuevisse?* Scilicet de *Leontio Athanasii* συγχρόνῳ *legimus*, inquit, *quòd* TOTAM *glorificationem tacitus secum recitavit, adeo ut qui cum eo erant solùm hanc particulam*, IN SÆCULA SÆCULORUM, *audirent*; *Quod fieri non potuit, siquidem tunc temporis in recitatione hujus Doxologiæ æquales fuissent Episcopi & plebis partes.* Facit iste, næ intelligendo, ut nihil intelligat. Fuit *Leontius* ille *Antiochenæ* Ecclesiæ sub *Constantio* Episcopus. *Antiochiæ* autem

Vide *Præfat. Pyrgopolinici inscriptam.*

Theodoret. *Ecclesf. Histor.* lib. 2. cap. 24.

tem Antiphonas in Chriſtianorum Cœtibus primùm obtinuiſſe & inde ad cæteras Eccleſias per totum orbem tandem manâſſe, conſtans omnium Doctorum opinio eſt. Seu autem S. *Ignatius* Apoſtolorum coævus, quod vult *Socrates*; Seu *Flavianus* ac *Diodorus* Viri pietatis eximiæ, *Leontii* tempore, quod innuere putatur *Theodoretus*, Antiphonatim canendi morem in illam Eccleſiam invexerint, id nobis ſatis venerandæ Antiquitatis eſſe videtur, ut illud ſine offenſione hodierna Chriſti Eccleſia, ſi ſic videatur, poſſit imitari? Sed fallitur Apologiſta cùm ex eo quod de *Leontio* narrat *Theodoretus*, demonſtrari putat Doxologiam de qua agitur, non fuiſſe tum temporis alternis recitatam. Non enim ab Epiſcopo recitabantur aut cantabantur Pſalmi, ſed à Lectoribus & Cantoribus, accinente cum Plebe Univerſa antiphonatim Epiſcopo, & reliquo Clero. Αὐτὸς ὁ ψάλλων ψάλλει μόνος, κἂν πάντες ἀπηχῶσιν ὡς ἐξ ἑνὸς στόματος ἡ φωνὴ φέρεται, inquit Sanctus *Chryſoſtomus*. Doxologiam verò antiphonatim vulgò cantatam fuiſſe hæc *Caſſiani* verba oſtendunt. *Illud etiam quod in hac Provincia vidimus, ut uno cantante in clauſula Pſalmi omnes adſtantes concinant cum clamore, Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto, nuſquam per omnem Orientem audivimus; Sed cum omnium ſilentio ab eo qui cantat finito Pſalmo, orationem ſuccedere: hanc verò glorificationem Trinitatis tantummodo ſolere Antiphonâ terminari.* Neque morì iſti quicquam adverſatur quod de *Leontio* Epiſcopo narrat *Theodoretus*. Non enim dicit eum, TOTAM, prout mentitur Apologiſta, glorificationem recitaſſe; *Sed cùm pars eſſet Arianæ blaſphemiæ, ſummo ſtudio illum morbum celare niſum, quumque cerneret biſariam diviſos Sacerdotes & plebem, unamque partem accommodare glorificationi Filii conjunctionem* ET, *alteram præpoſitionem* PER, *Filio, Spiritui autem* IN *applicare, ipſum quidem ſilentio glorificationem memoraſſe, & tantùm clauſulam*, IN SÆCULA SÆCULORUM, *ſic protuliſſe, ut ab adſtantibus audiri poſſet.* Ibi enim *glorificatio* rectè intelligi poteſt pars ea glorificationis ſeu prior, ſeu poſterior; utraque enim Arianæ hæreſi adverſabatur, quam *Leontius* recitare ex Antiphonarum lege tenebatur.

Ibidem.

Homil. 36. in 1 Cor.

Caſſ. *de Inſtit. Monachor.* lib. 2. cap. 9.

§. Sed Epiſcopis noſtris longè gravius crimen impingit, quàm ſit S. S. Trinitatis Doxologiam vel lamentationibus ſubjungere, vel ſæpius quàm par eſt in eodem Officio iterare, vel aſſurgendo, vel antiphonatim recitare. *Denique*, inquit, *explicet nobis ſi poſſit* Durellus *quare Epiſcopi noſtri qui tam efflictim ardent hanc Doxologiam dictam Gloria Patri*, &c. *ut ad finem omnis Pſalmi eam adhiberi jubeant, de Doxologia tamen Dominica, quæ extat* Matth. 6. 13. *adeo non ſint ſolliciti ut recitetur illa necne nihil omnino curent.* Difficilis ſanè Provincia! Nam res quæ nuſquam eſt nec umquam fuit, id neque à *Durello*, aut ab alio quoquam poteſt explicari. Epiſcopos noſtros nihil omnino cu-

rare, Doxologia Dominica, quam vocat, recitetur necne, pellucidum mendacium est; quod cuivis constabit Ecclesiæ Anglicanæ Liturgiam inspicienti, in qua Doxologiam de qua nunc sermo est, Orationi Dominicæ sæpius additam, ideoque recitandam sæpius reperiet. Additur Orationi Dominicæ in Officio quotidiano Precum tum Matutinarum, tum Vespertinarum, adeo ut Sacra celebrari juxta Ritum Ecclesiæ Anglicanæ numquam queant, quin Doxologia illa recitetur. Neque umquam omissam novi seu ab Episcopis, seu ab aliis Verbi Ministris, quum recitatur Oratio Dominica ante concionem. Et cum antea defuisset Oratio Dominica in Officio pro Puerperis, non nisi cum Doxologia addita est in postrema illa Sacræ Liturgiæ Editione, quæ præ cæteris, *Presbyterianis*, aut saltem huic eorum Apologistæ, displicet: Addita nuper est in ea ipsa Editione & eadem Doxologia Orationi Dominicæ in Officio pro Sacra Communione, post administrationem recitandæ. In Formula Precum denique quæ in gratiam eorum qui mare navigant novissimè composita est, Orationem Dominicam ex S. *Matthæo*, desumptam hoc est cum Coronide reperies. Sed ego faciliorem *Pyrgopolinici* Provinciam demandabo; Explicet nobis cum possit (quid enim non potest qui tam impudenter mentiri potest?) quare *Presbyteriani* nostri, de Doxologia Dominica Ecclesiæ Anglicanæ litem moveant, qui de ipsa Oratione Dominica, recitaretur illa necne, tam parum fuerunt solliciti, ut ibi in suo Cultus publici Directorio certum locum nullum assignaverint; eam recitari non jusserint, imo sæpius omnino omiserint. At de *Episcopi in grandi Certamine, scribere non verentur illa verba in Evangelio* Lucæ *non occurrere neque in antiquis exemplaribus* Matthæi. Audax hominum genus, qui quod verum est, scribere non verentur. Nam apud *Lucam* deesse res ipsa ostendit; *Beza* vero testatur se antiquum quoddam Manuscriptum Græcum vidisse in quo non occurrebat. Sed inde inferunt, *dubitari posse an sint pars Evangelii.* Quid ni etiam id inferant? cum certum sit Viros longè doctissimos & in Criticis Sacris longè versatissimos non modò dubitasse an Doxologia illa sit pars Evangelii, sed eam ut Apocrypham ac planè spuriam repudiasse. *Erasmum* hic innuo, qui in annotatis ad orationem Dominicam hæc habet; "Quando hæc Coronis, quia tuum est Regnum, *&c.* nec in ullis Latinorum "exemplaribus scripta visitur, nec exponitur a *Hieronymo* aut ullo prorsus Interpretum præter *Chrysostomum*, & hujus abbreviatorem recentem *Theophylactum*, apparet ex solenni consuetudine additam. Proinde non est, cur *Laurentius Valla* stomachetur bonam Precationis Dominicæ partem fuisse decurtatam. Magis taxanda fuerat illorum temeritas qui non veriti sint tam divinæ Precationi suas nugas assuere. "Nugas enim jure dixerim ad divinam doctrinam, quicquid ab hominibus profectum fuerit; præsertim si quod ab hominibus annexum

sit,

"sit, ad Christum authorem referatur. Quæ hic à me non ideo inferuntur, quòd ea probem, sed ut ostendam non abs re dictum, *dubitari posse, an Coronis illa pars sit Evangelii.* Multa præterea addit *Erasmus* eodem loco ad sententiæ suæ confirmationem contra *Vallam*; quem sic defendit *Revius.* "*Erasmus* contumeliosè Coronidem hanc rejecit, "eo maximè argumento quòd alioqui totam Ecclesiam Romanam hæc "pars Precationis Dominicæ fugisset, *&c.* quasi majus flagitium esset, "quam totam Ecclesiam Græcam falsimoniæ arguere, quæ constanter "eam legit. Verum, si liceat non modò Virorum tantorum sed *Græcæ* Ecclesiæ cum *Latina*, imo Sanctorum Evangelistarum liti dirimendæ, hâc datâ occasione, opellam nostram conferre, non erit, ni me vehementer fallit animus, res admodum difficilis. Quippe cùm Coronis de quâ jam controvertitur, ab Ecclesia *Græca* quæ, ætate, *Latina* prior est, constanter fuerit usurpata; cùm Novum Testamentum Græcis non Latinis fuerit conscriptum litteris; cùm simili Coronide clauderentur Judæorum Precationes, quod *Ludovicus Capellus* aliique in Hebraicis Viri docti, ad hunc locum annotarunt; cum in omnibus antiquis *Matthæi* exemplaribus Græcis, uno excepto, de quo *Beza*, habeatur, æquum videtur ut pro certo statuamus S. *Matthæum* Orationem Dominicam cum hac Coronide in Evangelio nobis exhibuisse, atque adeo à Christo ipso Discipulis nonnisi cum eadem clausula dictatam fuisse. Sanctus *Lucas* verò cui propositum fuit, quod in ea formula propriè precatorium est id tantùm referre, postrema illa verba, quibus nihil à Deo petitur, deditâ operâ omisit. Quæ cùm ita sint, Græcorum Ecclesia Sanctum *Matthæum*, nempe S. *Lucâ* diligentiorem sequuta est, & Coronidem ut quæ aptissima visa est, quâ Oratio Dominica clauderetur, invariatè usurpavit. Habetur & apud authorem Constitutionum Apostolicarum. *Latini* verò, cùm in Divinis Officiis brevitati semper studuerint, & formulam Dominicam ad precandum tantum usurpare voluerint, eam ex S. *Lucâ* desumpserunt. Quid verò hic Ecclesia Anglicana & illius pii Antistites? *Medium tenuere beati.* Siquidem juxta illius Ritum, nonnumquam omittitur, ne damnetur antiqua Orthodoxáque *Latinorum* Ecclesia; nonnumquam verò recitatur prout observavimus, tum quia nihil aptius dici potest, tum etiam, ne *Græci* contemnantur. Sed pergamus.

Revius *in Vallam ad hunc locum.*

Clementis Constit. Apostolic. lib. 3. cap. 18.

9. Ecclesiæ Anglicanæ mos est, ut reverentèr audiatur quicquid ex verbo Dei in fidelium Cœtibus publicè prælegitur; maximè verò eæ Sanctorum Evangeliorum Sectiones quæ ex usu jam in Ecclesia Christi perquam diu recepto, *Evangelia* dicuntur. Nam statim atque se ad earum Sectionum lectionem accingit Minister, consurgimus omnes, & ubi locum Evangelii, quem lecturus est, declaravit, clarâ voce Christo Domino quem jamjam audituri sumus, gloriam tribuimus, magno zelo

dicentes, *Gloria tibi Domine.* Hunc Morem ferre nequeunt, qui nihil non à se profectum ferre queunt *Presbyteriani.* *Id enim quâ quæso ratione?* inquit Apologista. Dicam; *Primò*, quia sic olim fieri consuevit in antiqua purioréque Christi Ecclesia, cum qua se consentire & communionem colere profitentur omnes Reformatorum Ecclesiæ, & à qua, quàm minimum potuit abire, in iis rebus, in quibus fas est ab eâ non discedere, si commodè servari possint & ad ædificationem faciant, Anglicana semper sibi proposuit. *Secundò*, quia Verbum Dei, maximè vero *Evangelia*, quæ nobis vel ipsa Christi verba exhibent, vel res à Christo gestas referunt, numquam reverenter atque attentè satis pro dignitate atque utilitate, audire possumus. Surgentes autem & stantes reverentiam testamur & attentiores simus ad ea quæ prælegun-tur. At hujus Ritûs Antiquitas, satis veneranda Apologistæ haud videtur. "Solent, *inquit*, Papæ mancipia recurrere ad *Clementis* Con-"stitutiones Apostolicas in quibus hac de re extat mandatum; Has ve-"rò, *ait*, a nemine Reformato tamquam spurias non fastidiri: nec si re-"cipiantur, Hierarchicos quicquam juvare; Evangelium enim in ista "Constitutione, significare secundam lectionem sive quodvis caput ex "Evangeliis desumptum; Neque Laicos nostros, quod ibi præcipitur, "cum magno silentio, sed cum magno strepitu assurgere, clamantes, "gloria sit tibi Domine. Respondeo, An Papæ mancipia ad *Clementis* Constitutiones recurrant, necne, haud scio; nihil opus esse ut recurrant, scio, cum nemo sit inter Reformatos, nisi stultâ *Presbyterianorum* morositate laboret, qui Pontificiis eâ de re litem intentet. Neque necesse est ut Apostolorum aut *Clementis* Apostolorum Discipuli esse Constitutiones illas asseramus, ad hujusce Ritûs Antiquitatem adstruendam. Sit enim scriptor ille, quod multis doctis videtur, *Quarti* tantùm aut etiam ineuntis *Quinti* Sæculi. Ex ea tamen Constitutione planè liquet, Morem assurgendi dum prælegitur Evangelium, diu ante tempus quo scripsit, in Ecclesia obtinuisse, cùm eum ad Apostolica tempora referat; quod pudor prohibuisset, si recens fuisset institutum. Ipsam autem Constitutionem hic apponam, ut videat Lector an ea Hierarchicos,

Clement. Constit. lib. 2. cap. 61. quos vocat, nihil juvet. "Medius Lector, *inquit*, è loco superiore "stans, legat libros *Mosis*, *Jesu Nave*, &c. Alius *David* Hymnos ca-"nat, & populus initia versuum concinat. Post hæc acta nostra, & "Epistolæ *Pauli* co-operatoris nostri, quas ad Ecclesias misit secundum "institutionem Spiritûs Sancti. Deinde Diaconus vel Presbyter legat "Evangelia, quæ ego, *Matthæus* & *Johannes*, vobis tradidimus, & co-"operatores *Pauli*, *Lucas* & *Marcus*, accepta vobis reliquerunt. Deinde sequitur Ὅταν ἀναγινωσκόμενον ᾖ τὸ εὐαγγέλιον, πάντες οἱ Πρεσβύτεροι καὶ οἱ διάκονοι, καὶ πᾶς ὁ λαὸς στηκέτωσαν μετὰ πολλῆς ἡσυχίας. Nihil quidem hic de acclamatione, *Gloria tibi Domine.* Sed ex *Chrysostomo* discimus

aut

aut eo quisquis est à quo conscripta Oratio *de Circo*, vetere sanè scriptore, eam fuisse cum floreret, usitatam. Τοῦ διακόνου ἀνοίγειν μέλλοντος τὸ τοῦ εὐαγγελίου πτύγμα, πάντες αὐτῷ ἀτενίζομεν, ἡσυχίαν παρέχοντες· καὶ ἐπειδὰν τοῦ δρόμου ἀναγνώσεως ἄρξηται, εὐθέως διανιστάμεθα διαφωνοῦντες, ἀλλὰ Δόξα σοι Κύριε. Ubi ad illud ἀλλὰ, quod superfluum esse videtur, *Mericus Casabonus* Vir Eruditissimus, & in mendis quæ vel librariorum incuriâ atque ignorantiâ, vel improborum hominum malis artibus in scripta Veterum irrepserunt, deprehendendis atque restituendis solertissimus, annotat, per litterarum compendium forte scriptum sic in MS. ἀλλα pro ἀλληλούϊα, prout passim occurrit in Psalmis. Ἀλληλούϊα· ἐξομολογεῖσθε τῷ Κυρίῳ. Ἀλληλούϊα· αἰνεῖτε τὸν Κύριον. Et in Apocalypsi Ἀλληλούϊα· ἡ σωτηρία, καὶ ἡ Δόξα, &c. Quod mecum à Viro Humanissimo atque Amicissimo per Epistolam communicatum, in Lectoris gratiam hic visum est inserere. Et alio loco, quàm reverenter audiretur Evangelium, non tantùm à vulgo hominum sed ab ipso Imperatore, his verbis ostendit *Chrysost.* Ἀναγινωσκομένων τῶν ἁγίων εὐαγγελίων, οὐχ ὡς ἔτυχε ἀκροώμεθα, ἀλλ' ἱστάμενοι, καὶ νήφοντες παραδεχόμενοι τὰ παραγγέλματα—καὶ αὐτὸς ὁ τὸ διάδημα βασιλικὸν περικείμενος ἵσταται μετὰ παντὸς φόβου, καὶ οὐδὲ διάδημα συγχωρεῖ περικεῖσθαι τῇ κεφαλῇ αὐτοῦ· ἀλλ' ἀποκόπτει διὰ τὸν ἐν τοῖς ἁγίοις εὐαγγελίοις ὁμιλοῦντα Θεόν. Verum Apologista *Ceremonialistas jubet attendere* Anastasium *Papam in Decreto*, quod de hoc ipso Ritu condidit, anno 402. *non dissimulare quosdam Sacerdotes tunc temporis audivisse Servatoris verba, non stantes, sed sedentes, & narrasse ex Majorum traditione sese hoc accepisse.* Attendimus, nec quicquam ex iis *Anastasii* verbis præter hoc, effici posse videmus, scilicet assurgendi morem dum prælegebatur Evangelium, jam tum à longo tempore in Ecclesia usu receptum fuisse, cùm ei quidam tantùm Sacerdotes spiritu *Presbyteriano* fortè afflati repugnasse dicantur. Exceptio enim, quod verè aiunt, firmat regulam. Pari ratione ostendit & quod apud *Sozomenum* legitur, ubi de variis variarum Ecclesiarum Ritibus disserens, *Novum & illud*, inquit, *apud eosdem* Alexandrinos *est, quod Episcopus, dum recitatur Evangelium, non assurgat; quod apud alios usquam fieri equidem neque comperi, neque audivi*; hunc morem fuisse tum antiquum, tum etiam in omnibus Ecclesiis usu receptum. Nam quod observat tamquam quid singulare, *Alexandrinum* Episcopum sedentem audivisse Evangelium, manifestum indicium est aliarum Ecclesiarum Episcopos unà cum reliquo Clero atque Plebe ad Evangeliorum lectionem surrexisse. *At Evangelia*, inquit Apologista, *apud omnes istos authores significant omnia Domini Servatoris nostri verba, non ea quæ in Liturgia Anglicana Epistolis contradistinguuntur.*

Apolog. 6.

Sozom. lib. 7. cap. 19.

-guntur. Istud verò etiamsi verum foret, quid nisi mera cavillatio est? Nam esto quod per Evangelia non ex tantum Sanctorum Evangelistarum Sectiones præcisè intelligantur, quæ ex usu jam a multis Sæculis in Ecclesia recepto Evangelia dici solent; at Evangelia dicuntur *Matthæi, Johannis* aliorumque Sanctorum Evangelistarum de Christo Domino narrationes Historicæ, prout Sancti *Pauli* aliorumque Apostolorum Epistolis opponuntur; quod ex allato *Clementis* loco liquidissimè constat. Idem liquet ex *Augustino*, Sermone 10. de verbis Apostoli, *Primam lectionem*, inquit, *audivimus Apostoli. Fidelis Sermo*, &c. *Hac de Apostolica lectione percepimus: Deinde cantavimus Psalmum*, &c. *Posthac Evangelica lectio decem Leprosos mundatos nobis ostendit*, &c. Hanc Controversiam sic tandem facetè absolvit Apologista, *Si* Durellus *sit Episcopis nostris à Secretis, ostendat quare Epistolæ ante Evangelia legantur.* Magnum sanè Mysterium & nonnisi ἐποπταῖς communicandum! Ineptis, an seriò agis, *Pyrgopolinices*? Quid si dicam ideo Epistolas legi ante Evangelia, quia Evangelia leguntur post Epistolas, eritne stultæ tuæ curiositati factum satis? Fuerit sanè ridiculo quæsito responsum ridiculum, ideoq; aptissimum. Sed ut seriò agam. Poteras itidem quærere cur legatur Testamentum Vetus ante Novum? Cur Sancti *Lucæ*, Sancti *Marci* Evangelium sequatur? Cur Sancti *Johannis* Epistolæ omnium postremæ sint in Novo Instrumento, & ejusmodi alia multa. Nihil opus est ut sit Episcopis nostris à Secretis, qui ad propositam quæstionem aptè respondeat. Ordo enim qui in legendis Scripturis Sacris apud nos observatur, non fuit ab iis, sed ab antiqua Christi Ecclesia institutus, ut vel ex allegatis *Augustini* verbis patet. Quæ ratio est cur ab eo Reformatores nostri, ut qui ab omni innovatione non necessariâ prorsus abhorrerent, sibi discedendum non putarunt. Dicuntur autem Antiqui ideo Vetus Testamentum Novo, & Epistolas Evangeliis in ordine lectionis præmisisse, quia à minus dignis exordiri, & ad digniora, qualia Evangelia, ut quæ Christi ipsius tum verba, tum res gestas referant, progredi in Sacrorum Celebratione visum est. Alii alias rationes afferunt; quæ omnes licèt rei necessitatem non probent, convenientiam tamen ostendunt, quæ sufficit in rebus ejus naturæ, mediæ scilicet & indifferentis in se, atque ad solam εὐταξίαν pertinentibus, in quibus demonstrationibus non opus est. Sed quærit tandem Apologista, *Quare, cùm Epistolæ ab Antiquis sæpius dicantur Evangelia, & ab eodem Spiritu dictata fuerint, minori cum reverentia aut attentione legenda & audienda sint, quam Evangelia?*

Respondeo 1.

Respondeo 1. Epistolas ab Antiquis Evangelium sæpè, quòd partes sint doctrinæ nobis per Christum revelatæ, *Evangelia* numquam dici.

2. *Evangelia* ab Epistolis eodem modo apud Antiquos vulgò distingui, quo olim in Ecclesia Judaica Lex à Prophetis distinguebatur.

3. Falli Disputatorem, ut sibi quidem videtur, egregium, qui putet nullum esse discrimen inter ea quæ ab eodem agente producta sunt. Id si verum foret, homo & equus dignitate non differrent; nec pluris æstimandus esset *Presbyterianorum* Apologista quàm coquus aut agaso. Sunt enim omnes jure pari Omnipotentis Dei Creaturæ. Nec denique præstaret lege Evangelium, aut unus Scripturæ locus alio attentione dignior esset. Omnis enim Scriptura θεόπνευστος.

4. Quum Novum Testamentum Vetere, & locus Novi alius alio præstet, quod extra Controversiam esse suppono, quid obstat quin, quod præstantius est, id majore cum reverentia & attentione à nobis legatur & audiatur? Potest tamen & eadem reverentia omnibus Scripturis exhiberi, cùm sint omnes omni reverentiâ dignissimæ; neque quis apud nos ab ea exhibenda prohibetur. Jubemur tantùm juxta antiquum Ecclesiæ Primitivæ Morem, cùm legenda sunt Evangelia, assurgere, & dum leguntur, hoc est, dum Christus ipse nos alloquitur, aut Christi gesta ab Evangelistis narrantur, ea stantes magna cum reverentia, attentione ac silentio audire atque meditari. Quod idem si facias dum prælegntur Epistolæ & cæteræ Scripturæ Sacræ, qui Ecclesiarum Reformatorum magni Ducatûs *Lithuaniæ* mos est, nihil peccaveris; imo nihil nisi quod æquum est, feceris. Sed cùm id tantùm facere jubearis ad Evangeliorum lectionem, ut ea saltem Scripturæ pars, quæ cæteris dignior videtur, quâ par est reverentiâ legatur & audiatur, id ni facias, improbanda profectò contumacia est, cujus nemo nisi Schismatico infectus Spiritu, reus evadet. Solent in Ecclesiis Reformatis Galliæ fideles, dum recitatur Decalogus, Caput aperire, cùm cæteras Scripturas operto Capite audiant. Ab iis si quærat *Puritanorum* Apologista, cur cùm cæteræ Scripturæ ab eodem Spiritu dictatæ fuerint, minori cum reverentia & attentione legendæ & audiendæ sint, quàm Decalogus? Nihil sanè nisi quod nos jam respondimus, ipsi respondebunt. Sed nobis utrisque respondeat

Apologista,

Apologista, quem *Presbyterianorum* arcana pernosse oportet, cùm eorum defensionem susceperit, cur verba nefandæ illius conjurationis, quod *fœdus solenne* vocabant (de quâ jam sæpius) cùm à Spiritu rebellionis profecta fuerint, majore cum reverentia & attentione legi & audiri oportuit, nempe à stantibus, apertoque Capite (quod suprà observavimus) quam ipsas Scripturas Sacras, quas sedentes & opertis Capitibus legebant, & audiebant. In eo enim Mysterium (iniquitatis procul dubio) quod nos planè latet, lubentes agnoscimus.

CAP.

CAPUT XIX.

De Reverentia quæ Christo Servatori ad JESU, proprii illius Nominis Dulcissimi, recitationem, à fidelibus in Ecclesia Anglicana exhiberi solet.

Describitur Reverentia, quæ Christo exhiberi solet ad auditum Nomen JESU. Qui Ritus, Cultus necessarius non habetur, neq; ex ullo Scripturæ loco ut necessarius deducitur. Non dictioni JESU, sed ipsi Christo Domino exhibetur illa Reverentia. Solvuntur Objectiones contra hunc Ritum. 1. Quod omni authoritate Scripturæ destituatur. 2. Quod ne ex Epistolæ ad Philippenses, Cap. 2. ver. 10. deduci queat. 3. Quòd non eadem Reverentia exhibeatur ad auditum Nomen Christi, Dei, Patris, Spiritûs Sancti, &c. Zanchio probatur, probatur & Fulconi. Ad Gisberti Voetii dilemmata contra hunc Ritum respondetur. Johannes Ellisius adversus putidam Apologistæ Calumniam vindicatur. Rectè ex Hieronymo colligit Ellisius Ritum hunc aut alium similem Hieronymi tempore in Ecclesia obtinuisse. Apud multas Reformatorum non Augustanæ modò, sed & Helveticæ Confessionis Ecclesias usurpatur. A Davide Paræo probatur. Anglica S. S. Bibliorum Versio. Philip. 2. 10. & R. Andreas Wintoniensis Episcopus defenduntur.

UT rectiùs intelligatur Controversiæ status, quædam præmittenda. 1. Nullam in toto Canone, quo hujus Ceremoniæ observatio præcipitur, *Genuflexionis* mentionem fieri, sed *Consuetæ Reverentiæ*, quæ capitis aut etiam corporis humilis inclinatio est. 2. Ritum hunc non tanquam Cultum necessarium ex aliquo

Vide Ecclesiæ Anglicanæ Canones anno 1604. Can. 18.

quo Scripturæ Sacræ loco deductum, sed tamquam Adiaphorum ad ædificationem faciens, juxta potestatem in rebus ejusmodi à Christo Ecclesiæ concessam, fidelibus commendari. 3. Reverentiam illam non *nomini*, hoc est, litteris ac syllabis in dictione JESUS contentis, sed ipsi Christo Servatori exhiberi ad testificandum nostram in Christum fidem, gratique animi motum quo corda nostra afficiuntur, quoties quot quantaque pro nobis egerit atque passus sit Christus, cogitamus. Quod plerumque fieri solet, semper fieri debet, ad recitatum Nomen JESU, præsertim in Ecclesia, inter Sacrorum Solennia. Ejusmodi vero gestus eâ ratione excitatos adeo non improbat Apologista, ut profiteatur pagina 110, *eos à se suisque* Presbyterianis *foveri*. At nihilominus, quæ est istorum hominum levitas, Ritus de quo jam inter nos disceptatur, qui non ob alium finem observatur, quam ut eos cordium motus aut testificetur aut excitet (quos eâ ratione cùm in nobis tum in aliis excitari docemur experientiâ) *ipsis displicet vehementer* inquit idem pag. 106. Primo, *quia omni Authoritate Scripturæ destituitur. Nam licet adduci soleat* Philip. 2. 10. *plusquam ridiculi sunt Sorbonici Sophistæ qui ex præsenti hoc loco colligunt genuflectendum esse quoties Nomen* JESU *pronunciatur, quasi vox esset Magica quæ totam in sono vim haberet inclusam; Atqui de honore loquitur* Paulus *qui filio Dei, non Syllabis exhibendus est*, inquit *Calvinus. Quibus gemina habet* Whitakerus, *in Præfatione ad* Sanderi *Demonstrationes de Antichristo, ubi inter ridiculas Papistarum consequentias hanc annumerare non veritus est. Christo Nomen datum est supra omne nomen, ut in Nomine* JESU *omne genu flectatur. Ergo quoties* JESU *Nomen auditur, capita nudanda & genua flectenda sunt Christo.* Hæc Apologista, ad quæ Respondeo 1. Neque *Philip.* 2. 10. neque ullum alium locum Scripturæ ab Ecclesia Anglicana adduci ad Ritûs illius necessitatem adstruendam. Non enim ut necessarius sed tantum ut utilis atque ad ædificandum aptus institutus est, & à nobis observatur. Quæ institutio & observatio, generalibus quæ in Scripturis habentur de Decoro & ordine in Ecclesia servandis, omnibusque faciendis ad ædificationem, regulis, satis niti, cuivis æquo judici rem attentè perpendenti, videbitur. 2. Quamquam Sorbonicorum ad auditum Nomen JESU, ipsique adeo nomini, hoc est, voci ac Syllabis Genuflexionis necessitatem ex *Philip.* 2. 10. inferentium (siqui sunt adeo ridiculi) consequentia, ad Ecclesiam Anglicanam nihil attinet, quæ nihil ejusmodi inde colligit, attamen *Calvini Whitakerique* Virorum Celeberrimorum cum bona venia, ex eo loco sic argumentari licebit. Si Christo Nomen datum est supra omne nomen ut ad Nomen JESU omne genu flectatur, quamquam hoc de honore filio Dei exhibendo intelligitur, possunt fideles quoties audiunt dulcissimum illud Nomen Jesu, externâ corporis reverentiâ,

tentiâ, honorem quem Filio Dei animitùs exhibent, externâ aliquâ corporis reverentiâ testari: Atqui Christo Nomen datum est, &c. Ergo. Num quod semper facere licet, id aliquando fieri nefas non est: Atqui externâ corporis reverentiâ quæ internam comitetur & significet, Christum semper licet venerari. Nefas igitur non est ad Prolatum Sanctissimum JESU Nomen illius proprium, eâ ratione ipsum adorare. Quemadmodum ex eo quòd semper licet Deum orare, rectè inferas idem licere certo quodam dato signo, audito scilicet nolæ aut tubæ sono, cujus instar est JESU Nomen Dulcissimum ad fidelium aures perveniens. Quod si quoties auditur Nomen illud Sanctissimum pari reverentiâ, non modò in Ecclesia inter Sacrorum Solennia sed ubique & semper in privatis ædibus atque Colloquiis exciperetur, quod apud quosdam *Lutheranos* Fratres fieri vidi, vix locus esset eorum impietati (quam meritò reprehendit Apologista, licèt eam immeritò nostris hominibus propriam faciat, cùm sit commune nimis multorum cujusvis Sectæ apud Christianos, ne *Puritanis* exceptis, peccatum) qui eo in exclamationibus suis vulgò abutuntur. Dices, cur idem non fit ad auditum Nomen, *Christi, Filii Dei*, &c. Respondeo, idem si fiat, in eo nihil peccabitur, nec à quoquam prohibetur quominus fiat. Sed fit maximè ad auditum Nomen JESU, quia JESUS Nomen est Christi Domini Personæ proprium, non modò Christum Dominum, sed salutem atque adeo omnia beneficia humano generi per Christum parta fidelibus in animum suâ significatione revocans, & ad id ipsum à Deo Patre per Angeli Ministerium Christo impositum. *Et vocabis Nomen ejus* JESUM, *quoniam servabit populum à peccatis.* Deinde, quæ Doctissimi Zanchii observatio est, "Hæc est Catastrophe hujus Nominis JESU, quòd "cùm antea ab omnibus ferè Judæis blasphemaretur, post mortem pa-"tefactâ ejus Deitate, ab omnibus adoratur: ita ut ad solam mentio-"nem Nominis JESU omnes ei genua flectant. Atque hinc non du-"bito, inquit *Zanchius*, quin profecta sit illa antiquissima consuetudo "in Ecclesiis, ut cùm nominatur JESUS, omnes aperiant Caput in "testimonium reverentiæ & adorationis. Nec hic prætereundum est *Fulconis*, quem Apologista jure merito vocat Reformatæ Religionis Propugnatorem acerrimum, de hac Ceremoniâ judicium. "Caput, *inquit*, "corpusque ad auditum JESU Nomen inclinari rectè potest, ubi mens "à Superstitione libera est, in signum reverentiæ illius Majestati debi-"tæ; idque tamquam in re in qua locum habere debet Christiana liber-"tas. Usque adeo Vir Doctus ac Pius ab hodiernorum *Puritanorum* morositate (utut eum tamquam suum in Controversia de re Vestiariâ vendicent, quod negat *Johannes Burgesius* noster) hac in parte abfuit. Si quæras (nam mulierculæ *Presbyterianorum* Discipulæ id etiam indesinenter in ore habent) cur non eadem externa reverentia exhibetur

Zanchius in 2 cap. Epist. ad Philip. v. 10.

Apolog. p. 72.

Fulco *adversus Jesuitas Rhemenses in Epist. ad Philipp. c. 2.*

hibetur tum Patri, tum Spiritui Sancto, cùm aut Deus, aut Creator, aut Dominus, aut Pater, aut Spiritus Sanctus nominantur. Sunt enim Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, unus Deus, pari honore ac reverentiâ dignus.

Respondeo *Primò*, Quin exhibeas si lubet, nihil vetat.

Secundò, Cùm Filium ita veneraris, eâdem operâ veneraris & Patrem, & Spiritum Sanctum qui unum sunt.

Tertiò, Quamquam Pater, Filius & Spiritus Sanctus sunt unus Deus summâ cum animi tum corporis reverentiâ adorandus; & quamquam quoties sive Dei, sive Creatoris, sive Domini, sive aliud Supremi Numinis Nomen auditur, ea mentibus nostris Idea objicitur, quæ venerationem conciliat; cùm tamen Deum Servatorem cogitamus, hoc est acerbam illam Crucis mortem pro nobis miseris peccatoribus sponte perferentem, & maledictum loco nostro factum, ut nos ab æterna morte redemptos Cœlo donaret, gaudiisque bearet sempiternis, certum est animos nostros, nisi si omni pietatis sensu destituimur, longè aliter affici, quàm cùm ut Deum simpliciter aut aliâ quacunque notione spectamus. Quum igitur jus fasque sit, internam, quâ Numen prosequimur animi reverentiam externo aliquo gestu corporis quoties Deus nominatur, testari; & opus plerumque habeamus ut in nobis interna illa reverentia, quâcunque ratione idoneâ excitetur, quod externo hocce gestu, de quo jam controvertitur, haud inutiliter fieri experientia docet; Quumque id commodè vix fieri queat ad omnem auditionem singulorum eorum nominum, quibus Numen sub variis notionibus propter varias illius virtutes & opera, significatur; quid, quæso, peccat Ecclesia si saltem ad auditum Nomen illud Dulcissimum quod Deum Servatorem indigitat, Ritum illum jubeat adhiberi? Aut quid peccant fideles, si in re adeo laudabili Ecclesiæ morem gesserint, Christum Dominum & unà Sacrosanctam Trinitatem propter gloriosam generis humani Redemptionem mente corporeque adorantes?

§. His ita explicatis, videamus quid reponi possit ad subtilia illa dilemmata, quæ ab Eruditissimo (sic eum hic vocat) *Voetio* suo mutuatus est Apologista, quibus probari putat "Ritum hunc (quem perperam totâ Disputatione Genuflexionem dicit) "observari non posse "sine Superstitione aut saltem sine aliqua ejus specie. Quum Genu-"flexio illa adhibeatur, in Cultu publico, necesse est, *inquit*, ut fiat vel "ad orandum, vel ad adorandum. Si fiat ad orandum, tum Hypocritæ "sunt quotquot recitato illo nomine non orant Orationem vel forma-"tam, vel ejaculatoriam. Si fiat ad adorandum, quæro an adoratio il-"la sit civilis an religiosa? Civilem nemo dixerit: Religiosam qui di-"cunt,

“com, objectum ejus faciunt, vel personam significata Quodcunque
“Nomen significans personam, vel utrumque simul ejus apparentia
“membrum eligatur, sequetur vel Superstitio, quantæ nugæ!
“talis à qua abstinere jubemur. Quanto conatu adorari ... religiosâ,
Tribus verbis respondeo, eo gestu adorari, & nego egoque conse-
Personam nomine Jesu significatam; & nego apparentia est.
quentium, in qua ne minima quidem veritatis apparentia in Reveren-
§. Sed hic ferociter admodum insurgit Pyrgopolinices Ellisio in-
dum Virum Johannem Ellisium. Quia placuit Johanni 197. San-
fami Apostatæ, inquit, in Retractationibus suis pag. testimonio con-
ctum Hieronymum in suffragium vocare, & ex eo genuflectunt,
cludere, eos qui ad recitationem hujusce nominis Hieronymi
reos esse vel infidelitatis Judaicæ, vel mentis Superbiæ ad Esaiæ,
locum integrum transcribere non pigebit. Sic igitur ille huic spes
cap. 45. vers. 23. Hoc jurat, &c. Profecto nisi pœnitentiæ Genuflexio-
dolosi affulsisset nummi, putasset eum ex hoc testimonio quam ad rem
nem ad recitationem Nominis Jesu colligere. Priusquam dicta sunt, pau-
venio, iis quæ jam de Viro Reverendo in Præfatione & scissâ in
ca hoc loco addenda videntur. Ille rebus apud nos turbatis vero quam
partes varias Ecclesiâ, ad Independentes transierat. Ante vix ulla spes Ellis. Retract.
restitutus esset Rex Serenissimus, cùm illius restitutionis sine rerum lib. 1. cap. 3.
affulgeret, non voce modo sed scripto etiam publico, non multum in Eccle-
suarum discrimine, professus est, se in Regem multum, Quod
siam Anglicanam deliquisse, delictorumque serio se pœnitere: sit. Id-
olim tempore oportuno, si Deus dederit, prolixius testaturus cum laude
que Voti reus bonâ fide, ut Virum bonum decebat, magnâ lacerari
præstitit. An verò qui ita se gessit, infamis Apostatæ convitio mero Con-
meruerit, & ad Retractationes scribendas impulsus, non ex spe al-
scientiæ motu, solâque veritatis cognitione, sed inhonestâ lucri locum, &
lectus, jure dici possit, judicent probi. Sed Divi Hieronymi inquit
quid ex eo colligi posse putat Ellisius, excutiamus. “Hoc jurat, Cœlesti-
Hieronymus, “quod Idolis derelictis omne genu ei flectatur mor-
“um, Terrestrium & Inferorum, & omnis per eum juret lingua. Moris est
“talium. In quo perspicuè significatur populus Christianus. super-
“enim Ecclesiastici, Christo genu flectere, quod Judæi mentis Ellisius
“biam demonstrantes omnino non faciunt. Ex quo colligit respu-
eos, qui suprà memoratum Ecclesiæ Anglicanæ Ritum præfractè Quid ni
unt, reos esse vel infidelitatis Judaicæ vel mentis superbiæ. id inde
concludat? Quis enim quem non occæcavit fastus Schismaticus, Mo-
legitimâ consequentia deduci non videt? Genuflectere suo Sæculo omnino non
ris Ecclesiastici fuisse, ait Hieronymus. Quod cum Judæi quotquot hoc
facerent, id eorum superbæ menti tribuit. An non inde tempore

tempore Christi Nomen profitentur; & tamen Ecclesiæ Morem similem inclinato capite Christum adorandi ad auditum JESU Nomen illius proprium, servare renuunt, aut infidelitatis, aut mentis superbiæ, ex *Hieronymi* sententiâ reos esse manifestò consequitur? *At per totum testimonium*, inquit Apologista, *Nomen* JESU *numquam occurrit*. Imo occurrit, si occurrit loco illo celebri Capitis secundi Epistolæ ad *Philippenses*, *Christo datum Nomen*, quem clarum est à D. *Hieronymo* allegari. Sed instat adhuc: *Dicit Pater, Moris esse Ecclesiastici Christo genuflectere; non dicit, Moris esse Ecclesiastici ad Nomen* JESU *genuflectere*. Neque nos dicimus ad Nomen JESU genuflectendum, sed pro More Ecclesiastico Christum Dominum ad auditum JESU illius Nomen proprium seu genuflexione, seu aliquo alio idoneo corporis gestu adorandum, ubi Mos ille obtinet. Parum verò refert scire an omnes an aliqui tantum, aut verò etiam nulli Patres, prout affirmat Apologista versum illum decimum Capitis secundi Epistolæ ad *Philippenses* de externa Reverentia ad auditum Nomen JESU exhibenda, interpretentur necne, cùm eo ad Ritum illum stabiliendum nuspiam utatur Ecclesia Anglicana. Sufficit nobis unus hic *Hieronymi* locus ad demonstrandum Morem similem nemine reclamante, nisi quos infidelitas Judaica cum superbia mentis conjuncta occœcaverat, in antiqua Christi Ecclesia obtinuisse.

§. Ad Transmarinas Reformatorum Ecclesias quod attinet, in iis omnibus, quæ *Augustanam* Confessionem sequuntur, Ritum eundem observari constat. In *Gallicanis* ac *Belgicis* aliisque nonnullis, Confessiones alias amplexis, non esse in usu, haud negamus; Quas ideo non damnamus, cùm neque Anglicanam aliasve ob illius observationem ipsæ damnent. Neque enim à nobis ut necessarius observatur, neque ab illis ut malus atque illicitus omittitur. Unde patet ea, quæ ex *Wendelino* allegantur, *de Lutheranorum quorundam κακοζηλία*, Ecclesiam Anglicanam haud ferire. Sed nec desunt aliæ Ecclesiæ Reformatæ *Polonicæ*, scilicet, *Lithuanicæ*, *Germanicæ*, à quibus Ceremonia de qua agimus, non exulat. Quod cùm in Tractatu Anglicano annotavissem, sic reposuit Apologista. *Fit hoc*, inquit, *sed à quibus? non credo à Pastoribus aut Superintendentibus, nec eorum suasu, sed ab imperita plebe.* Cur verò ita credis, cùm quid apud illas Ecclesias agatur quàm quod apud incolas terræ Australis incognitæ, haud magis scias. Ut igitur discas à quibus id fiat, audi *Davidem Pareum* Sacrarum litterarum in Academia Archipalatina olim Professorem Celeberrimum, suo & earum Ecclesiarum Reformatarum nomine, quæ ad *Lutheranarum* distinctionem, *Calvinianæ* vulgò dicuntur, de hoc Ritu in *Irenico* sic differentem.

Parai Irenic. cap. 24. Artic. 15.

" De Geniculatione & Capitis apertione vel inclinatione ad Nomen " JESU prolatum, si *Lutherani* & Papistæ ut de Reverentia Adiapho-

" ra

"ra consentiunt, nihil ab iis nos dissentimus. Nam [illegible] nos eam Cere-
"monium (nisi ubi Superstitionis species aut confirmatio vitanda est)
"liberè observamus.

§. Porrò, quod ait Apologista, "dubium esse an in Canonibus no- Pag. 109.
"stris hic Ritus commendetur, quoniam non desunt qui asserant illa
"omnia quæ de eo ibi habentur, malis artibus inserta esse in Canones
"1603. majori parte Theologorum nec consentiente nec approbante,
planè trivolum est & Responsione indignum, atque inter *Puritanorum*
fabulosas Narrationes, de quibus Capite 11. numerandum. Ejusdem
commatis est quod addit eodem Paragrapho, *in ultima Editione Biblii*
Anglicani (sic illi loqui placuit) *cùm Interpretes posuissent*, in the
name, in nomine, fraude Episcopi *Andrews* (magnum illum *Lancelo-*
tum Wintoniensem, intelligit, quem Clarissimus *Molinæus* ubique suspicit, Petr. Molin Epistol. ad Episcop. Winton.
quem *Blondellus*, Reformationis Heroibus annumerat; quem ut Virum Blondell. in Præfat. ad Joh. Dallæi libr. de Quadragesima & Jejuniis.
modestum & alienum a studio partium laudat ipse Apologista) *deletam*
esse istam phrasin, & in eorum locum substitutam, at the name. Quasi verò
ἐν τῷ ὀνόματι hoc loco, non rectè verteretur, *ad Nomen*; Quod tamen
Clariss. *Bezæ* magis placuit quam, *in Nomine*. Sed neque penes Re-
ver. *Andream* fuit, utut magna fuerit iure merito ipsius authoritas, isti Apolog. in Admonit. ad Lectorem.
Sacrorum Bibliorum Versioni phrasin ullam, nisi cæteris Interpretibus
consentientibus inserere. Ita enim à Serenissimo Rege JACOBO,
quo procurante facta est Versio de quâ agitur, decretum erat, ut nihil Vide Fulleri Histor. Ecclesiastic. Britan. lib. 10. pag. 47.
authenticum haberetur ac publici juris fieret, quod non fuisset omnium
ac singulorum Interpretum, quibus eam Provinciam demandaverat dili-
genti examine pensitatum ac suffragiis comprobatum.

CAP.

CAPUT XX.

De *Litania*, deque modo recitandorum Divinorum Officiorum juxta usum Ecclesiæ Anglicanæ.

Nullâ Liturgiæ Anglicanæ parte æquè offenduntur Schismatici atque Litaniâ. *Illius Descriptio. Modus recitandi* Litaniam *Puritanis displicet, &* Voetio *absurdus videtur. Quod si verum foret, non tamen eliminanda extra Ecclesiam fuit, sed absurditas in recitando corrigenda, prout factum est ab Ecclesiis Reformatis* Galliæ *in quorumdamC œtuum Psalmodia. Non sunt fideles in Reformatorum Cœtibus dum funduntur Preces Publicæ,* κοινῇ φωνῇ. *Canuntur in iis omnibus promiscuè Psalmi precatorii, & in plerisque ipsa Oratio Dominica. Recitantur non à Ministro tantùm sed etiam à fidelibus aliæ Preces apud Ecclesias* Bohemicas, Polonicas, Lithuanicas, Helveticas, Hungaricas. *Idem factum in Ecclesia Primitiva & Apostolica. Idem in* Judaica. *Ratio recitandarum Precum in Ecclesia Anglicana. Ridicula* Presbyterianorum *exceptio adversus illud* Litaniæ, á Subitanea morte libera nos Domine. *Explicatur illud*, & ab omni peccato mortali, *&c. & adversus eorumdem Cavillationes vindicatur. Quo authore & quem ob finem verba ista*, à tyrannide Episcopi Romani & illius detestandis enormitatibus, libera nos Domine, *expuncta sint è* Litania.

INter varia illa Officia Divina quæ Sacrâ Ecclesiæ Anglicanæ Liturgiâ continentur, nullum est quod omnes omnis generis Schismaticos æquè infensos habeat, atque *Litania* seu *Supplicatio Generalis*. Quâ in re quàm præpostera sit, quam præ se ferunt, Pietas atque in precibus devotio, quam parùm judicio valeant in iis quæ ad Religionem

nem

nem pertinent, quantùm suis affectibus atque præjudicatis opinationibus indulgeant, si ullibi, produnt maximè. Omnium Divinorum Officiorum planè Divinissimum est Litania. In ea enim, primò omnium, Orthodoxa Christianorum in Sacro-sanctam Trinitatem fides, distincta Patris, Filii & Spiritûs Sancti invocatione solidè adstruitur ac fovetur, ut ei interesse nisi qui de hoc Religionis capite, quod Religionis caput est, rectè sentit, nemo queat; Deinde delictorum agnitione pœnitentia excitatur; Justorum Dei judiciorum & omnis generis peccatorum quibus ira Divina accenditur, deprecatio fit; ea omnia quæ pro humani generis Redemptione Filius Dei fecit ac pertulit, enumerantur atque ipsi repræsentantur, quò nobis in prosperis, in adversis, in morte, in ultimo judicio, fiat propitius; Posteà oratur pro Ecclesia Universa, pro Rege Regiâque familiâ, pro Episcopis aliisque Ecclesiæ Ministris, pro Regiis Senatoribus, pro Nobilibus, pro Magistratibus, pro Plebe Universâ, pro totius Orbis pace atque concordiâ, pro amore & timore Dei, pro augmentis gratiæ & docilitate ad Verbum Dei cum fructu audiendum, pro errantibus, pro Stantium confirmatione, pro Vacillantium corroboratione, pro lapsorum suscitatione, pro periclitantium, egenorum atque eorum qui in tribulatione versantur sustentatione; pro terrâ marique peregrinantibus, pro parturientibus, pro infirmis, parvulis, captivis, orphanis, viduis, oppressis, afflictis; pro omni genere humano; pro inimicis, pro persequentibus ac calumniantibus nos; pro frugibus; Denique pro peccatorum quæ ex ignorantia aut negligentia proficiscuntur, condonatione: Quibus post imploratam iterum juxta priscæ Ecclesiæ formulam, *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison,* Patris, Filii & Spiritûs Sancti misericordiam, subjicitur Oratio Dominica. Adduntur & aliæ Preces deprecatoriæ, interjectâ S.S. Trinitatis Doxologiâ pro gratiarum actione, ut nihil ad perfectionem in Sanctissima illa Supplicatione desideretur, Eaque omnia Divino planè modo atque ad Dei timorem, proximi amorem, pietatis, sanctitatisque studium excitandum aptissima, prout piis fidelium mentibus quotidianâ experientiâ constat. Ut nos serio misereat eorum omnium cujuscunque generis Schismaticorum, qui Ecclesiæ Anglicanæ Sacris interesse detrectant, dum *Litania* recitatur, quique eam tantum non abominantur, quæ est istorum hominum vesania atque ἀθέσμος τίς; De quibus rectè dixeris quod de Gentilibus dixit Apostolus, ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν· φάσκοντες εἶναι σοφοὶ, ἐμωράνθησαν.

§. Verùm istis omnibus æquior hic esse videtur Apologista. Quod *ad Litaniam,* inquit, *non diffitemur eam continere petitiones multas sanctas & necessarias.* Eas tamen omnes utut sanctas & necessarias cum toto libro Liturgico unâ inductâ liturâ obliterarunt & fidelibus interdixerunt *Presbyteriani.* Istud vero quamobrem audiamus. "Cùm Apol. pag. 111.

" incumbat

"incumbat Ministris Evangelii, *inquit*, ut in precando præeant, fideli-
"bus auditoribus ut mente devotâ attendant, ac præeuntes Ministros
"cogitatione sequantur, in *Litaniâ* contrà fit; vel enim populus eadem
"pronunciat quæ prius à *Presbytero* pronunciata sunt; vel *Presbytero*
"suggerente solam materiam precandi populus ipsam precationem of-
"fert. Quæ consuetudo quàm sit absurda, videatur *Voetius*, Eccles.
"Politiæ *pag*. 482. & 483. Multo minùs profectò insaniebat, qui vites omnes amputandas censuit, eo quòd vino homines inebriarentur. Nam dato absurda esse quæ *Voetio Presbyterianisque* absurda videntur, cur non retentæ sunt precationes sublatâ absurditate? An enim ideo Sanctæ necessariæque precationes fidelibus interdicendæ erant, & extra Ecclesiam eliminandæ, quia modo absurdo recitabantur? An non magistris rationi consentaneum fuit absurdam illam consentudinem si quæ fuit ejusmodi, tolerari, ut retinerentur Sanctæ necessariæque precationes, quàm eas penitùs obliterari, ne absurdè recitarentur? Earum Ecclesiarum consuetudo, in quibus quilibet Psalmi versiculus ab uno distinctè prius legitur, deinde à toto Cœtu cantatur, ut qui non possunt legere possint concinere, absurda visa est Ecclesiarum Reformatarum Galliæ Synodo Nationali; ideoque Ecclesiis Reformatis Gallicanis in quibus obtinebat, interdicta, sed Psalmis intereà Psalmodiâque retentis.

Synod. National. Figeac. ann. 1579.

§. Sed quî probatur modum recitandi *Litaniam* in Ecclesia Anglicana consuetum, absurdum esse? "Vel populus eadem pronunciat, *in-*
"*quit*, quæ prius à *Presbytero* pronunciata sunt; vel *Presbytero* sugge-
"rente solam materiam precandi, populus ipsam precationem offert,
"cùm incumbat Ministris Evangelii ut in precando præeant, fidelibus
"& auditoribus ut mente devotâ attendant, ac præeuntes Ministros
"cogitatione sequantur. Sed unde probas fidelibus incumbere in Ecclesia, ut sint semper κωφὰ πρόσωπα? Scio vulgò credi quod ita fiat in Transmarinis Reformatorum Ecclesiis, cùm tamen revera nulla sit Ecclesia Reformata, ne exceptâ quidem Ultrajectinâ, quæ D. *Voetium* audit, in qua fideles, Preces quasdam clarâ voce unà cum Ministris non recitent. An non enim cantantur apud eas omnes â toto fidelium Cœtu æquè atque à Ministris omnes & singuli Psalmi, in quibus multi precationibus toti constant? An non in Ecclesiis Reformatis Galliæ ab Universo Cœtu statim à Cœna Domini canitur Canticum Simeonis? An non apud easdem Ecclesias canitur & precatio illa rythmica quâ Decalogus metris rythmiticis constrictus clauditur. Nam precationes rythmicæ non desinunt esse precationes. Quò autem ostendant tum Canticum Simeonis, tum precationem Decalogo additam, ut precationes à se Deo offerri, ea non nisi inflexis genibus, aut erecti, qui etiam apud eos orantium gestus est, cantare solent. Decantata autem precatio, non minùs precatio est, quàm simpliciter recitata; Quinimò qui benè can-

tat,

tu, bis orare vulgò dicitur. Cantatur etiam ab omnibus fidelibus in Reformatis Belgii Ecclesiis ac plerisque Germanicis Oratio Dominica metris rythmicis. Apud Fratres Bohemos confirmandi, non modò Symbolum Apostolicum clarâ voce omnes simul recitant, apertèque coram Ecclesia abrenunciant Satanæ, Mundo, &c. sed præterea Ministro præeunte Deum orare solent. Ratio Discipl. Fratrum in Forma Novitios recipiendi. In Ecclesiis Polonicis ac Lithuanicis Puerperæ precationem Eucharisticam ipsæ clarâ voce, nec præeunte quidem Ministro in Ecclesia fundunt. In Ecclesia Basileensi dum visitatur ægrotus ipse confessionem peccatorum una cum Ministro pronunciat. In Transylvanicis verò atque Hungaricis Ecclesiis Precationes omnes post Ministrum verbatim repetunt fideles. Quod sponte fieri summissâ quidem voce, à plurimis vidimus in Gallicanis, dum recitatur Oratio Dominica. Tantum abest, ut fidelibus incumbat, ex Ecclesiarum Reformatarum sententia ac praxi, ut præeuntes in Precando Ministros cogitatione tantùm sequantur, nihil ipsi clarâ voce Pronunciantes. In Primitiva Christi Ecclesiâ fideles non fuisse κωφὰ πρόσωπα testantur antiquæ Liturgiarum formulæ. Testatur & Sanctus Lucas in Actis Apostolorum cap. 4. vers. 24. in Ecclesia Apostolica, ipsis Apostolis viventibus & videntibus, non ministrum voce præeuntem fideles cogitatione tantùm sequutos, sed totum fidelium Cœtum altâ voce simul orasse. Omnes enim quotquot aderant fideles, auditis quæ Dominus per Petrum & Johannem, egerat, Ὁμοθυμαδὸν ἦραν φωνὴν πρὸς τὸν Θεὸν, καὶ εἶπον. Δέσποτα, σὺ ὁ ποιήσας, &c. Unanimiter sustulerunt vocem ad Deum, & dixerunt, Domine tu qui fecisti, &c. Neque negari potest quin finitis Orationibus singulis, universus fidelium Cœtus acclamaret, suum Amen subjiciens. Quæ fuerit à primis usque temporibus Ecclesiæ Judaicæ in Precibus publicè recitandis consuetudo, quamque huic nostræ in Ecclesia Anglicana similis, investiganti patebit vel ex iis quæ capite, de Precandi formularum Origine deque earum Antiquitate atque usu in Ecclesia Dei, ex ipsis Scripturarum fontibus annotavimus. Quædam enim Preces, nempe Confessio peccatorum, Oratio Dominica & aliæ nonnullæ quæ magis sunt patheticæ, in Ecclesia Anglicana à Ministro simul & universo fidelium Cœtu pronunciantur; Quædam à solo Ministro totius Ecclesiæ Nomine Deo offeruntur; Quædam etiam alternis vicibus partim à Ministro, partim à Plebe recitantur, aliis alios certatim in Votis communibus pro se invicem Domino offerendis, sese prævertentibus: In quibusdam denique, quod fit in nonnullis Litaniæ locis, prout observat Apologista, materia Precum à Ministro suggeritur, precatio vero à fidelium Cœtu, præ zeli fervore Ministrum antevertente, clarâ voce funditur, hoc modo; *Ab omni Seditione, secretâ Conjuratione & Rebellione; ab omni falso dogmate, Hæresi*

Vide Agenda Eccles. Polon. & Lithuan.

Vide Agenda Eccles. Basil.

1 Cor. 14. Justin Martyr. Apologia 2.

resi & Schismate, à cordis duritie, à contemptu verbi & mandati tui: Hæc Minister; quibus confestim quasi eodem Spiritu, nullâ interjectâ morâ subjungit clarâ voce universus populus, *Libera nos Domine.* Quæ omnia ad attentionem conciliandam, devotionemque excitandam, atque majorem Sacrorum solennitatem olim instituta, à piis Beatæ Memoriæ Reformatoribus ob eosdem fines retenta sunt.

§. Verum quamquam Apologista nihil in *Litania* reprehendit præter rationem illius recitandæ, id ipsius calliditati potius quam moderationi tribuendum est; ne si quæ in hoc Officio *Presbyterianorum* morositatem experta sunt, ea omnia ipse etiam carperet, se suosque Ejectos in *Anglia* Ministros cordatis omnibus apud exteros, deridendos propinaret. Quale est illud quod *Baxterus*, Apologistæ Vir summus, *Calamius, Mantonus*, aliique *Presbyterianorum* Triarii in *Litania* ferre nequeunt, scilicet, Deum rogari ut nos à *Subitanea seu improvisâ morte liberet*; pro quo Viri subtiles & castigatissimæ Orationis, poni vellent, ut nos liberet *à moriendo subitò*; quasi verbis illis aliud aut intelligeretur, aut posset intelligi. Nec multùm dissimilis est eorumdem Virorum sociorumque ferè omnium censura, cum *odiosum* non *mortale* peccatum dici volunt, hoc modo, *& ab omni alio peccato odioso, Libera nos Domine:* quasi alioqui, necessariò ex ea phrasi sequeretur, peccata, sensu Pontificio, alia esse mortalia, alia venialia, & non pari incommodo laboraret istorum emendatio, scilicet peccata Libertinorum sensu, alia esse odiosa, alia tolerabilia. Istam certè Pontificiorum distinctionem aut ignem Purgatorium, cui fovendo maximè inservit, cùm nusquam probet Ecclesia Anglicana, non magis ei favere putanda est ex hoc quòd peccatum mortale dicat, quàm *Paulus* Apostolus docere, *opera tenebrarum quædam esse frugifera*, quòd ea vocet *infrugifera*. Nempe τὸ *mortale*, hic, quemadmodum τὸ *infrugiferum* apud Apostolum, ἐξηγητικὸν est, non διακριτικὸν, explicatque non distinguit naturam peccati, cujus qualecunque sit, mors æterna merces propria est, si Deus nobiscum agat jure summo.

In grandi certamine.

§. Sed aliud est crimen longè gravissimum quo hic Reverendi Prælati nostri ab authore Gallicæ *Puritanorum* Apologiæ onerantur, scilicet ab iis expunctam ex *Litania* hanc Clausulam, *a tyrannide Episcopi Romani & illius detestandis enormitatibus, Libera nos Domine.* Expunctam non diffitemur, sed ut impudentissimi rabulæ malicia (ignorantia enim non est) qui expunctionem illam quasi nuperum Prælatorum nostrorum in gratiam Romani Pontificis facinus traducit, liquidiùs appareat, rem totam, quando scilicet, quo authore, & quem ob finem facta sit, hic paucis enarrare non gravabor; in quo Lectoribus præsertim exteris gratum me facturum confido. Clausula illa ab *Henrico* 8. Rege cùm Papalis Jurisdictionis jugum, licèt Papalibus erroribus adhuc mancipatus,

mancipium, excussisset, *Litania* primùm inserta est; & in utraque Liturgiæ Editione sub *Edvardo 6.* retenta & publicè usurpata. Quum verò Regnante *Elizabethâ* decretum esset ut omnes Regni *Angliæ* Subditi, Sacris juxta Ritum Ecclesiæ Anglicanæ interessent, iisque qui interesse detrectarent, mulcta pecuniaria esset imposita; æquum visum est ut Clausula de qua agitur, in gratiam non Pontificis Romani (cui non erat cur multùm faverent aut *Elizabetha* Regina, aut Præsules qui Ecclesiam Anglicanam sub *Elizabetham* regebant) sed Pontificiorum Anglicanorum, ex *Litania* expungeretur; nequid esset in Officiis Divinis quibus interesse jubebantur, quo jure offendi possent atque à Sacris frequentandis deterreri. Quam æquitatem prudentiamque Christianam ab aliis Reformatis adeo non damnari certum est, ut eamdem moderationem ipsi omnes ubivis Gentium & iisdem de causis, in Liturgiarum suarum formulis studiosè servaverint. Quod idem si Pontificii in gratiam Protestantium imitarentur, nihil obstaret quominus eorum Sacris si modò linguâ vulgari peragerentur, nos etiam interessemus. De ea Ecclesiarum Reformatarum Gallicanarum, ac *Genevensis* nominatim moderatione quam dixi, sic Clarissimus *Amyraldus*. "Atque hic commemorare libet ad exemplum, quantâ sapientiâ quantoque temperamento compositæ fuerint eæ precationum Formulæ (authore *Calvino*) quibus Ecclesiæ Gallicanæ & *Genevensis* utuntur. Absunt enim usque adeo longè ab omni Controversiarum tractatione, ut Pontificii ipsi eas usurpare non vereantur. Et quod vix credibile esset nisi publicè viseretur, eas inseruerunt in eos libros in quos congesserunt varias precationum Formulas, quæ vernaculâ linguâ, populo traderentur." Ex quibus æquus Lector satis intelligat quæ sit male sani istius capitis non imperitia (nam hæc eadem in Tractatu Anglicano quem suscepit refutandum, observaveram) sed immedicabilis improbitas.

De Secessione ab Eccles. Rom. p. 225.

Pag. 111.

CAP.

CAPUT XXI.

De iis quæ PRESBYTERIANI reprehendunt in Sacramentorum Administratione juxta Ritum Ecclesiæ Anglicanæ.

De Sacræ Mensæ Situ ac Nomine. Reverendissimus Laudus Cantuariensis *adversus Apologistæ convitia vindicatur. Explicatur altercatio quæ de Situ Sacræ Mensæ inter Doctorem* Williams, *& Doctorem* Heylin *intercessisse dicitur. Rubrica, in qua explicatur ingeniculationis Ritus inter communicandum, postremæ Sacræ Liturgiæ Editioni inserta. Reverentiæ quâ tractantur Eucharistiæ elementa, siquid eorum supersit, postquam omnes communicarunt, nihil inest superstitiosi, aut quod Papismum redoleat. Verba* Kekermanni *ab Apologista citata perpenduntur ac refutantur. Privatorum hominum scripta, maximè ea quæ absque Superiorum veniâ & approbatione in vulgus prodierunt, Ecclesiæ Anglicanæ immeritò imputantur. Ecclesia Anglicana, à Romana, quòd Idololatriâ sese polluisset, secessit. Author libri cui titulus,* Pondera & Mensuræ, *utut hac in parte à communi Reformatorum doctrina recedat, Vir Eruditissimus. Liber inscriptus,* Parallelum inter Phanaticos novos & veteres *ab Ecclesiæ Anglicanæ Adversario,* Presbyteriano *fortassis, scriptus.* Heylinii *judicium de* Edvardo *Rege sexto, ad Ecclesiam Anglicanam nihil attinet. Præstantissimi illius Principis Elogium, Authore Clarissimo* Hookero. *Non sine causis idoneis à* Durello *annotatum in Tractatu*

Tractatu Anglicano, ex qua materia conficiuntur vasa quæ Sacra Eucharistiæ administrandæ apud Reformatorum Ecclesias inserviunt. Poculis & Catinis ligneis in Eucharistiæ Celebratione utitur Ecclesia Tigurina.

ACcedamus, jam ad Sacramenta, ordinata quidem à Christo ad fideles uniendos, sed à Liturgicis nostris, Ritibus addititiis in tantum fœdata, ut ea, salva conscientiâ administrare nequeamus; Hæc Apologista suo & sodalium nomine. Quæ si vera sunt, bonorum omnium ubique Gentium commiseratione favoreque certè digni sunt Ejecti in Angliæ Ministri, ut qui persecutionem propter justitiam patiantur. Sin minùs, ut Schismatici perniciosissimi calumniatoresque nequissimi, iis omnibus, quibus pax Ecclesiæ cordi est, exsecrabiles esse debent. Isthuc igitur qui probatum det, videamus. Ante omnia, inquit, præmitto ἀμφίβολον illud, Doctorem Laud; cùm Archiepiscopus esset Cantuariensis, id summo studio egisse, ut mos venerandi Mensam aut altare versus, in Ecclesiam Anglicanam introduceretur. Eum in finem Mensæ mutantur in Altaria, vel saltem ita collocantur in Templis, ut certum & stabilem locum semper obtinerent, & quidem ad parietem à meridie versus Septentrionem septo quodam distinctum. Nihil hac in re tentatum esse, quod non in aliis Ecclesiis Reformatis fiat, probare satagit Durellus Pag. 80. Hæc Pag. 111. Apologista, in quibus veritatem aut æquitatem ullam si quæsiveris, nuspiam invenias. Quod ut tibi constet, Lector, adire ne graveris harum vindiciarum caput 4. Adi & Synodi Londinensis ann. 1604. habitæ Canonem 82. In quo quidem statuitur, ut Sacra Mensæ suo certo loco consistant, sed cum hac cautela, nisi cùm Sacramentum erit administrandum; quo quidem tempore, in Ecclesia, vel ejusdem cancello ita constituantur, ut tum Minister inter Precandum & Administrandum, commodiùs possit à communicantibus audiri, tum communicantes etiam convenientius & majore numero à Ministro Sacramentum percipere. Videsis & Elizabethæ Reginæ Injunctiones in quibus occurrunt hæc verba, unde jam allegatus Canon desumptus esse videtur. Sacra Mensa eo loco collocetur, in quo stabat Altare, decenter cooperiatur, ibique consistat, nisi cùm distribuenda est Sacra Communio; quo tempore ita collocabitur in Cancello, ut tum Minister inter Precandum & Administrandum commodiùs audiri possit, tum communicantes majore numero cum Ministro communicare. Semper autem celebratâ Sacrâ Communione, eodem loco collocabitur, ubi stabat prius. Unde etiam liquet eum Sacræ Mensæ situm, in superiore parte Chori ad orientem juxta parietem, quem ferre nequeunt Presbyteriani, jam olim sub Elizabetha

zabetha Regina, ipsiusque expresso mandato in Reformata Ecclesia Anglicana obtinuisse. Ex iis enim manifestum est (nisi essentia Altaris in Situ consistat, quæ *Presbyterianorum* opinio esse videtur, alioqui quid sibi velint per *Mensas Altariformes*, haud facilè intelligas; cùm ad hunc usque diem Sacræ Mensæ in Ecclesia Anglicana à ligneis vulgaribus, nisi Situ & usu nihil differant) "neque Mensas in Altaria versas, neque ita "collocatas in Templis, ut certum & stabilem locum semper obtine-"rent supremum ad parietem; neque in earum Situ à temporibus *Eli-"zabethæ* quicquam innovatum; neque in eo ullam Religionem collo-"cari; neque ad Mensam, sed ad Deum solum incurvari, qui Ecclesias "nostras ingrediuntur; neque denique in Viros sapientes, qualis esse "sibi videntur *Presbyteriani*, ullum justum metum cadere potuisse, ne, "si juxta *Elizabethæ* Injunctiones, Canonem 82. anni 1603. aut sex-"tum anni 1640, collocarentur Sacræ Mensæ, ad Idololatricam Papista-"rum Missam, relaberetur; atque ideo hac in parte Schismaticos immerito quiritari & Calumniis suis iniquissimis Ecclesiam Anglicanam absque omni ratione onerare. Quod ait, "Ejectos ex Academia qui ad "Altare sese non incurvarent & papaturientes Sacellanos pro concione "dixisse, dari in Eucharistia Sacerdotes propriè dictos, Sacrificia & Alta-"ria propriè dicta, verum esse concedemus ubi id argumentis idoneis, probatum dederit; *sic nobis notus Ulysses*. Sed fac rem ita se habere, quis non videt Canone quinto Synodi ann. 1640. malis illis seu curandis, seu cavendis adhibitum remedium, his verbis: "Porrò declaramus eo Sacræ "Mensæ Situ (qui suprà descriptus est) minimè innui eam esse verum "ac propriè dictum Altare; aut habendam esse pro vero ac propriè "dicto Altari, in quo Christus denuo in Sacrificium realiter offeratur. "Verum & est, & nobis quidem Altare dici potest, quo sensu ab Eccle-"sia Primitiva, Altare dicebatur, & non alio. Ubi nota, quod jam suprà monuimus, Reverendissimum *Cantuariensem* quem procacissimus fabula hîc *ἀμφίβιον* vocat, Synodi illiùs Præsidem fuisse, quod unum satis est ad demonstrandum quo loco apud eum fuerit Ecclesia Romana. Nam præterquam quòd jam sæpius allegato Canone, Missa Pontificia *Idololatrica* esse disertis verbis supponitur, constat Juramentum, adversus Tyrannidem ac Superstitiones Pontificis Romani quod ejusdem Synodi Canone sexto habetur, de quo capite 4.--- Authore *Cantuariensi* qui primus omnium in ea verba ipse juravit, cæteris Episcopis atque universo Ecclesiæ Anglicanæ Clero fuisse impositum. Deinde, quis qui Maximi Præsulis adversus *Fisherum* Jesuitam Opus Eruditissimum Elegantissimumque legerit, quique noverit illius perseverantiam ad extremum usque Spiritum in fide & doctrinâ Ecclesiæ Anglicanæ, quam coram Deo & hominibus in Theatro tragico professus est, quum innocentem cervicem truci *Presbyterianorum* gladio jamjam esset submissurus,

rus, & supremo Judici totius vitæ rationem redditurus; Quis, inquam, qui ista legerit ac noverit (nisi eorum similis qui ipsum Dei Filium, Samaritanum & Diaboli, cujus destruebat opera, Emissarium dicebant) de illius sinceritate in negotio Religionis dubitare audebit? Scripsit & jam prodiit, ex quo hæc scribebam, Manuale privatarum devotionum Archiepiscopi, complectens Precationes varias quas ἐν τῷ ταμιείῳ juxta Christi Domini præceptum ad Patrem cœlestem Vir Pientissimus fundebat: ex quibus apparet quàm fervens, quàm assidua, quàm sincera & procul à fuco, quàm denique omnibus modis eximia fuerit Viri illius Pietas; & alia multa, quæ si edantur (quod propediem fore spero voveoque) ipsum adversus iniquas Adversariorum omnium calumnias, ni ista sufficiant, plenè vindicabunt. Sed observent hic, rogo, Fratres Transmarini, *Presbyterianorum* nostratium ingenium, quàm sit alienum à Christiana charitate qualis ab Apostolo describitur, 1 *Cor.* 13. *vers.* 7. quàmque ad eorum mores accedant quos idem Apostolus, *Rom.* 1. *ἀστόργους* vocat. Quem fortunis ac dignitate spoliarunt, quem diuturno atque illiberali carcere detinuerunt; cujus sanguinem contra notas Patriæ leges per summum nefas infami carnificis manu profuderunt, illius adhuc famam, quo jure quave injuriâ, domi forisque lacerare non desinunt. Certè ἀμφίβιον præstantissimus Antistes non aliâ ratione dici potest, quàm quia jam Cœlo donatus, æternâ Beatorum vitâ in Ecclesia triumphante cum Christo fruitur; vivitque vigetque apud bonos omnes, quibus pax atque unitas Ecclesiæ cordi est, in Ecclesia Militante, vivetque vigebitque ad finem usque Sæculi sanctâ illius memoriâ.

§. Ad mea quod attinet, quæ habentur paginâ 30. Tractatûs Anglici, hæc ea sunt; "Apud alias Ecclesias Reformatas passim in *Germania*, "Altaria lapidea eadem ipsa, quibus olim ad Missarum celebrationem "usi sunt Pontificii, etiamnum retineri, atque administrandæ Cœnæ "Domini juxta ipsius institutionem inservire, ALTARIAque, lin"guâ vernaculâ nullius cum offensa vulgo appellari: Unde infero, "non esse cur quisquam offendatur Mensarum nostrarum (Mensis enim ligneis utitur Ecclesia Anglicana à vulgaribus materiâ aut formâ nihil differentibus) "aut Situ, si eodem loco stent ubi stabant olim Al"taria; aut Nomenclatione, si quandoque à nonnullis Altaria vociten"tur, quod plerumque fieri solet, ubi de Ecclesiarum Cathedralium aut Collegiatarum, Regiorumque Sacellorum Mensis Sacris Sermo est. Ibidem vulgarem *Presbyterianorum* errorem, qui Sacras Mensas, si Supremo Templorum parieti admoveantur, statim in Altaria verti, vel, saltem *Altariformes* fieri vociferantur, ex Altarium propriè dictorum Situ apud Judæos, Gentiles, Pontificios, coarguo. Nam vel illud Prophetæ, *circuibo Altare tuum*; item illud Poetæ, *Ter Altaria circum*, ostendunt

ostendunt Altaria, nec in Templo Judæorum, nec in Fanis Ethnicorum parietibus admota fuisse. Constat etiam Altare magnum in magnifica illa quæ Romæ est, Sancti Petri Basilicâ longè à pariete in media fermè æde ita stare ut circuiri possit. Quo Situ etiamnum stant Altaria in Græcorum Ecclesiis. Sed istis hominibus, siquid quod ipsorum præconceptas opinationes evertat, vel centies objeceris, surdis canitur fabula, nec eos umquam, quâ sunt pervicaciâ, à sententia dimoveas. Cujus rei exemplum insigne nobis præbet Apologista, qui nos cum suis *Altariformibus* Mensis obtundere haud secùs pergit, ac si quàm sit ista fictio ridicula, numquam audivisset. Dixi præterea eodem loco, *Me nullos umquam cognovisse, exceptis novis* Scotis Anglisque Presbyterianis, *qui vel quæstionem umquam moverint de loco & Situ Mensæ Dominicæ*; idque verè dixi. Nam primò, licèt non ignorem inter duos Scriptores Anonymos (qui vulgo creduntur Celebris ille *Lincolniensis* Episcopus Dr. *Williams*, ac *Petrus Heylinius*, quorum quidem neuter *Presbyterianus* fuit) de loco Situque Sacræ Mensæ satis acriter disceptatum fuisse; at eos tamen altercationis illius authores extitisse certò non constat. Deinde ab utroque conceditur, eo loco ac Situ, quos improbant *Presbyteriani*, Sacram Mensam legitimè stare posse; Quæritur tantùm inter eos, an id expediat in certa quâdam Ecclesiâ; & an cùm ea de re Controversia exorta esset inter Parochum atque Ecclesiæ Oeconomos, Episcopus ad quem res delata fuerat, rectè statuerit, Mensam è loco ubi stare solebat cùm celebrabatur Sacra Synaxis, non esse removendam. *Tertiò* quis non videt quicunque fuerint disquisitionis istius authores, ei ortum dedisse *Puritanorum* importunos clamores contra Sacrarum Mensarum locum ac Situm in Ecclesia Anglicana consuetos. Denique cùm dixi me nullos umquam cognovisse præter *Scotos*, *Anglosque Presbyterianos*, qui de ubi & Situ Mensæ Dominicæ vel quæstionem moverent, manifestum est, id de exterarum Ecclesiarum Reformatarum membris me intellexisse. De iis enim Sermo erat. Apud eas verò Ecclesias jurgia de rebus ejusmodi Dei Optimi beneficio, ex quo extincta est Flaciana Factio, prorsus inaudita.

§. Objicit deinde sibi Apologista, "Vanum esse omnem metum ne "ad Papisticam Missam Ecclesia Anglicana relabatur, postquam in li- "brum Liturgicum inserta est Rubrica *Edvardi* sexti contra Transub- "stantiationem. Sed eam Objectionem, ne metu liberemur, statim ipse solvit hoc modo. "Respondeo, *inquit*, Rubrica illa non inserta est, "à Convocatione sed à Rege Nobilissimisque illis Viris qui Regi erant a "Secretioribus consiliis. Est igitur, te fatente, Rubrica illa ejusmodi ut Ecclesiam Anglicanam adversus Missam Papisticam probè munire valeat. Quæ si ejusmodi est dic sodes, quid interest, quibus authoribus

Liturgiæ inserta fuerit? Tu verò egregiè hallucinaris, quod eam à Synodo insertam ideo non autumas, quia Rex Serenissimus Regisque Consiliarii eam Liturgiæ inserendam monuerint: Nam jubente quidem Rege Regioque consentiente Senatu, atque approbantibus Regni Comitiis, sed & suffragante Synodo, insertam vel ex his eorum Synodi Patrum verbis liquet, quibus Liturgiæ recensendæ Provincia demandata fuerat, in Præfatione de Emendationibus postremæ hujus Sacræ Liturgiæ Editionis, "Quæcunque immutationes quibuscunque authoribus, ac quocunque prætextu aut fine nobis propositæ, quæ ullo modo visæ sunt requisitæ aut conducibiles, iis omnibus, nullâ coacti argumentorum vi, "unde constaret necessitas quicquam immutandi, sed lubentèr ac spontè "assensum nostrum præbuimus. Rubrica autem ipsa sic habet. "Quandoquidem in hoc Officio pro administratione Cœnæ Domini præscriptum habetur, ut communicantes illam accipiant in genua provoluti "(quod quidem rectè præscriptum est ut hoc pacto submissum & gratum animum significemus pro beneficiis Christi, quæ in ea omnibus "dignè participantibus communicantur; atque ut sic omnis absit à Sacra Communione profanatio & confusio quæ alioqui oriri posset) attamen ne genuflexio illa à quoquam seu ignorantiâ & infirmitate, seu "ex malicia & obstinatâ pervicaciâ, secus quàm par est accipiatur, aut "etiam depravetur, hic Declaramus & notum facimus, eâ genuflexione, "nullam adorationem intendi, neque deferri debere, pani aut vino Sacramentali, quæ ibi corporaliter accipiuntur, aut ulli præsentiæ corporali naturalis carnis aut sanguinis Christi. Quippè panis Sacramentalis & Sacramentale vinum manent in veris suis naturalibus substantiis, ideoque non debent adorari (id enim Idololatria foret, à quâ fideles omnes Christiani abhorrere debent) & naturale corpus & sanguis Christi servatoris nostri sunt in Cœlo, non autem hic; quandoquidem ut sint simul & semel in pluribus locis, veritati corporis naturalis Christi adversatur. Eam Rubricam ideo hic integram exhibeo ut meliùs Lectores intelligant Schismaticorum nostrorum ingenium, qui Ecclesiam in publica Liturgia sic loquentem, sic profitentem, nihilominus & ipsi habent, & ut alii habeant Papismi suspectam, omni ope allaborare non desinunt. Sic enim pergit Apologista.

Præfat. Liturg. Anglic. postrem. Edit.

Apolog. p. 358

§. "Convocatio ea novo libro Liturgico illevit quæ Papisticam Superstitionem redolent. Quænam vero illa sunt? "Præscribitur, inquit, ut panis per aliquod tempus supra Mensam ponatur & reverenter tegatur; Item ut siquid panis consecrati superfuit, non domum deferatur (quod olim fieri consuevit) sed à *Presbytero* & aliis quos "ille advocaverit, reverenter in ipso Templo edatur. Quem libri Liturgici locum designet Apologista, cùm ait præscribi, ut *panis per ali-*

quod

quod tempus, ſupra Menſam ponatur & reverenter tegatur, non video, niſi Rubricam illam intelligat quæ habetur immediatè poſt verba Solennia calicis adminiſtrandi, Paragrapho ſecundo; a quâ tamen illud, *per aliquod tempus* (quo Lectori, *Presbyterianorum* artibus Eccleſiæ Anglicanæ ſuperſtitioſè metuenti, neſcio quid malitioſè ſuggeritur) prorſus abeſt. Hæc enim ſunt ipſiſſima Rubricæ verba. "Poſtquam omnes communicaverint, Miniſter redibit ad Menſam Domini & reverenter ſuper eâ reponet quicquid ſuperfuerit ex conſecratis Elementis, illud cooperiens mundo linteo. Quid autem in hoc reprehendit Cenſor? An vellet Miniſtrum ad gratiarum actionem ſeſe accingentem poſtquam Sacram Cœnam omnibus diſtribuit, quod supereſt conſecratorum Elementorum aut manibus tenere, aut tamquam, rem inutilem ac deſpicabilem abjicere? Abſit verò; Profanum enim vulgus odit & arcet. "Nam ſi illud reverenter, nihil aliud ſignificaret quam non irreverenter, haud gravaremur, *inquit*, aſſentiri. Imo gravarentur, nec magis aſſentirentur homines ſuperſtitioſè moroſi, etiamſi pro, *reverenter*, haberetur in Rubricâ, *non irreverenter*. Nam velis nolis, *non irreverenter* idem eſt quod, *reverenter*; & plus intelligi quam quod diceretur, ſemper ſuſpicio eſſet, nec minus daretur locus ſequentibus apud Apologiſtam. "At cum reverenter majus quiddam quam non irreverenter ſonare videatur, ſuſpicamur, *inquit*, ſub hac herba latere anguem Pontificium. Quid ita? "Scholaſtici Papani in ea ſunt ſententia, rei Sacræ per Conſecrationem conferri quandam virtutem ſpiritualem, & ſanctitatem relativam, quæ indelebilis eſt, ut tolli non poſſit. Niſi hanc ſcabiem infulatis noſtris affricuiſſent, numquam præcepiſſent, ut quod reliquum eſt Elementorum in ipſo Templo, & quidem reverenter conſumeretur. At ego cùm ex Ephebis vix exceſſeram (ſic pergit ut Lectori, aliud alioqui ſuſpicaturo, innuat, ſe in Logica non eſſe prorſus hoſpitem) "didici ex *Keckermanni* Logicâ, capite de relatione, ſtatim ac panis in uſu Sacramentali à communicantibus fidelibus amplius non uſurpatur, ceſſare Sacramentalem relationem; nec quicquam amplius differre à communi alio pane quovis, quam quod ſacer fuerit olim, nunc non ſit amplius. Sicut Exconſul non differt à cive privato, niſi quod Conſul quondam fuerit. Itaque ſuperſtitioſè metuunt, qui tam ſollicitè cavent, ne panis & vinum poſt uſum Cœnæ Dominicæ reliquum ullum maneat, quin ipſi potius certatim abſumunt, nequid ſuperſit. Scholaſtici Papani, quibuſcum rei nobis nihil eſt, pro ſe reſpondeant; pro nobis reſpondemus, falli cum Apologiſta Philoſophum Clariſſimum; etiamſi panis in uſum Sacramentalem conſecratus nec à fidelibus abſumptus, aliter à pane vulgari non differat, quam Exconſul à cive privato, ſi inde inferat, *in Templo reverenter comedi ſine Superſtitione non poſſe*. Exconſuli enim vel eo nomine quod Magiſtratum

tum in Civitate gesserit, semper aliquid amplius honoris à Civibus deferri solet, quàm si semper privatus vixisset. Sed in eo etiam fallitur *Keckermannus*, quod non aliter differre putat panem consecratum à vulgari, quam Exconsul à cive; & cessare omnem relationem Sacramentalem statim atque ad usum Sacramentalem non usurpatur. Nam Exconsul sine nova electione & inauguratione solemni, consulatu fungi nequit; neque potest panis vulgaris ad Sacramentum adhiberi, antequam in eum usum consecratus fuerit; Quod fusâ ad Deum Oratione, & Institutionis Cœnæ Domini ex Evangeliis & Sancto *Paulo* Declaratione fieri solet in Ecclesiis Reformatis; cum jam consecratus panis habeat adhuc aptitudinem ad usum Sacramentalem, ad quem adhiberi potest, absque novâ Consecratione, si opus est. Atque id [illegible]anum quod consecratus fuerit, & eam adhuc aptitudinem ex Consecratione habeat, Ecclesiæ Anglicanæ, quemadmodum & plerisque exteris Reformatis (quod vel ex *Keckermanni* verbis patet) semper satis visum est (ea enim innovatio non est in libro Liturgico, quod falsò innuit Apologista, sed tantum veteris constantisque consuetudinis Declaratio atque Confirmatio) ut cum aliqua majori reverentiâ, quàm panis vulgaris, quem ad canes abjicimus, consumeretur. Poterat Apologista ex altâ Rubrica, eidem officio pro Sacra Communione, in hac postremâ Liturgiæ Editione, additâ, quid per illud *reverenter* significetur, intelligere. Præcipitur enim ut collecta in pios usus pecunia *à collectoribus ad Ministrum reverenter afferatur, qui eam humiliter offeret ac collocabit super Mensa.* Sed maluit animo suo obsequi, & ingenium *Puritanicum*, hoc est, iniquis suspicionibus obnoxium, & omnia sinistrâ interpretatione semper corrumpens, hic, ut ubique, prodere.

5. Ejusdem improbitatis est quòd Ecclesiam Anglicanam Pontificiæ plus æquo favere ex eo vult colligi, quod membrum quoddam Convocationis, hoc est, Synodi, quæ post restitutum Serenissimum Regem *Londini* cogi cœpit, affirmaverit in libro quodam, cui titulus *Pondera & Mensuræ*; *Ecclesiam Pontificiam non esse Idololatricam, imo Schismaticos esse eos, qui ab ea tamquam ab Ecclesia Idololatrica secedant.* Nam præterquam quod liber ille publici juris factus est absque ulla Approbatione publicâ, cum confusio & potestas quidlibet scribendi contra Ecclesiæ Anglicanæ mentem, à *Presbyterianis* apud nos invectæ, nondum sublatæ essent; quid hoc ad Ecclesiam Anglicanam, quæ Romanam Idololatriâ pollutam πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως pro data occasione declaravit; Quod patet vel ex Canone quinto Synodi anno 1640. *Londini* habitæ, hoc ipso capite jam allegato, quem capite 4. integrum exhibui. Idem videre est in *Articulis Visitationis Diœces. Cantuar. ann. 2.* Edvardi sexti, *Articulis sexto & ultimo.* Item in *Injunctione*

Pag. 114.

Injunctione Elizabeth. *Articul.* 3. & 35. Ut & in libro Homiliarum, *Homil. de periculo Idololatriæ, & Homil. de Sacramento, parte primâ.* Denique in excellenti illâ Apologiâ quam Ecclefiæ Anglicanæ nomine fcripfit & edidit Celeberrimus *Juellus, Sarisburienfis* Epifcopus, Idololatriæ Ecclefia Romana non femel accufatur, & ab ea, *ob cultum Idolorum,* Anglicana, ne eo diutius inquinaretur, feceffiffe difertè affirmatur. *At Scriptorculus ille* (fic vocat Miles gloriofus, præ quo cæteri mortales formicæ funt & Vermiculi, Virum, utut in errore eoque ex omnium Ecclefiarum Reformatrum fententia, manifefto verfetur, in omni litterarum ac fcientiarum genere doctiffimum, & multis Scriptis variâ eruditione refertis Clariffimum) *fummis in Ecclefia noftra fulget honoribus.* Quis extraneus non putet Virum illum, Sedium Metropoliticarum alteram aut Epifcopatum faltem tenere, cùm tamen unico gaudeat Canonicatu, nec curam habeat animarum in Ecclefia Anglicana. Nec dum finis calumniandi : Sic enim pergit. *Taceo,* inquit, *librum dictum,* Parallelum inter Phanaticos Novos & Veteres ; *in quo author* Anonymus *nominatim perftringit* Tyndallum, Latimerum, *aliofque præftantiffimos Chrifti Confeffores & Martyres.* Sed ego hic impudentiam tuam, homo nequiffime, qui fpurciffimum Scriptoris *Anonymi* foetum venerandæ matri, audes fupponere, non tacebo. Quifquamne qui Ecclefiæ Anglicanæ nomen dederit, adeo infaniat, ut *Latimerum,* ut cæteros omittam, celebrem quondam in ea Epifcopum, quem conftat in Sacræ Liturgiæ contemptores, hoc eft *Puritanos,* coram *Edvardo* Rege fexto pro concione vehementer invectum fuiffe, *Phanaticis* annumeret ? Vero longè fimilius eft famofum iftum libellum, fi non fit authoris Pontificii, à furiofo quodam *Presbyteriano* fcriptum, quum in primos Ecclefiæ Anglicanæ Reformatores, Sacræ Liturgiæ noftræ Authores, & Epifcopatûs, Rituumque Anglicanorum propugnatores acerrimos teterrimum maledicentiæ fuæ virus evomat, æquè atque in cerebrofiffimos hujus temporis Phanaticos.

Vide Fullerum *Ecclef. Hiftor. Ecclef. Britan.* l. 7. p. 426.

§. *Sed nec veritus eft* Heylinius *in Hiftoria fua de Reformata Ecclefia Anglicana. in Sacro-fanctos* Edvardi *fexti manes debacchari.* Refpondeo, Siquid *Heylinio* incogitanti de Excellentiffimo Principe *Edvardo* fexto, quem Ecclefia Anglicana fanguineis ploravit lachrymis ; de quo *Hookerus,* incomparabilis ille Ecclefiæ Anglicanæ ὑπερασπιστὴς hæc habet ; " *Henrici* octavi Filius ac Hæres fuit (quod " omnes norunt) *Edvardus* ille Sanctus ; in cujus præmaturo obitu " omnipotenti ac jufto Deo vifum eft *Angliæ* oftendere (id enim col- " ligi poteft ex eventu) quantâ benedictione propter peccata atque in- " iquitates orbata fit. Quamquam quod fcripfit fapiens de *Enocho* " (cujus anni licèt plures fuerint fi cum noftris conferantur, attamen " annorum

Hooker. *Polit. Ecclef.* l. 4. p. ult.

"annorum ad quos illius coævi perveniebant, vix tertiam partem attige-"runt) idem de admirabili illo puero, jure meritissimo dici potest. "CONSUMMATUS IN BREVI, EXPLEVIT TEM-"PORA MULTA; quem denique eadem ipsa Convocatio seu Synodus cui tam malè volunt *Presbyteriani*, in postremæ Libri Liturgici Editionis Præfatione, *Beatæ memoriæ Principem* vocat. Siquid, inquam, *Heylinio* incogitanti exciderit quod tanti Regis virtutibus minùs dignum sit, id uni *Heylinio* imputandum, non Ecclesiæ Anglicanæ, quæ *Heylinii* librum nec vidit, nec probavit, priusquam ederetur. Edita est enim ab eo Reformatæ Ecclesiæ Anglicanæ Historia, anno 1661, cùm adhuc cuilibet quidlibet præter & contra mentem Ecclesiæ Anglicanæ scribere & edere liceret. Quamquam si consideratè pensitentur quæ de *Edvardo* sexto, non modò in Præfatione sed in ipsa Historia scripsit *Heylinius*, vix quicquam de justis Præstantissimi Principis laudibus imminuisse deprehendetur. Quod enim cum malis imbutum opinionibus fuisse ait, non ita intelligendum ac si illius aut Religionem, aut mores carperet; quum contra, ipsius pietatem eximiam, & in emendanda Religione fervorem summoperè prædicet: Sed hoc tantum vult, malis Sacrilegorum quorumdam Consiliariorum artibus, adductum præstantissimum, pientissimumque alioqui Principem, ut alienando Ecclesiæ Patrimonio in Harpyarum istarum gratiam consentiret. Hocque uno, non alio respectu, ait *Heylinius* se præmaturum illius obitum Ecclesiæ Anglicanæ calamitatibus haud annumerare. Sed quid ista omnia ad probandum, *Sacramenta Ritibus additiitiis in tantum fœdata, ut salvâ Conscientiâ administrari nequeant*, quod p. 111. affirmavit Apologista, id, uti quidem videbatur, statim demonstraturus.

§. Nec magis ad rhombum quæ habet, p. 114. ad *Durellum* suum *rediens*, quem ideo reprehendit, quod in Tractatu Anglicano, observaverit; "in Ecclesiis Reformatis Galliæ majoribus adhiberi Calices ar-"genteos, argenteasque patinas, in administratione Eucharistiæ; & in "Sacellis Principum *Germaniæ* ista deaurari. Nihil enim fuisse, cur "*Presbyterianos* hoc commonefaceret, quibus nempe non aurei Cali-"ces, sed lignei Sacerdotes, offendiculo sunt. Quasi verò ignoraverim *Presbyterianorum* Ministros aurum & argentum, seu signatum, seu cœlatum, seu domi, seu in Ecclesia neutiquam aversari; aut nihil nisi in istorum gratiam scribere debuerim. Sed an nescit, qui omnia scire vult videri, fuisse olim in Ecclesia qui aurum & argentum Christianorum Sacris minùs convenire asseverarent? An nescit superiore Sæculo, cùm Religio per Europam Reformata est, eâ de re fuisse disceptatum? An nescit in Ecclesia *Tigurina* non nisi pocula lignea

nea ligneosque Catinos in administratione Eucharistiæ (quamquam id sine Superstitione, nec damnato aliarum Ecclesiarum diverso more) etiamnum usurpari. Cùm itaque Schismaticis nostris solenne sit in Ecclesiam Anglicanam declamitare, ideo quòd pompam nimiam, uti quidem ipsis videtur, in Sacris celebrandis adhibeat; operæ pretium visum est, annotare in aliis plerisque Ecclesiis Reformatis, non adeo eviluisse Christi Sacra, ut non cum aliquo ornatu ac splendore administrentur, prout earum status ac rationes ferunt. Sed demus, quam deprecatur, veniam Apologistæ, *quod levioribus istis nimiùm diu immoratus sit*; ac videamus quænam graviora illa sint, *quæ ipsi & gregalibus maximam difficultatem creant.*

CAP.

CAPUT XXII.

De iis, quæ in Sacra Ecclesiæ Anglicanæ Liturgia de Communicantibus statuuntur; ob quæ Presbyterianorum Ministri Ecclesias deserendas censent; ac primò de Communicantium Gestu.

Presbyterianorum *Objectiones contra Communicantium Ingeniculationem. Hujusce Controversiæ statum à Durello in Tractatu Anglicano rectè propositum immeritò negat Apologista. Non plus hac in parte sibi arrogat Ecclesia Anglicana quàm cæteræ Reformatæ. Communicantium Gestus varius apud varias Reformatorum Ecclesias; sed apud singulas Unus idemque uniformiter observatur. Iisdem difficultatibus premerentur* Presbyterianorum *Ministri circa Communicantium Gestum in Ecclesia* Genevensi, *si in ea Sacro Ministerio fungerentur, quibuscum sese conflictari quiritantur in Anglicana. Aurea* Calvini *verba de Ritibus in qualibet Ecclesia uniformiter observandis. Ingeniculatio in S. Eucharistiæ perceptione in aliis plurimis Reformatorum Ecclesiis præter Anglicanam usurpatur; à nullis damnatur; ab iis probatur à quibus non usurpatur. Eucharistiam de geniculis absque scrupulo percipiunt cæterarum Ecclesiarum Reformatarum fideles apud nos degentes.* Samuel Bochartus, Moses Amyraldus, Johannes Oecolampadius, *Fratrum* Bohemorum *Confessio; Synodus* Wlodislaviensis, Petrus Martyr, Johannes Dallæus *laudantur.* Presbyterianorum *Cavillationes contra communicantium Refutantur*

cantium ingeniculationem, veluti, quòd eo Gestu abusi sint Pontificii; quòd convivantibus vix conveniat; quòd eo Gestu in Idololatria sua confirmentur Pontificii; quòd eo Gestu non usus sit Christus. Sacerdos in Ecclesia Romana stans, ipse verò summus Pontifex sedens communicat, quemadmodum & Sociniani. *Decretum* Honorii *Papæ ad communicantium ingeniculationem nihil attinet. Ne in ipsa quidem Ecclesia Romana ingeniculatio in Eucharistiæ perceptione ad Sacramenti adorationem usurpatur. Incertum quo Gestu usus sit Christus Dominus in prima Eucharistiæ celebratione; Eum non observant qui Mensæ Sacræ assident.* Johannes Welchius *Scoto-Presbyterianus Minister, Ministerium deserere maluit quàm consuctum apud Ecclesias Reformatas Galliæ communicantium Gestum observare. Gestus quo usus est ipse Christus, cùm mera sit circumstantia, non est necessariò observandus: Unde non magis observatum quàm reliquas Cœnæ Domini Circumstantias à vetustissimis Christianis legimus. Consensus* Sandomiriensis *Presbyterianos planè nihil juvat, quim iis potiùs apertè adversatur. Neque pro iis facit Decretum Synodi* Belgicæ *ann.* 1578. *quo ingeniculatione interdictâ, sedendi aut standi libertas Ecclesiis relicta est.* Mantonus *genuflexis Eucharistiam porrigere recusavit.* Petrocoviensis *Synodi verba, quibus abutitur Apologista, disertè pro Prælatis Anglicanis faciunt &* Presbyterianorum *molimina expressè damnant. Præsulum Anglicanorum circa communicantium Gestum atque aliorum Rituum uniformem observationem, non est* δουλεία *major, quàm aliorum quorumlibet Pastorum apud cæteras Ecclesias Reformatas.*

Apol. p. 115. "IMprimis non permittitur, *inquit Apologista*, ut distribuamus elementa nisi genuflectentibus. At non audemus ob omissam genuflexionem Viros pios communione corporis & sanguinis Christi privare. Licèt enim non faciamus cum iis qui genuflexionem in "Sacramento recipiendo tamquam Idololatricam damnant, credimus "tamen Ritum illum neutiquam necessarium esse; imo τὸ licitum ejus

"non

"non ita liquido constare ut non possint veritatis sincerè studiosi eâ de
"re dubitare. Scoti multis argumentis contendunt genuflexionem Ido-
"lolatrium sapere. Non sunt illa argumenta (quod cum venia Fra-
"trum jure meritoque dilectissimorum dictum esto) insolubilia. At
"non omnes Christiani eo pollent acumine ut iis sint respondendo: nec
"omnes sunt adeo perspicaces ut videant, an liceat eum Ritum quo ho-
"mines egregiè abusi sunt ad Idololatriam, in divinis adhibere, nisi ad
"eum per jus divinum vel naturale, vel positivum, obligarentur. Multo
"minùs possunt omnes intelligere, an liceat eo Ritu uti, qui convivanti-
"bus vix convenit, & quo Romanenses in sua Idololatria confirmantur.
"Viro etiam bono aqua potest hærere, an liceat alio Gestu uti ab eo
"quo usus est Christus. Scio hoc argumentum onerari totis plaustris
"Sarcasmorum à doctissimo *Sandersono*; sed os ei obturavit Reveren-
"dus *Vet. Polit. Eccles. p.* 820, &c. Cùm ergo multi talibus ratio-
"nibus freti, certò sibi persuadeant, genuflexionem non posse honestari,
"& petant ut iis vel sedentibus, vel stantibus tradantur Symbola, Quæ-
"ritur, an Pastores polliceri debeant se talibus Symbola numquam tra-
"dituros? Hic verus Controversiæ status est, quem *Durellus* ne attigit
"quidem, contentus *pag.* 46. & 47. adducere exemplum Ecclesiæ
"Bohemicæ, in qua Sacram Cœnam sumentes, procumbunt in
"genua.

§. Respondeo primò, Dato quòd iste sit verus Controversiæ status, quis non videt eum plane fuisse comprehensum duabus postremis, Quatuor illarum quæstionum Generalium, ad quas omnes Schismaticorum Controversias cum Ecclesia Anglicana, revocari dixi; Scilicet, *An sit penes quamlibet Ecclesiam Nationalem Leges ferre de rebus externis atque Circumstantiis ad Cultum Dei pertinentibus; &, an obligentur privati ad præstandam obedientiam talibus Legibus?* Item, *An debeat esse Uniformitas in particularibus Cœtibus cujuslibet Ecclesiæ Nationalis?* Ad utramque quæstionem nobis author est Apologista, *omnes* Presbyterianos *in quos umquam incidit, affirmative respondere.* Jam verò si id juris habeat quælibet Ecclesia Nationalis, habet profecto Anglicana potestatem de Communicantium Gestu, quum mera sit Cultus externa Circumstantia statuendi, quod ipsi maximè ad decorum atque ædificationem facere videtur; Et quum ingeniculationem Gestum esse in Eucharistiæ perceptione convenientissimum declaraverit, ideoque eum fidelibus communicantibus commendaverit atque ab omnibus & singulis uniformiter usurpandum decreverit, inde necessariò sequitur teneri, tum fideles non nisi flexis genibus Cœnam Domini percipere, tum Ministros non nisi ingeniculantibus administrare. Nec plus in eo sibi arrogat Ecclesia Anglicana quàm cæteræ Reformatæ. *Gallicana Genevensisque* non nisi stantibus, ut & *Germanica* pleræque, itemque *Helveticæ*; *Bel-*

Vide *Præfat.* Pyrgopolinici *inscriptam.*

In Præfat. ad Durell. *p.* 3.

gicæ alicubi stantibus, alicubi sedentibus. *Suecica, Danica, Norvegicæ, Saxonicæ* atque aliæ pleræque si non omnes, *Augustanæ Confessionis* ut & *Fratrum Bohemorum* Ecclesiæ, quibus annumeranda Ecclesia Reformata *Vesaliæ* ad *Rhenum*, aliæque ejusdem Tractûs in ditione Serenissimi Electoris *Brandeburgici*, non nisi genuflectentibus Sacra Eucharistiæ Symbola porrigunt. Ubique autem præscriptus uniuscujusque Ecclesiæ Ritus a singulis communicantibus invariatè atque uniformiter observatur, salvâ inter Ecclesias pace ac Christianâ concordiâ. Ut *Ejectos in Anglia Ministros*, in aliis quoque Ecclesiis Reformatis, si apud illas ad Sacrum Ministerium vocarentur, & essent ibidem morosuli, quibus Ecclesiæ consuetus Ritus in administranda Eucharistia minus arrideret, iisdem difficultatibus quibuscum in Ecclesia Anglicana sese conflictari quiritantur, hâc in parte premi necesse foret. Nam si reperiantur in iis Ecclesiis, ubi discumbentibus tantum Cœna Dominica traditur, qui nisi genua flectant aut erecti stent, in actu perceptionis, communicare nolint; si in iis ubi non nisi stantibus administratur, sint qui, *Johannem à Lasco* sequuti, necessario sibi discumbendum putent; an audebunt in istis Ecclesiis ob omissam stationem, in illis ob omissum ad Mensam Domini discubitum Viros pios communione corporis & sanguinis Christi privare? Si audeant, cur non & hic audebunt ob omissam genuflexionem? Si non audeant & paucis illis superstitiosis morem gesserint, tum Tertiam & Quartam quæstionem praxi suâ refutabunt. Sicque evertetur Ecclesiæ ordo; exorientur inter ipsos Pastores dissidiæ, offendenturque infirmi atque in errore confirmabuntur; aliis hunc, aliis illum Ritum tamquam necessarium amplexantibus, aut tamquam illicitum repudiantibus; quamvis ex sese res sit omnino indifferens quo Gestu quis Eucharistiam percipiat, modò ne turbetur pax Ecclesiæ atque invehatur confusio, quod vix aut ne vix quidem vitari potest absque uniformitate. Aurea hic apponam *Calvini* verba. "Cum in hominum moribus tanta insit diversitas, tanta in animis varietas, tanta in "judiciis, ingeniisque pugna; neque politia ulla satis firma est, nisi cer"tis Legibus constituta; NEC SINE STATA QUADAM "FORMA SERVARI RITUS QUISQUAM PO"TEST; huc quæ conducunt Leges, tantum abest ut damnem, ut iis "ablatis, dissolvi suis nervis Ecclesias, totasque deformari ac dissipari "contendam. Neque enim haberi potest quod *Paulus* exigit, ut de"center omnia & secundum ordinem fiant, nisi additis observationibus "tamquam vinculis quibusdam, ordo ipse & decorum consistat. Et "paulo post ibidem, "Quantarum rixarum semen futura est earum re"rum (Rituum mediorum scilicet, & ad ordinem & decorum facien"tium) confusio, si prout cuique libitum sit, mutare liceat, quæ ad "communem statum pertinent (quando numquam futurum est ut om"nibus

Calvin. *Instit.* l. 4. c. 10. n. 27.

"nibus idem placeat) si res velut in medio positæ singulorum arbitrio
"relictæ fuerint. Quod si quis obstrepat & plus sapere ille velit quàm
"oportet; viderit ille qua morositatem suam ratione Domino appro-
"bet. Nos talem consuetudinem contendendi non habemus, neque
"Ecclesiæ Dei (1 *Cor.* 11.)

Respondeo secundò, quod unum mihi propositum fuit super hoc Controversiarum nostrarum capite, quemadmodum & super cæteris, scilicet, ostendere Ingeniculationem in Sacræ Eucharistiæ perceptione, non esse peculiarem Reformatæ Ecclesiæ Anglicanæ Ritum sed & in aliis Transmarinis plurimis usu receptum, à nulla autem, ut illicitum umquam damnatum; id multis argumentis ita planè à me demonstratum est, ut negari nequeat. In plerisque si non omnibus, *Augustanæ* Confessionis Ecclesiis, uti jam observatum est, fideles de geniculis Cœnam Domini percipiunt. Fratrum *Bohemorum* Ecclesiæ, quæ ante ducentos annos Papismum ejurarunt, in genua quoque procumbunt, Sacram Eucharistiam celebrantes. Celeberrimus *Bochartus*, non se ipsum duntaxat sed & alios Ecclesiarum Reformatarum *Galliæ* fideles in Ecclesia Anglicana, ritu consueto, Cœnam absque ullo scrupulo participare solere cùm sic fert occasio, his verbis testatur; "Neque enim horum "(Reformatorum) in *Britannia* quisquam fuit, qui non libenter in-"teresset Sacris vestris postquam aliquem Anglici Sermonis sibi com-"paraverat usum, & ab Episcopalibus *Presbyteris*, aut etiam ab Epis-"copis ipsis, si res ferret, Sacram reciperet Communionem. Quod & "mihi aliquoties non sine fructu contigisse profiteor, dum *Londini* & "*Oxonii* S. Theologiæ dabam operam. *Amyraldus* autem de hoc Ritu ita loquitur, "Ex Evangelicis alii Eucharistiam suscipiunt genibus "flexis, alii stantes communicant; alii denique ad Mensam assident "Sacrum Mysterium celebraturi. Qui ad Mensam assident, in animo "habent Christum imitari, qui in Cœnæ institutione eo corporis situ fuit, "quo solebant esse qui cibum unà capiebant, & Apostolorum tempore "idem factitatum esse videtur. Qui stantes communicant, præter ali-"quam Ecclesiarum suarum commoditatem, in eo instituto hanc ratio-"nem secuti sunt, quòd status ille habet aliquam reverentiæ significa-"tionem, quæ sanctæ isti actioni maximopere convenit. Qui denique "genua summittunt profitentur se non cogitare de adorando Sacramen-"to, & siquis id illis imputaret, mirum in modum indignarentur. "Quum igitur genua flectunt Evangelici, eâ solâ ratione ducuntur, "quod cùm Cultus divinus tum agatur singulari ratione, animus vero "humanus piis cogitationibus & ferventissimis votis ad Deum evehatur, "ideo gestus ille quo solemus summam reverentiam testificari, omnium "isti rei convenientissimus esse putandus est. Atque omnibus sanè eo "liberius esse debet frui quemque suo ritu suâque consuetudine, quod "neque

Bochart. *Epist. ad Clarissimum Morlæium.*

Amyrald. *de Secess. ab Eccles. Romana & pace inter Evangelicos constituendâ.* p. 234.

"neque Christus, neque Apostoli quicquam de eo disertè præceperunt. "Jussit enim quidem Servator ut panem & vinum ad eam rem adhibe-"remus, & ut & ederemus & biberemus in sui commemorationem. "Reliqua quæ ad Sacramenti circumstantias pertinent, permisit ei Sa-"pientiæ quàm Spiritus propediem è Cœlo mittendus Ecclesiæ Chri-"stianæ suppeditaturus erat. Quocirca idem hic velim in concordiæ "formulâ constitui ac definiri. Alienum quidem esse atque abhorrens "à puritate Religionis ut quod maximè, Sacramento deferre Cultum "eum religiosum, quem ipsi Pontificii tribuunt, ideoque nullam esse cum "eis reconciliationis spem eatenus, donec eam labem ex sua communio-"ne absterserint. Ad Evangelicos verò quod spectat, qui nihil à se "quicquam tale vel designari, vel cogitari profitentur, nulli Ecclesiæ "necesse esse suos Ritus hac in parte immutare, neve licere cuiquam qui "ex una Ecclesia in aliam (adeoque multo minus ei qui fuerit Ecclesiæ "membrum) migraverit, subterfugere quominus iis Ritibus utatur qui "sunt instituto & consuetudine locorum consecrati; non denique lici-"tum esse alios aliorum Ritus carpere vel suggillare, ad vitandas offen-"siones. Nam etsi Gestus corporeus inter eos Evangelicos qui genua "summittunt, non multùm differt ab eorum Gestu qui ad Sacramentum "adorabundi provolvuntur, est tamen ille naturâ suâ indifferens, & "æstimatur ex animi motu quo incitatur, animi motus ex dogmate quo "imbutus est, aut saltem quo se imbutum esse profitetur. Idem alio loco (in *Irenico* p. 351.) "Quamobrem (*inquit*) & Galli è no-"stris qui in *Anglia* versantur si linguam *Anglicam* callent, Anglo-"rum Cœtibus libentissimè intersunt, & Eucharistiam ex eorum more "participant, & Episcopis subjiciuntur, *&c.* Sic verò, *Oecolampadius* insignis ille Dei servus, acerrimique judicii Theologus, Ecclesiæ *Basileensis* Reformator præcipuus, "Optarem quidem si Ecclesiis omnibus "integrum foret, Ceremoniis iisdem cunctas uti. Sed nemo hoc per-"suaserit hac tempestate. Nos ubi Ecclesias reformare incœpimus, "spectavimus quidnam magis utile Plebi infirmæ, citra veritatis jactu-"ram, quid ferre possint teneriores. At illud nobis cura fuit, licet non "conveniremus cum *Tigurinis* vel *Argentinensibus*, ut salvâ cum exte-"ris charitate, nos qui ejusdem Civitatis ac Dominationi uni subditi, "etiam eodem ritu uteremur.—Non patiuntur res vestræ ut in Ritibus "diversi nunc sitis, quandoquidem & aliæ Sectæ (NB) inter vos esse "audiuntur.—Nihil consultius esse potest quàm ut in unam quandam "formulam concedatis.—Nolumus vos in nostram omnino trahere Ce-"remoniarum observantiam: neque ad *Tigurinos*, neque *Bernates* mit-"tere: Sed vobis (NB) nihil utilius conformitate quâdam.—Numquid "pietas est in aureo vel in ligneo poculo; & ex argentea vel vitreâ pa-"tenâ mystica Symbola recipi aut porrigi? Numquid Christus magis "sedentes,

Oecolampad. *Erasmo Ritter Eccles. Steph. inter Epistolas Viror. Doctor. de re Euch. & Anabaptisticâ.* fol. 12. *Idem Fratribus in agro Solotur. Evangelium prædicantibus.* fol. 126.

“ sedentes, vel stantes, vel genuflectentes respicit? Num[illegible]id minus ha-
“ bet quòd vel alienâ manu recipit Sacramenta? O no[illegible]ram miseri-
“ am, si in tam calamitosis temporibus, postquam tam cl[illegible]rè lux Evan-
“ gelii prodiit, adeo Elementis servimus, & libertatis no[illegible]ra oblivisci-
“ mur, quomodo illa utenda in proximorum utilitatem [illegible]rofectò ubi
“ vel per ostentationem singularis Ritus quæritur, & (NB[illegible] receditur à
“ Fratrum communicatione, utilius foret interim Cœnâ [illegible]itui. Ita-
“ que si dederit Dominus vobis convenire, & de Ritu sum[illegible] di Cœnam
“ mentio inciderit; quia sub iisdem agitur Dominis, qua[illegible]nam Dioe-
“ cesium constituitis, date operam, ne sit in vobis vari[illegible]s. Testa-
tur Ecclesiarum Bohemicarum Confessio Eucharistiam apud [illegible] ipsos pro-
cumbentibus in genua distribui. De Communicantium [illegible]riis Gesti-
bus sic sentit Ecclesiarum Bohemicarum, Polonicarum, ac [illegible] Lithuanica-
rum Reformatarum Synodus Generalis Wlodislaviæ coacta Anno 1583.
“ Ne in usu sit Sessio ad Mensam Domini, &c. hæc Ceremonia tantum
“ infidelibus Arianis cum Domino pari solio sese collocantibus propria.
“ Cum itaque Sessio potissimum occasione & malo auspicio illorum, qui
“ miserrimè ex nobis exciderunt, & Dominum, qui nos redemit, abne-
“ garunt, in consuetudinem irrepserit aliquot nostris Ecclesiis [illegible] rogamus
“ & hortamur omnes istos Cœtus & fratres nostros in Domino, ut Ses-
“ sionem commutent in Ceremonias nobis in Ecclesiis Evangelicis per
“ Europam consuetas; scilicet ut administretur Cœna Domini [illegible] vel stan-
“ tibus, vel genuflectentibus cum protestatione contra artolatriam Pa-
“ pistis consuetam. Sic denique Petrus Martyr, “ Multi piè genu-
“ flectunt & adorant, illis verbis Evangelii auditis, & Verbum caro
“ factum est; nec tamen ipsa verba dicenda sunt adorari, verùm [illegible] signi-
“ catæ. Quod idem hic (cùm percipitur Eucharistia) fieri quis pro-
“ hibet, modò non adorentur Symbola, sed quod per illa significatur.
Quæ omnia aliaque id genus, cùm de Communicantium Gestu in Eccle-
sia Anglicana consueto, à me passim annotata fuerint in Tractatu An-
glico, Lectores æqui judicent, an Controversiam hanc Durellus [illegible] ne atti-
gerit quidem, contentus adducere exemplum Ecclesiæ Bohemicæ. Extat
& apud Eruditissimum Dallæum in Apologia quam Ecclesiarum Refor-
matarum nomine jamdudum edidit, luculentum testimonium, quo patet
quàm longè absint ab eorum Superstitione qui ab omni Sacræ Euchari-
stiæ perceptione abstinere malunt quàm de geniculis eam sumere.
“ Melius instituti sumus, inquit, quàm ut nobis Religio sit Sacram Eu-
“ charistiam flexis genibus percipere. Neque enim alio Gestu eam per-
“ cipiunt Fratres Anglicani. Nos verò quotiescunque cum illis com-
“ municamus, Ritum apud ipsos consuetum ultro observamus. Et pau-
lò post eodem loco; “ Si autem Ecclesia Romana nihil aliud à nobis
“ exigeret, nisi ut Sacram Communionem de geniculis simpliciter per-
“ ciperemus,

Ecclesiar. Bohemic. Confessio. Articulo 13.

Vide in Syntagm. Confess. ejus Synodi Act. 6. in Synodo Sandomir.

Petr. Mart. loc. Com Class. 4. c. 10. sect. 5.

Dallæi Apolog. Ecclesiar. Reform. Gall. cap. 12.

" ciperemus, fateor nullam nos hac in parte causam habituros cur ab ea " secederemus, quandoquidem nobis liceret salvâ Conscientiâ præstare " quòd à nobis exigeret.

9. *Sed sunt*, inquis, *Viri pii qui genuflexionem in Sacramento percipiendo tamquam Idololatricam damnant.* At cùm fatearis te tuosque cum illis non facere; neque negare audeas quin *Scotorum* argumenta, quibus Communicantium genuflexionem *Idololatriam* sapere contendunt, solubilia sint; an non te aliosque qui se gerunt pro Christi Ministris, magis deceret, servatâ statione, solutisque haud insolubilibus argumentis, quibus decipiuntur, eos omnes, cùm *Scotos* tum alios errore liberare (in errore enim versantur vel vobis fatentibus) quàm desertis Ecclesiis eâ ipsâ desertione in eodem confirmare? Dicitis vos credere, *Ritum illum neutiquam necessarium esse.* Idem & nos credimus qui eum ut indifferentem ex sese, ideoque legitimum, & simul sanctissimæ actioni quæ tum peragitur, maximè convenientem usurpamus. " Sed τὸ licitum ejus non ita liquidò constat ut non possint veritatis " sincerè studiosi ea de re dubitare; nec omnes sunt adeo perspicaces " ut videant, an liceat eum Ritum, quo homines egregiè abusi sunt ad " Idololatriam, in divinis adhibere, nisi ad eum per jus divinum vel na- " turale, vel positivum obligarentur. Multò minùs possunt omnes in- " telligere an liceat eo ritu uti qui convivantibus vix convenit, & quo " Romanenses in sua Idololatria confirmantur. Sunt itaque diligentiùs in cognitione veritatis instituendi, non novis injectis scrupulis torquendi & cavillationibus perpetuis illaqueandi, ut in re certâ dubii semper hæreant, & magno suo Ecclesiæque damno huc illuc æternum fluctuent. Docendi sunt rei naturâ suâ indifferentis usum tolli quidem posse, si superioribus ac præpositis nostris, non cuilibet homini privato, sic videatur, necessario tamen non debere, propter abusum. Alioqui Templa, quotquot Pontificiorum fuerunt, funditùs diruenda, imo nulla retinenda aut utenda propter eorum ad Idololatriam & Superstitiones varias abusum multiplicem; neque Nudatio capitis aut statio, aut Sessio in Eucharistiæ celebratione amplius erunt usurpandæ; quandoquidem iis omnibus Pontificii etiamnum egregiè abutuntur. Etenim Sacramento caput aperiunt; hostiam, quam vocant, sumit Sacerdos celebrans, *ad Altare*, non inflexus, sed, *reverenter stans.* Sedet verò in *Faldistorio* (quod vocant) ipse Romanus Pontifex Eucharistiam percipiens. Sessione itidem abutuntur *Sociniani cum Domino pari solio sese collocantes*, ut patet ex suprà memorata *Wladislaviensi* Synodo. Neque verò apertio capitis, aut Sessio, aut statio ad Mensam Domini, magis juris divini sunt, quàm genuflexio. Docendi sunt præterea, Stationem ad Mensam convivantibus vix magis convenire quàm genuflexionem. Quis enim umquam audivit convivas ad Mensam stare jussos? Docendi convivium

S.R.E. Ceremoniarum libri tres. l. c.

vinum illud esse prophanum & corpori reficiendo, aliud [illegible] crum & ani-
mæ quotidianæ; illud in privatis ædibus, istud in Ecclesia [illegible] ræ domus est
Dei sibi vicariis, celebrari; ac proinde illi Sessionem, isti in[illegible]riculationem
optimè convenire. Docendi Ritum illum ab aliis Eccl[illegible]is Reformatis
plurimis usurpari, à nullis ut malum atque illegitimum i[illegible]probari; Ne-
que aliquam in Ecclesia Anglicana à primordiis Christia[illegible]i, quantum
quidem ex antiquis Monumentis videre est, certè ab init[illegible]a Religionis
emendatione Avorum nostrorum ætate obtinuisse, & ab [illegible]ipsis Christi
Martyribus sanctissimis qui, quòd Pontificiorum Idolol[illegible]æ ac Super-
stitionibus mancipium remisissent, Vivicomburium passi fuer[illegible]eligiosissimè
observatum esse. Gratis enim à nonnullis dicitur Honor[illegible] Papa Ter-
tius non multo post blasphemum illud Transsubstantiation[illegible] commentum
(sic ab Ecclesia Anglicana vocatur) Concilii Lateranen[illegible] authoritate
inter Articulos fidei relatum, ingeniculandi Ritum in P[illegible]cipienda Eu-
charistia introduxisse, ut Honorii [" Ne propter incuriam [illegible] Sacerdotum
" divina indignatio gravius exardescat, districte præcip[illegible]do manda-
" mus, quatenus à Sacerdotibus Eucharistia in loco singul[illegible] &c. con-
" servetur, Sacerdos verò quilibet frequenter doceat pleb[illegible] stanter ut
" cùm in celebratione Missarum elevatur hostia salutaris, [illegible] reverenter
" inclinet. Idem faciens cùm eam defert Presbyter ad [illegible]am.] De-
cretum inspicienti patebit, in quo ne verbum quidem de [illegible]municanti-
um ingeniculatione. Qui gestus nullibi quod sciam ab Ecclesia Roma-
na præscribitur; unde, quod & Johannes Burgensis, ante [illegible] annos plus
triginta, observavit, neque à Bellarmino, neque à Durando, [illegible]que à Da-
rante, aliisve ejus commatis Scriptoribus, Ecclesiæ Romanæ Ritibus
annumeratur. Et, quod summopere notandum; nullo Conciliorum
Canone, nullo Pontificum Decreto, nullâ quâcunque Ecclesiæ Romanæ
lege sancitum est, uti communicantes in ipsâ Eucharistiæ perceptione
Sacramentum adorent. Unde Sacerdos stans, Papa verò sedens, qui
adorantis Gestus non est, communicat. Adoratio enim Sacramento
defertur, non cùm ab unoquoque sumitur, sed cùm fit illius elevatio ad
Altare post consecrationem, & cùm circumgestatur, juxta Decretum
Honorii Papæ. Duo sunt præterea quibus evidentissimè demonstratur
non esse intentionem Ecclesiæ Romanæ ut communicantes in ipso actu
perceptionis Sacramentum adorent. Prius, quod cùm sæpius cum Sa-
cerdos, tum populus inter Missarum Solennia illud adorare jubeantur,
quod vel capitis & corporis inclinatione, vel genuum incurvatione fit,
nusquam occurrit mandatum adorandi inter communicandum. Poste-
rius quod cùm Eucharistia ad infirmum defertur, præcipitur ut, prius-
quam communicet, hostia ei ostendatur, ut eam adoret capite corporeve
inclinato, si velit ac possit. Ex quibus manifestum est Ingeniculationem
in Eucharistiæ perceptione, ne in Ecclesia quidem Romanâ ad Sacra-
menti

In Articulis Religionis, Artic.

Decretal. Gregor. l.3. tit.41. de celebr. Miss. c. 10. Sane.

menti adorationem usurpari. Quod si verum est, non erit difficile eorum scrupulos eximere qui hunc Gestum ideo rejiciendum putant, quod eo ad Idololatriam abusi sint Romanenses, & in ea confirmentur. Sin id satis non sit, quærendum ab iis, num Ecclesia Anglicana jure dici possit Romanam in Idololatria hoc Ritu confirmare, cum declaret & omnibus manifestum faciat in Rubrica suprà memorata, *Communicantium genuflexione nullam adorationem intendi, neque verò deferri debere pani aut vino Sacramentali quæ ibi corporaliter accipiuntur, aut ulli præsentiæ corporali naturalis carnis aut sanguinis Christi*; Item, *Panem Sacramentalem & Sacramentale vinum manere in veris suis naturalibus substantiis, ac proinde adorari non debere; id enim Idololatriam fore, à qua Christiani omnes abhorrere debent*; & si in errore perseverent, in errore, utpote voluntario, relinquendi.

§. *Sed viro bono*, sic instat adhuc Apologista, *aqua potest hærere, an liceat alio Ritu uti ab eo quo usus est Christus.* Potest; sed & facilè potest ei fluere, si idem non sit prorsus indocilis & cedere nescius.

Primo, Enim non adeo clarè constat ex ipso Historiæ Evangelicæ textu, quo Gestu usus fuerit Christus Dominus, ut neganti, id clarè demonstrari possit.

Secundo, Licèt admodum verisimile sit, Christum Dominum Gestu triclinari usum esse, non tamen triclinari Gestu aut utitur ille vir bonus, cui tam facilè aqua hæret, aut utendum censet. Nam suppono eum Sessione uti. Sessio autem non est Gestus triclinaris quo usus est Christus, qui cum Discipulis non sedisse, sed discubuisse creditur. Scio vulgò dici satis eos Christum imitari, qui Gestu mensali, qualis Sessio est, utuntur. Sed viro bono potest aqua hærere dubitanti, an liceat aliâ Gestûs specie uti ab illa qua usus est Christus. Deinde Statio, quam omnes *Presbyteriani* damnare non audent tamquam illicitam, non est Gestus mensalis, neque ab iis Ecclesiis Reformatis in quibus usu recepta est, tamquam Gestus mensalis adhibetur, sed tamquam Gestus aptus ad reverentiam significandam, prout ex *Amyraldo* audivimus. Itaque viro illi bono, si in Ecclesiis Reformatis Galliæ vivat, apparandum erit *Faldistorium*, in quo, Papæ instar, sedeat communicans, ne alio Gestu utatur ab eo quo usus est Christus. Quod tentatum à furioso illo *Scoto Presbyteriano* Ministro, *Johanne Welchio*, de quo in Tractatu Anglico, circa finem, sed frustra. Ministerio sacro ille fungebatur (ut hoc obiter & hic annotem) apud *Santones* in Ecclesia Reformata oppidi quod vulgo dicitur, St. *Jean d'Angeli*, & cùm Ecclesiæ illius in Eucharistia celebranda Gestus consuetus, Statio, ipsi haud arrideret, nempe, *viro bono aqua hærebat an*, &c. eum in Sessionem mutare aggressus est, professus se Cœnam Domini non nisi sedentem ac sedentibus, deinceps porrecturum. Quod cùm efficere, ut & alias novas Scotorum consuetudines

Gallis

Gallis Reformatis incognitus in illam Ecclesiam introducere non valuisset, reluctantibus scilicet illius Cœtus Senioribus aliisque fidelibus, ac intercedente primò, Colloquio quod vocant, id est, Cœtu Ministrorum ac Seniorum unius Classis, deinde Provinciali, ac postremo Nationali Synodo, cùm ad eos res esset delata; deseruit Ecclesiam Welchius, & factum est (ut Apologiæ verbis utar) ejectus in Gallia Minister. Sed ad Apologistæ virum bonum ut redeam.

Vide Acta Synod. National. & Eccles. Reform. Gall. Synode de S. Maixent. 1609. Artic. 36. des Appellations.

Tertiò, Cùm Gestus quo usus est Christus mera fuerit Eucharistiæ primò institutæ circumstantia, cur non pariter illi aqua hæreat circa alias circumstantias, temporis, scilicet, loci, numeri communicantium & alias id genus, tum à Christo observatas? Certè quicquid comminiscantur hic viri subtiles, & ad se aliosque torquendos ingeniosi, qualis D. *Voetius*, eadem planè est earum omnium ratio. Nec dici potest, cur, cùm cæteras omnes Circumstantias absque scrupulo omittant, unam hanc accumbendi, necessariò observandam sibi delegerint, ut ipsis quidem videtur, nam eam uti dictum est, reverà non observanda. « Lotionem « pedum Cœnam præeuntem, accubitum, numerum duodenarium, quis « probabit in iis esse quæ in Eucharistiæ institutione mandata sunt? « Quin vide. Tam nihil faciunt ad partes hujus institutionis; ut Pau- « lus institutionem repetens, ne meminerit quidem, [illegible]que indicarit. « Cur ergo retenta essent in celebratione Eucharistiæ [illegible] circumstantiæ « fuerunt. Esto sanè, sed nemo umquam sic insanivit ut omnes Circum- « stantias actionum Christi dixerit observandas. [illegible] inculcat « ea quæ Christus fecisset & docuisset. Nec nos inde [illegible]s. Si sump- « sisset panem, nec dixisset accipite, edite; tam certè non unum esset « urgere perpetuum usum quàm accubitum. Et si non accubuisset sed etiam dixisset, accumbite, tam seriò accumbendum esset quàm « edendum. Sed neutrum; accubuit, non jussit accumbere; dedit pa- « nem & jussit edere, *inquit* Chamierus. Unde, ut & illud annotem, divinâ permissione factum est ut ab omnibus Sacramenti illius convivii Circumstantiis ubique terrarum discessum sit, ne essentiales atque ideo necessariæ crederentur; nec minùs a primo, qui putatur, Communicantium Gestu, quàm Communionis tempore & loco. Græcorum enim & reliquorum Orientalium Ecclesiæ stantes; Occidentis verò genibus flexis, ab antiquis adeo temporibus communicant, ut ne ulla quidem Sessionis ad mensam Dominicam apud veteres mentio occurrat, quod sciam. Utrùm verò doctissimo *Sandersono Lincolniensi* Episcopo τῷ μακαρίτῃ hîc os obturaverit *Voetius*, quod affirmat Apologista, esto penès Lectorem judicium.

Panstrat. de Euchar. l. 8. c. 2. n. 21.

§. Sed Apologista *Consensum Sandomiriensem*, quem *Durellus* appellat, ruspatus est, *nec quicquam in eo reperit quod ad Præsulum nostrorum Salivam faciat*. Lubet itaque dispicere numquid in eo Consensu

Pag. 117.

sensu habeatur quod magis sapiat eorum palato, qui genuflexionem in celebranda Cœnâ Domini, *Ritibus adaititiis annumerant, quibus in tantum fœdatum asserunt Eucharistiæ Sacramentum in Ecclesia Anglicana, ut illud salvâ Conscientiâ administrare nequeant; quique Sessionem cæteris Communicantium Gestibus præferendam censent. Ne in usu sit*, inquiunt *Sandomirienses, Sessio ad mensam Domini; ——hac Ceremonia tantùm infidelibus Arianis cum Christo pari solio sese collocantibus propria.* Istucne *Puritanis* arridet? *At expressè dicunt* Sandomirienses, *Sessionem cum cæteris Ceremoniis liberam esse.* Neque contradicit Ecclesia Anglicana, aut eam ut malam interdicit; sed ut uniformitas Cultûs servetur, cùm jam inde à prima Religionis emendatione ingeniculationem usurpaverit, eam, ut Gestum decentissimum atque ad testificandum submissum gratumque animum pro ingentibus illis Christi beneficiis quæ Eucharistiam omnibus dignè participantibus communicantur, aptissimum ab omnibus fidelibus observandam decrevit. Verùm Apologista *adductus*, ut ipsi quidem videtur, *authoritate hujusce Synodi* Wlodislaviensis *obtestatur, Præsules nostros, ut velint genuflexionem in Sessionem vel Stationem commutare, quia irrepsit in Ecclesiam nostram occasione, & malo auspicio illorum qui miserrimè ex Ecclesia Catholica exciderunt, & frustulum panis adorarunt.* Sed suprà vidimus genuflexionem in Eucharistiæ perceptione, in Ecclesia Dei usu receptam fuisse antequam Pontificii artolatriâ suâ eam polluissent: nec ad adorandum panem Eucharisticum ab iis etiamnum usurpari; quin & celebrantem *Sacerdotem, stantem*: ipsum verò *summum Pontificem sedentem* communicare. Deinde si Præsules nostri Apologistæ votis annuentes genuflexionem in Stationem commutarent, qui satis fieret illis viris bonis *quibus aqua potest hærere, ambigentibus*, an liceat alio Gestu uti ab eo quo usus est Christus, aut qui cum *Johanne à Lasco* alium adhibendum præfractè negant? *Belgæ* tamen, inquis, in Synodo Nationali an. 1578, genuflexione interdictâ, *Sessionem & Stationem Ecclesiis liberam esse voluerunt.* Ita est. Poterunt itaque Ejecti in *Anglia* Ministri, & alii è Gente *Puritanicâ* quotquot voluerint, in Belgium proficisci, & cum Belgis stantes aut sedentes communicare; cum uterque communicandi ritus sit in Belgarum Ecclesiis, permissu Superiorum, usu receptus; neque par erit ut, sicui nostrum cum iisdem Belgis communicare libuerit, genua flectat inter communicandum, cùm uniuscujusque Ecclesiæ ritus sit uniformiter à singulis illius membris observandus; & uniformiter in ipso etiam Belgio observetur. Nam quamquam Synodus an. 1578. Sessionem & Stationem Ecclesiis liberas esse voluerint, id non est ita intelligendum, ac si cerebroso cuivis in quavis Ecclesiâ, aut stanti, aut sedenti pro libitu communicare liceret. *Libertas Ecclesiis conceditur*, ut utantur eo modo qui cuilibet Ecclesiæ videbitur convenientissimus,

venientissimus, non verò Privatis, qui Ecclesiæ cujus membra sunt mo-
rem sequi debent, eumque sequuntur & observant perinde in Reforma-
to Belgio atque alibi. In Ecclesiis Belgicis, hoc est quæ Belgicâ lin-
guâ utuntur, sacræ mensæ assident communicantes; in Gallicis seu po-
tius *Wallonicis*, in quibus sacra peraguntur Gallico idiomate, stantes com-
municant; idque uniformiter omnes, neque enim in his cuiquam sedile
umquam afferri videas, ut sedeat communicans; ut hæc Apologistæ ver-
ba; *Saltem hoc exorandi sunt Episcopi Archiepiscopique ne uniformi-
tatem ita miserè depereant, ut anathematis fulmine eos feriant, qui
in hoc Gestu ab iis dissentiunt, aut diversi abeunt;* ad Ecclesiarum Bel-
gicarum, seu *Belgicæ*, seu *Gallicæ* linguæ Pastores [illegible]
tius æquâ injuriâ, dirigi possint. Ad ea autem [illegible]
suggerente, par erit Responsio, videlicet, neminem [illegible]
qui in Communicantium Gestu aut rebus ejusmodi Adiaphoris [illegible]
abeat, sed uniuscujusque Ecclesiæ morem in Adiaphoris [illegible]
vandum esse; "Quum politia nulla satis firma [illegible]
"constituta, nec sine stata quadam forma servari [illegible]
"Deinde, quantarum rixarum semen futura esset [illegible]
"si res velut in medio positæ singulorum arbitrio [illegible]
"Quod siquis obstrepat, & plus sapere ille velit [illegible]
"rit ille qua morositatem suam ratione Deo approbet [illegible]
"suetudinem contendendi non habemus, neque Ecclesiæ [illegible] Dei. Neque
aliter nostris respondissent *Presbyteriani*, cum Tempore [illegible]
omnibus Ecclesiæ Anglicanæ Ministris, ipsi occupabant [illegible]
tiisset ut sibi liceret de geniculis communicare. Quin [illegible]
Serenissimo Rege, id ipsum à *Mantono*, multis denegatum [illegible]
dignis accepimus. Denique oblitus est Apologista, quod [illegible]
dixeram, se concessisse, "quòd esse debeat uniformitas in [illegible]
"Cœtibus cujuslibet Ecclesiæ Nationalis; & quod obligentur [illegible]
"ad præstandam obedientiam Legibus ab Ecclesia Nationali latis, de ex-
"ternis circumstantiis ad cultum Dei pertinentibus.

9. Instat tamen adhuc homo importunus, "Et hoc eo audacius se
"petere ait, quia in Consensu *Poloniæ* videt Ceremonias in administra-
"tione Cœnæ Dominicæ liberas relinqui ob hanc rationem, quia vul-
"gus, & homines simpliciores mutatione Rituum offenderentur, & ad
"Ceremonias suæ consuetudini dissimiles omnino adduci non possent;
"ac, si cogerentur, eo forsan res deveniret, ut Disciplina Ecclesiastica in
"eos extendenda esset; qua quidem propter externos Ritus homines
"pios ferire, neque Domini est voluntas, neque purioris Ecclesiæ mos.
Quibus verbis hanc interrogationem subjicit; "Potuitne rigidissimus
"*Puritanus* quicquam scribere quod Præsulum Anglicanorum [illegible] Ecclesiæ
"magis sugillaret? Ego vero contendo nihil dici posse quod Ecclesiæ Anglicanæ

Anglicanæ causam adversus temerarias violentasque *Presbyterianorum* innovationes, & quòd inde sequutum est Schisma perniciosissimum, validiùs defendat. Quod ut manifestiùs appareat, notandum est 1. Petrocoviensis Synodi Patres quorum ea verba sunt, non fuisse unius ejusdemque Ecclesiæ Nationalis, sed Ecclesiarum trium diversarum Confessionum (in doctrina tamen concordium) *Bohemicæ*, scilicet, *Helveticæ*, atque *Augustanæ*, Delegatos. 2. In Ecclesiis illis pro ea, quam sequuntur, Confessione varios ritus in Eucharistiæ administratione, ut & in aliis Cultûs externi partibus jam à prima Reformatione obtinuisse; sed ita ut ejusdem Confessionis Ecclesiæ singulæ à se invicem non differant. *Bohemicæ* quemadmodum & *Augustanæ* Confessionis Ecclesiæ, flexis genibus; quæ vero *Helveticam* Confessionem amplexæ sunt, stantes communicaræ. Sessionem etiam in has quibusdam locis invexerant *Sociniani*, vel Patronorum favore, vel priusquam cuiquam innotuissent. Sedendi vero ritu juxta *Wladislaviensis* Synodi exhortationem solis *Socinianis*, quibuscum communionem nullam colunt Ecclesiæ Reformatæ, in solidum relicto, fuere qui è duobus reliquis standi genuflectendique ritibus, alium eligendum & ab omnibus *Polonici* consensûs Ecclesiis uniformiter usurpandum in *Petrocoviensi* Synodo proposuerunt; & sic de aliis Ritibus, partim ut tollerentur, quæ de iis inter imperitos oriebantur rixæ, aliis, ut fit, hunc, aliis illum Ritum magis probantibus; partim ut earum omnium Ecclesiarum consensus eâ Rituum Conformitate clariùs appareret; aliisque de causis quas idoneas habere sibi visi sunt. *Petrocovienses*, re maturè pensitatâ, cùm viderent, si alteruter Ritus per omnes trium Confessionum Ecclesias uniformiter observari præciperetur, multis Ecclesiis à consuetudine suâ hactenus feliciter observatâ necessariò discedendum esse, quod sine plurium, simpliciorum præsertim, offensione fieri non poterat, cùm omnem immutationem, rerum, licet indifferentium, quæ in Religione fit, ipsius Religionis immutationem plerique interpretentur: Unde vix adduci possunt ad Ceremonias suæ consuetudini dissimiles admittendas, & tamen cogendos esse si id semel Synodi authoritate decretum sit, ac si obedientiam detrectent censuris Ecclesiasticis feriendos, quibus feriri homines pios, non sine aliquo rationis colore & infirmitatis suæ excusatione tergiversantes, neque vult Dominus neque Ecclesiæ Dei gratum; piè prudenterquè decreverunt, ut trium Confessionum Ecclesiæ consuetis jam à prima Reformatione Ceremoniis, liberè ut anteà, porrò uterentur. Quemadmodum si deliberatum fuisset in celebri illâ Synodo, quæ annis 1617, & 1618. *Dordrachti* habita est, de Uniformitate Rituum in Eucharistiæ administratione in omnes illas Ecclesias Reformatas, à quibus Delegati ad Synodum missi fuerant introducendâ, ac similibus adducti rationibus *Dordraceni* communi suffragiorum consensu statuissent, ut

quælibet

quælibet Ecclesia, Anglicana, Archi-Palatina, Genevensis, Bremensis, &c. consuetum sibi Ritum retineret; quid hic Puritanicum? quid Schismaticum? quid quod Presbyterianorum inceptis æternam infamiæ notam non inurat: Hi enim Rituum à prima Reformatione in Ecclesia Anglicana usu receptorum & magnâ cum fidelium ædificatione non sub Beatæ Memoriæ Principibus, Edvardo sexto, Elizabetha, Jacobo, atque Carolo I. per annos complures, observatorum mutatione, cujusvis ordinis, modò vulgus & simpliciores offenderunt, sed pios quosque Ministros, ad Novas Ceremonias consuetis illis dissimiles, non censuris Ecclesiasticis, sed vi & armis cogere aggressi sunt. Hæccine est Domini voluntas ac purioris Ecclesiæ mos, ut pii propter externos Ritus eo modo [illegible]? Quæ verò qualisve est, quam à Synodo Petrocoviensi suggillari somniat, Præsulum Anglicanorum ἀπονοία, qui nullum consuetum Christi Rituum mutarunt, sed antiquos & à primis Reformatoribus beatis Christi Martyribus admissos atque constitutos, ne eorum mutatione non [illegible] simpliciores, sed & prudentiores quique offenderentur, [illegible] in uniformitate, bus etiam consentientibus, in nupero Decreto pro Rituum [illegible] in administratione Peregrinorum Ecclesiis per totam Angliam, Ceremoniarum liberæ relictæ sunt? At non ferunt Præsules ut Presbyteriani [illegible] aut, si qui stratione Cœnæ Dominicæ aliisque Cultûs Divini [illegible] concedi posse sunt, quibus ab exemplo Christi eo usque absque peccato [illegible] factiosis, videatur, stantes communicent. Rectè non ferunt, Schismaticis nec ac desultoriis ingeniis omnia pro arbitrio gerere non [illegible] Anglicani quod laudabilem Ecclesiæ morem Patriis Legibus sancitum à [illegible] Pastoribus tico violari patiuntur. In quo quid faciunt Præsules [illegible] ingenicu non faciant eâdem ἀπονοίᾳ aliarum Ecclesiarum Reformatarum [illegible] res, quum sedentibus tantùm ubi sedere, stantibus ubi stare, [illegible] lantibus ubi genua flectere solent, Sacram Eucharistiam porrigunt?

CAPUT XXIII.

De Admittendis ad Cœnam Domini juxta Disciplinam Ecclesiæ Anglicanæ. De Confirmationis Ritu. De Suspensione à Cœna Domini; aliisque censuris Curiarum Ecclesiasticarum. De Communione Infirmorum.

Quæ ab Adversariis improbantur circa admittendos ad Sacram Communionem. Confirmationis Ritus, qualis apud veteres obtinuit, à Calvino *describitur, probaturque; atque illius ubique restitutio optatur. Illius institutio ad ipsos Apostolos ab eo refertur. Apud Fratres* Bohemos *usurpatur. Describitur qualis obtinet in Ecclesia Anglicana. Non est otiosa Ceremonia, sed pium utilissimumque institutum. Pueri sexdecim annos nati, in Catechismo probè instituti, & ab Episcopo ritè Confirmati, ad Cœnam Domini admitti possunt ac debent. Neogami cùm Matrimonio solemni Ritu copulantur, & Puerperæ cùm Deo gratias agunt in Ecclesia post partum, Eucharistiam, si celebretur, percipere tenentur. Indigni à Cœnâ Domini arcendi, juxta Disciplinam Ecclesiæ Anglicanæ; sed non inauditi.* Presbyterianorum *Ministri totas Parœcias annos integros absque ulla judicii forma à Cœna Domini repellere soliti. Ecclesiarum Oeconomi eorum nomina, quorum mores improbos atque impuros norunt, ad Episcopum deferre tenentur; aut si in Officio cessantes fuerint, ipsi verbi Ministri id muneris in se debent suscipere, ne ad Cœnam Domini admittantur, antequam vitam*

vitam emendaverint, Parochi id juris habent ut quos indignos (sed prius auditos & monitos) judicaverint, unâ vice à Sacra Communione arceant. Censurarum ratio varia pro varia delictorum ratione. Non debet Pastor, Calvino judice, quemquam à Cœnâ prohibere, quamvis eum indignum judicet, nisi eum Prius Ecclesiasti-co judicio convicerit. Pastores ab Eucharistiæ percepti-one neminem prohibent qui Civitate ac libertate fruitur, apud Tigurinos. Multa Pœnitentiæ Publicæ in Viros, fe-minasque nobiles exempla edita, in Ecclesia Anglicana. Baxterus, Mantonus, aliique Castrenses & Aulici Conciona-tores Presbyteriani dum Cromwellus, & ter Parrici-dæ Britanniæ imperitarent, nullum communionem à Cœnâ Domini repulerunt aut repellendum pronunciarunt. Quantum Pastoris judicio permittatur in visitatione infirmorum. Ratio Communionis infirmorum in Ecclesia Anglicana. Non est nec esse debet, aut dici jure potest Cœna solitaria, cùm semper adsint plures communicantes. [illegible] Parvi pen-datur Eucharistiæ Sacramentum à Presbyterianis. Amy-raldus nihil habet loco ab Apologista citato [illegible] Com-munionem Infirmorum. Ex Cl. Drelincurtii [illegible] Gallicæ esse probatur, quod de Ecclesiarum Reformatarum [illegible] accu-Pastoribus falsò affirmasse Durellus ab Apologista [illegible] satur, scilicet, eos communionem infirmis [illegible] mori-tentibus non esse negaturos, si id per edicta Regi [illegible] ret. Calvinus, Zanchius, Fratres Bohemi, Ecclesiæ [illegible] nicæ, Lithuanicæ, Basileensis, &c. clinicis & moribundis Cœnam Domini administrandam censent, ut frustra sit Apo-logista cum Voetio suo, qui Communionem infirmorum tamquam Lutheranorum placitum exagitat.

Pergit Apologista paginâ 118. ac deinceps, in iis rebus enume-rand's, quibus Sacramenta in Ecclesia Anglicana in tantum fœ-data pertendunt Ejecti Presbyterianorum Ministri, ut ea salvâ Conscientiâ administrare nequeant. Esset eorum rigor, inquit, (Præsulum Anglicanorum scilicet, qui nullis Sacram Eucharistiam ad-ministrari patiuntur nisi consueto Ritu ad eam accedentibus) aliquanto excusatior

excusatior nisi in admittendis ignaris & manifestò impiis nimiùm faciles sese præberent. Quod pluribus instantiis sic probatum it.

Primò, "Omnis Baptizatus qui annum attigit decimum sextum, & "ab Episcopo confirmatus fuit, ad Sacram Cœnam admittendus, imo "cogendus est. At quis non mallet amputari sibi dextram quàm Symbola porrigere omnibus sexdecim annos natis, & ab Episcopo confirmatis. Etsi enim confirmatio quæ in antiqua Ecclesia obtinuit, utilis "admodum fuerit, apud nos tamen otiosa Ceremonia est; cujus capaces sunt omnes qui responsiones in vulgari Catechismo memoriter repetere possunt. At repeti eæ possunt & repetuntur sæpiusculè ab iis "qui mysteria non magis intelligunt quàm psittacus intelligit suum "χαῖρε.

Secundò, "Omnibus Neogamis & Purificatis mulieribus modò accedant, & vel verbis, vel manu petant, Cœna absque delectu distribuenda est. Et tamen conjugio copulantur non infrequenter personæ "flagitiosissimæ, & purificantur infames mulierculæ.

Tertiò, "In visitatione ægroti nihil ferè judicio Pastoris relinquitur. "Si profiteatur se seriò resipiscere, absolvendus est, &, si adsint vicini, "aut cognati sufficiente numero, Sacrâ Cœnâ beandus est: Imo si "morbo pestilentiali laboret æger, tum tenetur Minister solus cum eo "communicare.

Antequam respondeo, quoniam *Confirmationem*, juxta Ritum Ecclesiæ Anglicanæ otiosam Ceremoniam esse pertendit, & Ritum eum ita pingit ut Lectoribus, siqui sunt adeo creduli ut illius figmentis fidem habeant, exiguam esse illius utilitatem haud difficilè persuadeat; nec tamen negare audet quin idem Ritus admodum utilis fuerit qualis in antiqua Ecclesia obtinuit, primo omnium hic dispiciendum venit, quænam fuerit illa antiquorum confirmatio; deinde describendus Confirmationis Ritus non qualis ab Apologista fingitur: sed prout revera juxta Ecclesiæ Anglicanæ mentem ac præscriptum celebratur. Inde enim liquidò constabit Ritum eum, non modo non inutilem esse ad juventutem in fide Christianâ instituendam atque Confirmandam, adeoque præparandam ut dignè possit ad mensam Domini sese sistere (quod præcipuè hìc nobis propositum) sed & Ecclesiæ Anglicanæ Reformatores ab eo Scopo ad quem in repurganda Religione collimarunt, nempe, ut remotis Pontificiorum superstitionibus, quam proximè in Doctrina, Regimine ac Ritibus, ad primorum Sæculorum Christianismum accederent, hac in parte ne latum quidem unguem aberrasse; adeo ab omni quarumcunque Superstitionum fermento defæcatus est, quem apud nos restituerunt retinueruntve, Confirmationis Ritus. Hic autem nequis cavilletur adversus eam quam ex antiquorum monumentis adferre possem Confirmationis descriptionem, *Calvinum*, nostrùm scilicet nemini suspectum, de

co

eo Ritu, qualis à veteribus celebrabatur, qualemque ubique restitutum vellet, *in Institutione Christianæ Religionis*, differentem audiamus. "Hic "mos olim fuit, *inquit*, ut Christianorum liberi, postquam adoleverant, "coram Episcopo sisterentur, ut officium illud implerent, quod ab iis "exigebatur qui se ad baptismum adulti offerabant. Hi enim inter Ca- "techumenos sedebant, donec ritè fidei mysteriis instituti poterant fi- "dei confessionem coram Episcopo & populo edere. Qui ergo bap- "tismo initiati erant Infantes, quia fidei confessione apud Ecclesiam de- "functi non erant, sub finem pueritiæ, aut ineunte adolescentiâ, repræ- "sentabantur iterum à parentibus, & ab Episcopo examinabantur se- "cundum formulam Catechismi, quam tunc habebant certam ac com- "munem. Quo autem hæc actio, quæ alioqui gravis sanctaque meri- "tò esse debebat, plus reverentiæ haberet ac dignitatis Ceremonia quo- "que adhibebatur, manuum Impositionis. Ita puer ille de fide suâ appro- "batâ cum solenni benedictione dimittebatur. Hujus moris sæpe men- "tionem faciunt Veteres — Talem ergo manuum impositionem quæ "simpliciter loco benedictionis fiat, laudo, & restitutam hodie in pu- "rum usum velim, *&c.* — Et iterum, inferius Sectione 13. "Utinam "verò morem retineremus quem apud veteres fuisse admonui. Extat simile ejusdem votum, libro de vera Ecclesiæ Reformandæ ratione. "Nos quoque ejusmodi Ritum (Confirmationem) ubique restitutum "meritò optaremus, quo offerantur Deo pueri post [illegible] fidei suæ "confessionem. Atque hæc esset non indecora Catechismi approbatio. Ubi vides Confirmationis Ritum *Calvino* adeo non improbari ut potius ubique apud Reformatos constanter restitutum cupiat. Nec ei displicet ut Ritûs illius Minister sit Episcopus prout in Ecclesiâ Primitivâ olim consuevit. Nam viro sapienti numquam in mentem venit eorum cavil- lum, qui cùm Ritum ipsum damnare non audeant, in illius Ministro of- fenduntur, quasi cùm *Presbyter* quivis Baptismi Minister sit, Confirmationis autem solus Episcopus, eâ ratione Sacro-sancti Baptismi dignitati multum derogetur. At non advertunt viri subtiles *Presbyte- ris* quibusvis Sacro-sancti Baptismi administrationem jam olim permis- sam fuisse, solis autem Episcopis Confirmationem reservatam; non ideo quod istius quam illius dignitas, aut utilitas major haberetur; sed quòd illius quàm istius major sit necessitas; quodque cùm homines per Sa- cramentum Baptismi in Ecclesiam Christi admittantur, si qui ab Episco- po, cui præcipua totius Ecclesiæ & singulorum ejus membrorum cura commissa est, tincti non fuerint, æquum sit, vel *honorem Sacerdotii*, hoc est, Episcopatûs, *licet non ad legis necessitatem*, quod ait *Hierony- mus*, ut ab eo petant & consequantur benedictionem, quam Confirma- tionis Ritu per manuum Impositionem cum Oratione impartitur: atque coram ipso fidem, in qua baptizati fuerunt, profiteantur. Deinde quis non

Calvin. Instit. l.4.c.19.sect.4.

Calvin. de vera Eccl. Reform. ratione. p.339.

Hieron. Dialog. adversus Luciferian.

non videt fidelium mentes, cum ad Solennem Christianæ fidei professionem, quam cùm Infantes Sacro Baptismo initiarentur, Vicariâ Susceptorum operâ se amplexuros polliciti sunt, ipsi accedunt (quod Confirmationis Ritu fieri solet) Virorum Celebrium ac Venerabilium quales sunt Reverendi Episcopi (de Anglicanis & aliis Ecclesiarum Evangelicarum Episcopis loquor) longè magis affici, quam si a quibusvis *Presbyteris*, quorum multi sunt juvenes, multique non eâ quâ par esset, gravitate præditi, ea Ceremonia perageretur. Denique eos qui Confirmationis Ritum Baptismi Sacramento anteponi cavillantur, si à solo Episcopo peragatur, meminisse velim in Ecclesia *Genevensi* benedicti Calicis administrationem, Diaconis olim permissam, cùm soli Verbi Ministri fidelibus communicantibus Sacrum panem porrigerent. Unde quid sequatur, si eorum hic consequentia valeat, manifestum est. Non sunt autem hujusmodi consuetudines Ecclesiæ extra instituentium atque utentium scopum trahendæ, neque ex cavillatorum consequentiis, sed tum ex ipsa rerum naturâ, tum ex Ecclesiæ doctrinâ & intentione æstimandæ. Nam iniquus admodum sit in Fratres *Genevenses*, ac Gallos Reformatos, apud quos idem mos non ita pridem obtinebat, qui ab iis panem quàm calicem Eucharisticum pluris factum, affirmet, ideo quòd calix à Laicis etiam quandoque fuerit administratus, panis verò à solis Verbi Ministris; cùm revera, nihil aliud ab iis, eâ consuetudine, quæsitum sit, quàm aliqua in administranda Eucharistia commoditas & temporis compendium, quò scilicet, citiùs absolveretur Sacræ Cœnæ administratio. Sed ut ad *Calvinum* revertatur Oratio, volupe est audire unde Ritum illum arcessat. Sic igitur ille alio loco in illud Apostoli ad Hebræos, *c. 6. 2.* Βαπτισμῶν διδαχῆς ἐπιθέσεώς τε χειρῶν, "Manuum Impositionem cum Baptismo conjungit, quia ut duo erant Catechumenorum ordines; ita duplex erat Ceremonia. Nam qui erant Extranei non ante perveniebant ad Baptismum quàm editâ fidei professione. In illis ergo Catechesis Baptismum præcedere solebat, at liberi fidelium quoniam ab utero adoptati erant, & jure promissionis pertinebant ad corpus Ecclesiæ, Infantes baptizabantur. Transactâ vero Infantiâ postquam instituti erant in fide, se quoque ad Catechesin offerebant, quæ in illis Baptismo erat posterior. Sed aliud Symbolum tunc adhibebatur, nempe Manuum Impositio. Hic unus locus abunde testatur, HUJUS CEREMONIÆ ORIGINEM FLUXISSE AB APOSTOLIS; quæ tamen postea in Superstitionem versa fuit: Ut mundus semper ferè ab optimis institutis ad corruptelam degenerat. Finxerunt enim esse Sacramentum quo Spiritus regenerationis conferatur; quo figmento Baptismum lacerarunt. Nam quod erat ejus proprium, ad Impositionem Manuum transtulerunt. Sciamus ergo à primis Authoribus institutum fuisse, ut esset Solennis

Vid: Bezam *de diversis Ministrorum gradibus contra* Saraviam. c.7. *Et Præfationem nostram* Pyrgopolinici *inscriptam sub finem.*

Calvin. *Comment. in Epistolam ad* Hebr. 6.

"precandi

“precandi Ritus: Quemadmodum etiam Augustinus nuncupat.
“Fidei quidem professionem quam adolescentes pueritiam egressi ede-
“bant, voluerunt approbare hoc Symbolo. Sed nihil minus cogita-
“runt, quam vim baptismi discerpere. Quamobrem hodie retinenda
“pura institutio est, Superstitio autem corrigenda. Hæc Calvinus. Quæ
si conferantur cum Confirmatione juxta Ritum Ecclesiæ Anglicanæ,
prout describitur in postrema Liturgiæ Editione, num factus sit apud
nos (quemadmodum & apud Fratres Bohemos ubi Confirmationis Ri-
tus quoque obtinet) hâc in parte voti reus, facile erit judicium.

§. *Primò*, Tenentur Parochi pueros Dominicis Festisque diebus ad
Vesperas in Catechismo diligenter instituere. Quotquot autem fidei
suæ rationem reddere noverint secundum Formulam Catechismi, quam
habemus certam ac communem, in qua explicantur summariâ brevitate,
præter doctrinam Sacramentorum, Symbolum Apostolorum, Decalo-
gus, atque Oratio Dominica; eos omnes, non alios, debent ad Episco-
pum in Triennali Visitatione confirmandos adducere. Aut si quid pro-
hibeat quominus Parochus ipse adesse possit, eorum nomina char-
ta inscripta (suo etiam manu propriâ subscripto nomine) qui ipsi vi-
dentur idonei, qui Episcopo confirmandi præsententur. Quod si Epis-
copo probentur, seu eos ipse examinet, seu Parochorum testimonio fi-
dem habeat, eos confirmat juxta Formulam in Sacra Liturgia præscri-
ptam. Id verò fit hoc modo. Die præstituta, quotquot confirmandi
sunt ordine dispositis ac stantibus coram Episcopo, præfatur causæ
institutæ Confirmationis, scilicet “ut Infantes Christianorum post-
“quam adoleverunt & didicerunt, quid Susceptores pro ipsis in Bapti-
“mo promiserint, illud ipsum ore & proprio motu coram Ecclesia pa-
“lam ipsi ratum habeant, ac confirment; utque promittant se, adju-
“vante Dei gratiâ, magis ac magis daturos operam ut ea fideliter præ-
“stent quibus se assentiri professi fuerint. Quibus præfatis, sic in-
terrogat Episcopus, “Num hic in conspectu Dei, & coram hoc Cœtu
“iteratis Solennem illam professionem quæ facta, & votum quod nun-
“patum est vestro nomine in Baptismo vestro; ipsi eadem rata haben-
“tes confirmantesque, atque agnoscentes vos teneri ea omnia credere &
“præstare quæ tum Susceptores vestri pro vobis spoponderunt? Et
unusquisque respondet clarâ voce, *Maxime*. Tum funduntur pro il-
lis promiscuè ad Deum Orationes. Deinde omnibus ordine in genua
procumbentibus coram Episcopo, uniuscujusque capiti successivè Ma-
num imponit dicens. “Hunc famulum tuum, Domine, cœlesti gratiâ
“tuâ protege, tuus ut semper maneat & indies magis magisque profici-
“at, donec ad æternum Regnum tuum perveniat, Amen. Postea, re-
citantur aliæ Orationes cum Dominica, quibus Deus rogatur “ut ii,
“quibus Manus impositæ sunt, de Dei favore, clementiâ ac bonitate,
“erga

Orat. Discipl. Fratr. Bohem. in Forma Novitius recipiendi. Vide Rubricam ad Calcem Formulæ Catechismi; ut & Rubricas in fine Ordinis confirmationis. Item, Constitut. Eccl. Anglic. Can. 59. & 61.

Vide Ordin. Confirmationis in libro Liturg.

"erga ipsos certiores fiant, ut semper maneat super eis paterna Dei ma-"nus, semper eis adsit Spiritus Sanctus, *&c.* Tandem Solenni benedictione in Nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti dimittuntur. Atqui hæc ea sunt quæ Apologistæ videntur *nugæ meræ, atque otiosa Ceremonia.* At si publica Christianæ fidei professio coram Ecclesia; si piæ à Reverendo Christi Antistite & toto fidelium Cœtu ad Deum fusæ precationes, *nugæ meræ* habeantur atque dici possint (quod aures Christianæ vix ferent) aliquid momenti tamen esse in præparanda juventute, ut dignè accedat ad Mensam Domini, diebus Dominicis ac Festivis in Catechismo à Parochis eam diligenter institui; Symbolum Apostolicum, Decalogum, & Orationem Dominicam tenere, ac posse ad quæstiones Catechismi, in quo præcipua Christianæ Religionis capita continentur, aptè respondere, vix siccus ac sobrius quisquam negaverit. Adolescentem verò sexdecim annos natum, qui sic institutus atque ab Episcopo confirmatus ad Cœnam Domini accesserit, adeo indignum esse qui admittatur, ut *dextram potius amputandam* præbere debeat Christi Minister, *quam ei Eucharistiam porrigere*, quis affirmaverit nisi *Puritanus Anglus?* Id est, homo scientiæ & seraphicæ perfectionis opinione inflatus, eorumque Discipulus atque imitator, qui dicunt, *Recede à me, non appropinques mihi quia immundus es.* Sed id nemini mirum videbitur qui meminerit *Gulielmum Prynne* (*Presbyterianum* licet) testari "Ministros *Presbyterianos* Parochianis suis Sacramentum "Eucharistiæ annos integros administrare noluisse; ac Cœlestem il-"lam Christi institutionem denegasse Piis, licet illius usum enixè peten-"tibus, æquè ac ignorantibus, scandalosis ac prophanis. At non modò qui accedit admittendus est, inquis, *verùm etiam cogendus.* Grande Scelus! Siqui parentes liberos suos ad Parochum instituendos, aut eos Parochus instituere, aut instituti postquam annum ætatis decimum sextum attigerint, communicare neglexerint, Ecclesiarum Oeconomi qui Seniorum Laicorum, qui apud alias quasdam Ecclesias Reformatas obtinent, vices, hac in parte apud nos supplent, eorum nomina ad Episcopum deferre jubentur, qui sic in officio cessantes moneat, & si perrexerint censuris Ecclesiasticis in viam reducat & ad saniorem mentem revocet, juxta illud Evangelii, *cogite eos.*

Vide *supra* cap. 3. p. 32.

9. "Quid quod omnibus Neogamis & mulieribus purificatis (sic pergit in accusando) "modo petant, Cœna absque delectu distribuen-"da est. Nihil facilius quàm Ecclesiam Anglicanam adversus Schismaticorum criminationes coram æquis judicibus defendere. Vincit enim simodò audiatur. Sic autem loquitur in Rubrica quæ habetur ad Calcem formulæ Matrimonii celebrandi; *Expedit ut recens conjugati Sacram Communionem percipiant cùm Matrimonio copulantur aut oblatâ occasione proximâ post Nuptiarum Solennia.* In Rubricis verò

Gratiarum

Gratiarum Actionis pro Mulieribus post partum sic, Mulier quæ accedit ut Gratias agat, offerre debet solitas oblationes; & si Sacra Communio celebretur, eam decet tum illius fieri participem. Quisquamne non pretio conductus ut calumnietur audacter, inde colligat, *Negamus & Purificatis Mulieribus absque delectu distribuendam esse Cœnam Domini?* Quidni pariter inferas omnibus & singulis cujuscunque sexûs, ætatis, *&c.* ter quotannis, *absque delectu*, porrigendam, ex eo quod paragrapho penultimo Rubricæ quæ habetur post Officium pro Sacra Communione, *Unicuique Parœcianorum cuilibet Parœciæ injungitur ut ter ad minimum in anno communicet?* Nam utrobique par ratio. Quis autem non videt, hic locum habere omnes seu Canones, seu Rubricas *de Indignis à Sacra* Communione *arcendis?* Ejusmodi verò sunt, Canon 26. "Nullus Ministrorum quenquam ex grege "aut curâ, ad Sacram Cœnæ Communionem admittet, qui manifestè "notus erit in infami peccato impœnitenter vivere; qui cum proximis suis malitiosè & apertè contenderit, nisi reconciliatio intercesse"rit. *Canon.* 109 siquis per manifestum adulterium *&c.* Itemque Rubrica de indignis arcendis, in Officio pro Sacra Communione. Ex quibus manifestum est, nec recens conjugatos, nec Purificatas Mulieres, etsi centies manu aut ore petant Cœnam Domini, ad Communionem admitti debere, si notoriè sint alicujus flagitii affines. *Sed quonam notorietas sufficit*, inquis, *ut Pastor impune quemquam à Sacramento suspendat?* Respondeo, eadem quæ in aliis Ecclesiis Reformatis sufficit: nempe siquis idoneis probationibus convictus sententiâ Superiorum damnatus sit, aut si fuerit sponte confessus. Mera enim præsumptio neque apud nos, neque apud alias Ecclesias satis est. Neque ante occupatum à *Presbyterianis* in *Anglia* Regnum, unquam auditum est Singulis Ministris, absque ulla judicii formâ, totas Parœcias per annos integros à Sacramento suspendere, impunè licuisse. Quod quid aliud est, quam Parochos in tot Papas commutare?

Vide Constitut. Eccles. Anglic. Ann. 1604.

§. "At cum Gardiani perpauci soleant vel profligatissimos præsen"tare, eaque sit Curiarum nostrarum ratio, ut præsentati potius Can"cellario & Registrario satisfaciant per feudorum solutionem, quam "Ecclesiæ per peccatorum Confessionem, necessariò *Presbyter*, vel pro"stituet corpus Christi, vel segregabit eos à Sacra Communione, con"tra quos Curia sententiam Excommunicationis non tulit: Sic iterum Apologista, *Gardianos* vocat, quos sæpius *Ecclesiarum Oeconomos* diximus, quosque Seniorum Laicorum, qui in aliis quibusdam Ecclesiis Reformatis obtinent, in Anglicana, vices obire observavimus. Eliguntur illi quotannis in qualibet Parœciâ Ministrorum ac Parœcianorum communibus Suffragiis. Horum muneris pars minima non est, ut ex suprà allegato Canone 109. videre est, flagitiosorum hominum, siquos ejusmodi

modi noverint, nomina ad Ordinarios fideliter deferre, quo censuras Ecclesiasticas subeant & legum severitate castigentur. Ne autem in eo remissius se gerant, ad id præstandum jurejurando adstringuntur. Siqui autem nihilominus in Officio suo cessent, tum tenentur ipsi verbi Ministri id muneris in se suscipere juxta Canonem 113. Imo cuivis Parocho licet indignos unâ vice à Sacra Communione arcere, ut ex Rubrica Officio pro Cœnæ Domini administratione præfixâ videre est. Ut si ullis indignis corporis ac sanguinis Christi Sacramentum prostituerint, id totum sibi solis imputare debeant. "Sed ea est, *inquit*, Curi-"arum nostrarum Ecclesiasticarum ratio ut Præsentati potius Cancel-"lario & Registrario satisfaciant per feudorum (sic vocat stipendia "barbarus Apologista) solutionem quàm Ecclesiæ per publicam pec-"catorum Confessionem. Respondeo, Sicut non est omnium delictorum, ita neque delinquentium castigandorum eadem ratio. Quibusdam itaque, non omnibus, pro ratione delicti publica pœnitentia injungitur; quibusdam Suspensionis, quibusdam Excommunicationis pœna irrogatur; quibusdam censura gravior non videtur irroganda quàm ut se sistant coram Consistorio, ibique peccata agnoscant ac vitæ emendationem polliceantur. Quæ si *Puritanis* nostris satis non sunt, neque eis satis fuerit, quæ exercetur apud Exteras Reformatorum Ecclesias, in peccatores Disciplina Ecclesiastica, cujus, ne quidem ubi putantur rigidiores, vix alia ratio est. *Calvinus*, qui à corpore Christi indignis prostituendo, siquis alius vehementer abhorruisse videtur, in egregio Tractatu quem, de *Cœna Domini*, conscripsit, hæc habet. "Quamvis Pastor in "animo suo indignum aliquem esse judicet, tamen eum talem pronunti-"are aut à Cœna prohibere non potest, nisi eum Ecclesiastico judicio "convicerit. Quod cum accidit, nullum aliud superest nobis remedium "quàm ut Deum rogemus ut ab omnibus offensionibus Ecclesiam suam "liberet: interim dum expectamus supremum diem, quo paleæ ab op-"timo grano separabuntur. Quid quod apud nonnullas, *Tigurinam* puta, nullus indignus Sacra Communione habetur, qui habetur dignus civitate? Nec alia est Excommunicatio quàm quæ capitis diminutione fit, cùm quis aut extremo supplicio afficitur, aut ei aquâ & igne interdicitur. Possem hic Publicæ Pœnitentiæ juxta Disciplinam Ecclesiæ Anglicanæ exempla multa proferre, unde, cùm fuerint non in vilia & sine nomine capita, sed in viros fœminasque nobiles sine personarum acceptione edita, constaret, Ecclesiam Anglicanam severioris illius in peccatores Contumaces Disciplinæ, quæ in antiqua Ecclesia viguit, penitus eversæ, immerito accusari. Sed ea peti possunt ex rerum Britannicarum Scriptoribus. Deinde, ab *Ejectis in Anglia Ministris* lubens quærerem, quomodo Disciplinam Ecclesiasticam ipsi administrarint, dum Ecclesias *Angliæ* regebant; quomodo *Baxterus*, *Mantonus*, aliique

Vide *Hamond*, *l'Estrange* Car. 1. *Histor.*

que

CAP. XXIII. *De Communione Infirmorum.*

que *Presbyterianorum* Ministri Aulici erga ipsum *Cromwellum* ? Vix
lejum, aliosque CAROLI Regis nefarios Parricidas sese gesserint effici-
enim nunc negare audebunt, *si notorietas præsumptionis aut facti* quod Pag. 119.
at, ut quem possit ac debeat Pastor à Sacramento suspendere impii,
vult Apologista) Quin fuerint omnes isti publicè & notorii ndum
Quem tamen ex iis, à Mensa Domini aut repulerunt aut repelli æsticæ
pronunciarunt ? In quem alium toto illo tempore quo res Ecclesiæ An-
corum arbitrio agebantur, eâ severitate usi sunt, quam in Eccle quidem
glicanæ Disciplinâ desiderant ? Totas quidem Parœcias, ne piis iis pri-
exceptis, Sacrâ corporis & sanguinis Christi Communione ab Reforma-
vatas suprà vidimus. Sed is novæ & apud omnes Ecclesias Rocho im-
tas inauditæ, Disciplinæ fructus fuit, cùm scilicet cuivis Paro
punè Papam agere licebat. Nemo verò interea visus est publicâ pecca-
torum Confessione Ecclesiæ satisfacere.

9. Superest quod *tertium* Apologista in admittendis ad Eucharistiæ
participationem reprehendit. Ait primò, *in Visitatione ægrotorum* nihil Pag. 120.
fermè judicio Pastoris relinqui. Quod quàm sit alienum à vero,
inde liquet, quod quemadmodum suprà observatum est, ne excellentissi- vel
mâ quidem illâ publicæ Liturgiæ formulâ, *pro Visitatione Infirmorum,*
uti tenetur, cùm cuivis verbi Ministro, juxta Constitutiones Ecclesiæ
Anglicanæ, ita cum ægrotis agere liceat, ut ipsorum Status postulat, ip-
sique agendum videtur. Ostendunt præterea ejusdem Formulæ,
ut & Officii *pro Communione Infirmorum* Rubricæ, tantum Pastoris
judicio relinqui, quantum quisquis judicio valet, sibi relinqui postulave-
rit. Certè si ita se haberet, prout affirmat Apologista, neminem
absolvendum esse qui profitetur se seriò resipiscere; deinde, eum
Cœnâ beandum, si adsint vicini aut cognati sufficiente numero, Sacrâ
eo possit jure reprehendi non video. Nam qui seriò resipiscit, quid in
absolvas, seu non absolvas, cùm Ministerio tuo absolvi petit, seu ab eum
Summo Judice absolvetur. Qui autem profitetur se seriò resipiscere, ipso
eum, maximè infirmum ac moribundum, seriò resipiscere credi jubet
Christiana charitas, quæ omnia credit, omnia sperat. Nec quicquam
ad rem, quod ait Apologista, *Nullos ad resipiscentiam proficere unquam pæ-*
ratiores quàm eos quos, ne unius quidem delicti seriò Pœni-
tuit. Id quidem aliquando evenire nullus dubito ; attamen ex judicio
ac præsumptione charitatis homines sunt æstimandi. Quis quæso ab-
solvendus, si eum, qui profitetur se seriò resipiscere, non absolvas?
Num is qui non profitetur ? aut qui profitetur se non resipiscere ? Cer-
tè aut nemo, aut qui resipiscentiam seriò profitetur ; absolvendus est.
Siquæ versetur hac in re difficultas, in eo posita esse videtur quòd veram
sinceramque resipiscentiæ professionem ab eâ quæ ficta est, haud facilè
dignoscas. Id verò totum Pastoris judicio permittitur, cùm neminem
absolvere

absolvere teneatur, nisi quem compererit peccatorum suorum seriò poenitere. Quod ex Rubricis demonstratur. Sed hìc queritur secundò Apologista, *ægrotum, si adsint vicini aut cognati sufficiente numero, Cœnâ beandum esse.* At quid hìc reprehensione dignum vel ex *Presbyterianorum* sententiâ, si verè eam nobis exhibuerit? Profitetur enim se suosque Nonconformistas, pro quibus Apologiam scribit, *non alligare Sacram Synaxin publico Templo sed tantùm requirere ut ægrotanti sese alii adjungant, ne privata & solitaria sit administratio.* Quid igitur adhuc queruntur, quum omnia hic nisi si sponte cœcutiunt ad eorum mentem præscripta fuisse videant? Nam sic habent Rubricæ quibus diriguntur Parochi in Cœna Domini seu in Templis publicis, seu in privatis ædibus administrandâ. "Quum omnes Mortales improvisis "multis periculis, morbis & infirmitatibus, obnoxii sint, semper vero "incerti quando ex hac vitâ ipsis emigrandum fuerit. Ideo, ut semper "sint ad mortem parati, quandocunque omnipotenti Deo visum fuerit "eos evocare; Parochi subinde (maximè vero grassante pestilentiâ "aut aliâ lue contagiosâ) Parœcianos sedulo monebunt ut Sacram "corporis & sanguinis Christi Servatoris nostri Communionem fre-"quenter participent, quando scilicet publicè administratur in Ecclesia. "Sic enim siquando fuerint subitaneo morbo correpti, minùs erunt "solliciti si tum eâ caruerint. Verùm si infirmus non possit in Ecclesi-"am se conferre, & interea cupiat Sacram Communionem participare "in privatis ædibus: Tum id opportunè Parocho significabit, ut & "numerum eorum qui sunt Sacram Communionem cum ipso participa-"turi (erunt autem numero tres aut saltem duo.—Siquis verò Sacramen-"tum corporis & sanguinis Christi non participet; sive id contingat "propter morbi vehementiam; aut quod id tempestivè Parocho non "significaverit; aut quod defuerint qui cum eo Sacram Communio-"nem participarent; aut propter aliud quodcunque legitimum impedi-"mentum, Parochus hoc eum edocebit, nempe quod si ipsum peccato-"rum suorum verè pœniteat, & firmiter credat, quod Jesus Christus "pro eo mortem in Cruce pertulerit, & propter illius redemptionem "sanguinem suum effuderit, beneficia quæ inde acceperit gratâ memo-"riâ recolens, & pro iis gratias agens ex animo, tum eum corpus & "sanguinem Christi Servatoris nostri manducare & bibere, quantum "attinet ad salutem animæ, etsi ore Sacramentum non participet." Ex quibus liquet quàm sedulò a Privatâ, hoc est, solius Ministri absque communicantibus Eucharistiæ celebratione, caveat Ecclesia Anglicana, quàmque ægrè patiatur eam extra Templum administrari; nempe nonnisi cùm fidelium morbo, mœroreque atque peccati sensu dejectorum piis vehementibusque Cœnæ Domini participandæ desideriis, istud solatii ad eos in fide, spe, charitate corroborandos indulgendum judicat.

Vide *Rubricas in Officio pro Communione Infirmorum.*

Sed

Sed ita tamen ut semper sint plures communicantes unà Congregati, qui formam Ecclesiæ constituant. Ut Apologista sit Ecclesiæ Anglicanæ summè injuriosus, cùm de *Eucharistia* illius *solitariis* loquitur. Quamquam ei gratiam habemus, quòd non etiam de *privatis* illius *Missis*, quod pari jure potuisset, loquutus sit. *Imo, si morbo pestilentiali laboret æger, cum tenetur Minister*, inquit, *solus cum eo communicare.* Nec idcirco tamen Eucharistia privata solitariaque esset, id si verum foret. Tum enim Minister non solus communicaret. Et cum Christus Dominus *vel duobus in nomine suo Congregatis* adfuturum *se*, promiserit, siquando aliquis fidelium Cœtus ad eam paucitatem redactus fuerit (quod non est impossibile, uno tantùm salvo scilicet cum *Presbytero*, cæteris omnibus aut lue absumptis, aut in naufragio undis absorptis) quid obstare poterit quominus illi duo reliqui Cœnam Domini celebrent ac manducent? Sed falsò dicitur *teneri Minister* cum ægro pestilentiâ laborante solus communicare. Hæc enim sunt Rubricæ verba, "Pestilentiâ, sudore aut aliis ejusmodi morbis contagiosis "grassantibus, adeo ut nullus Parœcianorum reperiatur qui cum infir-"mis SacramCommunionem participet in eorum privatis ædibus prop-"ter metum contagionis, si id efflictim flagitaverit infirmus, Ministro "LICEBIT cum eo solo communicare. Licebit, inquit, non re-"*netur*. Licebit, si id Infirmi conditio postulare Ministro videbitur. Deinde quis non videt hic ea locum habere, quæ infirmos alio morbo genere laborantes, docere Parochus jubetur juxta jam memoratam Rubricam, cùm, deficiente Communicantium numero, aut aliis de causis communicare nequeunt? "Quin illud observamus, *inquit Apologista*, mor-"ti vicinos rarius petere Eucharistiam, nisi imbiberint Pontificiorum "errorem de alligata signis salute. At error per rectam institutionem "ex animo morientis profligandus, non per Cœnæ administrationem "fovendus est: Valdè vel imperitum, vel superstitiosum esse oportet, "cujus Conscientia annunciatione promissionum non possit pacari. De observationibus, asseverationibusque *Presbyterianorum* absque testibus, ad fidem faciendam, idoneis, securus esse jam mihi debere videor, cum toties in errore ac mendacio à Lectoribus jam deprehensi fuerint. Sed siqui sunt qui de Eucharistiæ usu minùs orthodoxè sentiant, quique eam morientibus absolutè necessariam arbitrentur, eorum errori obviam ivit Ecclesia Anglicana loco proximè allegato. Nequaquam verò concessero, *eum vel imperitum, vel superstitiosum esse, cujus Conscientia Soli Promissionum annunciatione non possit pacari.* Alioqui Ecclesiam Dei & imperitam, & superstitiosam semper fuisse oportet, ut quæ præter Promissionum divinarum annunciationem, Sacramentis semper indiguerit, quibus quasi sigillis ad promissiones divinas obsignandas semper usa est. Neque Deus Sacramenta verbo suo addidit in remedium ignoran-

Ad finem Officii pro Communione Infirmorum.

Pag. 121.

tiæ aut Superstitionis, sed infirmitatis fidelium. Verumenimvero magnum aperit nobis hîc mysterium incautus Apologista. Nam si ex *Presbyterianorum* sententiâ, *Ii sunt valdè vel imperiti vel superstitiosi, quorum Conscientia sola Promissionum annunciatione pacari non potest*; jam nobis liquet cur eorum Ministri a celebranda Eucharistia adeo abhorruerint. Scilicet homines haud imperiti ac minimè superstitiosi Cœnâ Domini ipsi non indigebant ad pacandas Conscientias; neque verò imperitæ superstitiosæque plebis, quæ Sacram Eucharistiam ad fidei corroborationem expetebat, *errorem per Cœnæ administrationem fovere, sed per rectam institutionem ex animo viventium etiam profligare volebant*. Sed cùm hanc suam sententiam apertè profiteri tuerique non audeant, Infirmorum Communionem (quæ tamen in plerisque Reformatorum Ecclesiis aut obtinet, aut probatur) oppugnare non dubitant. Eò enim collimant quæcunque habet Apologista ab eo Paragrapho, quo incipit ea cavillari quæ apud nos usu recepta sunt in Visitatione Infirmorum, p. 120. usque ad finem paginæ 123. Quod patet vel ex allegato Domino *Voetio* (cujus authoritatem hic, ne hili quidem faciendam in Præfatione ostendimus) *rationes Eckardi quibus Lutheranos privatam Cœnam moribundis conferentes defendit, refutante*. At est quod nobis Ecclesiæque nostræ gratulemur quòd unum *Voetium, cujus manus*, &c. hac in parte nobis adversarium produxerit, ac reverà producere potuerit. Nam quòd Celeberrimum *Amyraldum* citat quasi *Voetio* suffragantem, in eo *Amyraldo* facit injuriam, cùm loco laudato, ne mentionem quidem faciat Communionis Infirmorum. Nec quicquam habeat quod illius usum, prout in Ecclesia Anglicana circumscribitur, ullo modo impugnet. Attamen, quæ hominis illius frons est, post allegatum *Amyraldi* locum, licet prorsus ἀπροσδιόνυσον, sic me compellat in secunda libelli sui editione. *Audi* Durelle, *dicit* Amyraldus, *Cœnam non ritè celebrari, nisi à multitudine aliquâ in formam Ecclesiæ consociatâ*; Audio, sed nullæ hîc *Amyraldi* voces ad aures meas ingratæ perveniunt. Addit deinde Vir Modestus, *Tu tuo more, id est falsissimè, scribis p. 50. Gallicanos Pastores; ægris ideo Symbola non exhibere quia exercitium religionis non est iis liberum nisi in locis quibusdam publicis à Rege concessis.* Quamquam id ego nonnisi productis testibus idoneis, affirmavi. Nam id testatur Clarissimus *Drelincurtius*, loco à me laudato; Et suffragantur Clarissimi illius Collegæ qui librum approbarunt. Contra quos non contra me, sic disputat homo ridiculus: "Quid quæso, si nullus iis locus publicus "concederetur, in quo divina officia peragerent, num ab omni Commu-"nione Sacramentali sibi temperarent? Non dices, Opinor. Possem dicere, si tecum sentirem. Nam modò ex te audivimus, "eos "valde imperitos aut superstitiosos esse quorum Conscientia solâ Pro-

Thes. Salm. part 3. fol. 52.

Pag 122.

M. *Drelincourt en son Faux Pasteur convaincu* art. 10.

"missionum

"missionum annunciatione pacari nequit. Quod si verum est [illegible] quid
opus est Sacramentali Communione? "Sed nec debent, inqu[illegible] quia
"Rex non concedit libertatem Synaxeos privatæ, Clinicis de[illegible]gare
"Cœnam, nisi credant minus convenire institutioni Divinæ ut [illegible] Sacra-
"mentum alibi quàm in publico Conventu in unum coacto adm[illegible] istre-
"tur. Disputator imperitus non distinguit inter ea quæ utili[illegible] fieri
possunt si datur facultas, & ea quæ necessario fieri debent. "Qu[illegible]od si
"nobis liceret in ipsa Parisiorum urbe Conciones habere & [illegible]acram
"Eucharistiam administrare, inquit idem Clarissimus Dreli[illegible]rtius,
"sentio rem fore piam & Christianæ charitati consentaneam, [illegible] sola-
"men illud præberetur Clinicis, &c. Quæ cùm Apologista [illegible]aberet
ob oculos, scribere tamen ausus est, "eos credere Sacramentum [illegible]
"ristiæ nonnisi in Cœtu publico administrandum. Sed & lo[illegible]ucha-
egregius *Calvini* quem ibidem allegaveram, de Communione [illegible]s hic
rum, sub oculis illius versabatur. "Ex natura quidem, sine & [illegible]irmo-
"sterii probè mihi colligere videor, non esse tanto bono privan[illegible] my-
"vel diuturno morbo laborant, vel de vita periclitantur. Ad fidei [illegible]s, qui
"firmationem valet tesseram accipere quasi ex Christi manu, [illegible] Con-
"tiores fiamus nos in ejus corpore censeri, carne ejus & sangui[illegible]â cer-
"in spem æternæ vitæ. Itaque Cœnæ perceptio nos ad obeun[illegible] pasci
"rituales pugnas instruit. Jam si pius quispiam è mundo migra[illegible]s spi-
"sibi videat, quia fieri non potest quin oppugnetur ac vexetur [illegible]ndum
"tentationibus, meritò se armari cupiet ad sustinendos conflictus [illegible] multis
"eripiendum est singulare adjumentum, quo fretus alacrius ad [illegible] An
"descendat & victoriam obtineat? Jam prohibere quominus [illegible] luctam
"profiteri & testatum facere pietatis consensum cum Ecclesia [illegible] liceat
"est ac mali exempli, sive quis in lecto diu jaceat, sive morti [illegible] durum
"Atqui Cœna sanctæ inter filios Dei unitatis, &c. *Calvino* ad[illegible] vicinus.
tur Clarissimus *Zanchius*. Præterea, in Ecclesiis Reformatis Fra[illegible]stipula-
tatis *Bohemica*, ut & *Polonicis*, *Lithuanicis*, *Germanicis* etiam [illegible]terni-
quæ *Calviniane* audiunt, Sacram Eucharistiam infirmis admini[illegible] multis
ibidem annotaveram. Idem quoque fit in Ecclesia *Helvetico-Basileensi*, [illegible]strari
prout in illius Ecclesiæ Agendis vidère est, in quibus hæc habentur:
"Si quis ex longo tempore non usus sit Sacrâ Cœnâ, aut fortè [illegible]num-
"quam, ei consolatio per Sacramentum venerabile, si petat, non est dene-
"ganda. At quamquam ea omnia ne attingere quidem ausus est Apo-
logista, *Voetium* suum tamen, Communionem Infirmorum tamquam
Lutheranorum placitum, pro sua æquitate, exagitantem laudare non est
veritus. Jam judicet Lector an probaverit. *Sacramentum Eucharistiæ*
ritibus addititiis ita fœdatum in Ecclesia Anglicana, ut Christi Mi-
nistri, qui se cum Ecclesiis Reformatis sentire profitentur, *illud salvâ*
Conscientiâ administrare non possint, prout affirmaverat probandumque
susceperat.

CAP.

Drelincurtius Sacram ubi supra.

Calvin. Gaspari Oleviano. Epist. I. pag. 445.

Zanch. Ep. l. 1. Cratoni. Ratio Disciplin. Fratr. Bohem. c. 6. n. 3. Consens. Polon. Synod. Petrov. conclus. 5.

CAPUT XXIV.

De Adminiſtratione Baptiſmi in Eccleſia Anglicana; ac primò de Baptizandis. 2. De Suſceptoribus. 3. De Catechiſmo Baptizandorum ſeu interrogationibus quæ in Pædobaptiſmo fieri ſolent.

Presbyterianorum *exceptiones adverſus Adminiſtrationem Baptiſmi in Eccleſia Anglicana.* 1. Quòd ſubjectum Baptiſmi nimiùm videatur ampliari. Mæchorum, Erronum Excommunicatorum, *&c. Liberos à Sacramento Baptiſmi arcendos volunt. Eos omnes Baptizandos cenſent cum Eccleſia Anglicana,* Calvinus, Zanchius, Beza, Maccovius, Hoornbeckius, Auguſtinus. *Sub Vetere Lege circumcidebantur omnium* Iſraëlitarum, *etiam impiorum liberi. Univerſali totius generis humani redemptione per Chriſtum, omnium quorumcunque hominum liberis aditus patefactus in Eccleſiam, & jus ad Sacrum Baptiſma acquiſitum.* Scoto-Presbyteriani *Miniſtri nullos Infantes baptizabant, niſi quorum Parentes ſe eos juxta ſolenne Perduellium Fœdus educaturos, promittebant. Non fraudandi jure ſuo Infantes ob Parentum delicta. Exceptio* 2. Quòd in Eccleſia Anglicana ſi adſint Suſceptores, non requiritur Parentum præſentia. *Suſceptores non admittunt* Preſbyteriani *niſi in abſentia Parentum. Parentes ſpurii ab Apologiſta dicuntur. Suſceptorum Officium in Eccleſia Anglicana. Nullibi terrarum aut Filiorum de Baptiſmo erga Suſceptores reverentia, aut Suſceptorum erga Filios de*

Baptiſmo

Baptismo cura major, *quàm apud Ecclesiam Anglicanam; tantum abest ut istud Susceptorum Officium pro ludo jocoque habeatur, prout mentitur Apologista. Contentiosos eos judicant Gallorum Ecclesiæ Reformatæ, qui liberos suos ad Baptismum ipsi, nullis adhibitis Susceptoribus, offerre voluerint.* Exceptio 3. Quòd quivis admittantur ad Susceptorum munus in Ecclesia Anglicana. *Idem est Ecclesiarum Reformatarum Galliæ, & aliarum omnium peccatum hac in parte quod Ecclesiæ Anglicanæ, siquid est. Catechismi Baptizandorum, seu Interrogationum quæ in Baptismo fieri solent antiquitas. Ratio; nihil aliud quàm Stipulatio est. Usurpatur ubivis dum Adulti baptizantur. Illius antiquitas etiam in Pædobaptismo, ex* Augustino, Cypriano & Tertulliano *probatur; unde ii refutantur qui hunc morem, Episcoporum, partim incuriâ, partim ignorantiâ in Ecclesiam Christi introductum volunt. Non est ineptum Infantem alloqui. Si sit ineptum, ineptiunt omnes Occidentis, ne Reformatis exceptis, Ecclesiæ, in quibus Minister infantem quem baptizat, alloquitur hoc modo.* Petre, Paule ego baptizo te. *Secus apud Græcos, quibus alia Baptizandi formula in usu est;* Petrus, Paulus, baptizetur. *Non interrogantur Infantes dum baptizantur in Ecclesia Anglicana, sed eorum Susceptores, qui pro iis stipulantur. Ejusmodi Stipulationes pro Infantibus aut absentibus, in rebus civilibus frequenter validéque apud omnes Gentes fieri solent.*

" IN Administratione Baptismi graviùs erratur, *inquit Apologista*; " Namque 1. Subjectum Baptismi nimiùm videtur ampliari. Omnium fidelium & fœderatorum Infantes baptizandos esse, constans " fuit *Presbyterianorum* opinio. Quo nomine dici non potest " quanta ab *Anabaptistis* passi fuerint, Non tamen omnes quorumcunque Infantes ad Baptismum admittere iis integrum est. Et sanè concipi non potest qua ratione illi qui ipsi indigni sunt Ecclesiæ communione possunt aliis in eam aditum patefacere. Vix est ut in contemptum non abeat Sacramentum Baptismi, si illud impertiamur Infantibus *Erronum*, *Mœchorum*, &c. nullâ præeunte pœnitentiâ aut reconciliatione parentum cum Ecclesia. In urbe non incelebri Regni " Anglicani Pag. 123.

" Anglicani paucis abhinc annis fatua quædam impregnata est; Patrem " ubi peperisset assignavit nullum, vel saltem eum qui pro suo Infantem " suscipere noluit. Qui Liturgiæ assentitur promittit se talem Infan-" tem, modò ei offeratur, baptizaturum. At quî ex fide facere hoc " possit, fateor me non videre. Videantur quæ conscripserunt *Zan-" chius*, *Boquinus* & *Tremellius* inter Epistol. *Zanch.* l. 1. Item Epist. " *Farelli* ad *Calvinum* & *Calvini* ad *Farel.* Necnon *Beza* ad *Neo-" comenses* de Excommunicatorum Infantibus. Hæc ille, ex quibus quid reprehendat, quid probet, quid velit, quid nolit, vix capias; maximè si quid sentiant de hoc argumento celebres illi Viri ad quos Lectorem amandat, perspectum habeas. Eos enim omnes allegat *Hoornbeckius* in sententiam ei contrariam quam tueri videtur Apologista. Primò, videtur *Erronum*, *Mœchorum* eorumque omnium liberos qui habentur indigni Ecclesiæ communione, à Sacramento Baptismi arcendos pronunciare. Postea verò, *si moneantur parentes de jure Excommunicati, coram Cœtu ad agendam pœnitentiam*, id satis esse innuit, ad patefaciendum eorum liberis aditum ad Sacrum Baptisma; Quamquam eâ admonitione non semper digni efficiuntur Ecclesiæ Communione. Unde sequitur & eorum liberos, qui indigni sunt Ecclesiæ Communione baptizari posse; proindeque ipsis non à parentibus (quod supponit) sed aliunde patefieri aditum in Ecclesiam. Adeo verò absunt *Zanchius*, *Calvinus*, *Beza* ab excludendis à Baptismo ex Scortatione, adulterio, *&c.* natis, ut Excommunicatorum etiam liberos baptizandos censeant. " Peccant illi, *inquit* Zanchius, qui filios Excommunicato-" rum aut ex Scortatione Natos nolunt baptizari, quia parentes impœni-" tentes sunt. Quasi vero filius debeat portare iniquitatem patris. *Calvinus* verò eo ipso loco quem laudat Apologista, hæc habet; " Quum " Dominus gratiam suam in multas ætates extendat, eam adstringere " non est nostrum. Et certè locum hic habet vulgaris regula; favores " esse ampliandos. Agebatur de Infante nato ex Patre Pontificio & Matre quæ à Reformatis ad Pontificios defecerat, aut saltem Viro Pontificio nupserat, quo facto, iuxta Disciplinam earum Ecclesiarum indignam Ecclesiæ Communione sese præbuerat. Infans verò ille ab avia, quæ Religionem Reformatam profitebatur, ad Baptismum in Ecclesia Reformata offerebatur. Scilicet *Calvinus* Infantes non ex proximis parentibus, sed ex avis & majoribus, siqui fideles fuerunt, censeri debere existimavit. Sed alio loco, si parentes à fide Christiana non prorsus defecerint, eamque ejuraverint, id satis ei videtur ad aperiendum liberis aditum in Ecclesiam. " Ubicunque non intercidit vel extincta fuit, " Christianismi professio, fraudantur, *inquit*, jure suo Infantes, si a " communi Symbolo arceantur. Denique *Beza* multus est, ut probet, ne Excommunicatorum quidem liberos à Baptismo esse excludendos, quos

Hoornbeckius *in summa Controversf.* l. 10. *de* Brownistis.

Zanch. *in quartum precept.* fol. 743.

Calvinus Knoxo *Epistol.* l. p. 322.

quos & baptizari asserit in Ecclesia *Genevensi*. Addit verò Ecclesiam eâ datâ occasione parentes sedulò hortari ad resipiscentiam, ut tandem ad saniorem mentem revertentes, Ecclesiæ reconcilientur. Quem morem, cùm exhortationes illæ ἐνεργῶς admodum fiant, nemo Christianus improbaverit. Idque unum volebant Ministri, quorum sententiam sibi probari testantur *Zanchius, Immanuel & Boquinus*, loco ab Apologista laudato. Hoornbeckius ubi suprà, *Maccovium* laudat ad hanc *Presbyterianorum* nostrorum Objectionem (" Si illi tantùm baptizandi " qui sunt in fœdere: Ergo liberi Excommunicatorum non sunt bapti- " zandi: verum prius, ergo.) *sic respondentem*; Non tantùm ratio " habenda parentum sed & avorum & proavorum. Quæ non *Maccovii* modò sed & *Calvini*, imò omnium fere Reformatorum sententia, si vera est, nulli sanè quorumcunque sive *Erronum*, sive *Mœchorum*, sive *Excommunicatorum*, sive *Ethnicorum* Infantes à Sacro Baptismo arcendi, cùm omnes originem ducant, ab *Adamo* & *Noacho*, nisi siquis eos infidelibus & reprobis annumeret. Nec solet ullibi Ecclesia Christi Infantes ullos quibuscunque parentibus, etiam *Judæis* aut *Mahometanis*, aut *Gentilibus* natos à Baptismo arcere, si ipsi tradantur in Christiana fide educandi, & sint qui pro ipsis spondeant, & educationis curam suscipiant. Quin si desint, eam curam in se ipsa suscipit. " Aliquando filiis infidelium præstatur hæc gratia, ut baptizentur, *inquit* " *Augustinus*, cùm occultâ Dei providentiâ in manus piorum quomo- " docunque perveniunt. Et alio loco; " Hæc fuit in Concilio nostro " communis sententia à Baptismo & gratiâ Dei qui omnibus miseri- " cors, benignus & pius est, neminem per nos excludi debere; sed " omnem omnino hominem admittendum esse, cùm Dominus *Petro* " dixerit, neminem hominum communem & immundum dicendum. Sub vetere etiam Legis fœdere in Ecclesia Judaica circumcidebantur Infantes ex Scortatione & adulterio nati. *Jephtha* filius erat mulieris meretricis. Circumcisus & *Abia Jeroboami* filius, quamquam parentes illius fuerunt impiis cultibus dediti. Fuerunt in *Juda* Reges multi impii & Idololatræ, quorum tamen filiis Circumcisionis signum numquam denegatum legimus. Infantibus verò in Ecclesiam aditum patefieri & jus ad Sacrum Baptisma non tam à proximis aut remotis parentibus, non tam ab *Adamo* aut *Noacho* quàm à Redemptore Christo & illius merito acquiri putem. Cùm enim mortem pro humano genere pertulerit, & Infantum etiam, non quod nati essent parentibus fidelibus, sed qua *talium*, hoc est, hominum nullius adhuc peccati actualis, sed labis originalis duntaxat reorum, *Regnum Cœlorum esse pronunciaverit*; quo jure eos, à Christo scilicet redemptos, necdum delicti ullius, quo Redemptionis beneficio exciderint, affines, ab aditu Ecclesiæ quæ quasi Regni Cœlorum prima Provincia est, prohibeas? Utut sit, si

Bezæ *Epistola* 10. *ad* Neocomens.

Maccov. *Theol. Polemic.* c. 21. q. 3.

Augustin. *de Grat. & lib. arbitr.* c. 2.

Augustin. *Epist.* l. 3. *Epist.* 8. *ad Fidum.*

Jud. 11. 1.

1 *Reg.* 12. 28.

Infantibus, seu ideo quod nati sint, ex parentibus fidelibus, seu quòd sint per Christum redempti, aditus per Baptismum in Ecclesiam pateat; perinde nobis est, qui nullos quibuscunque parentibus natos, si à fidelibus offerantur, à Baptismo excludendos censemus. Supponuntur enim à nobis, & ab illis etiam qui universalem redemptionem negant, aut saltem supponi debent ex judicio charitatis, omnes à Christo redempti. Nec ullus Infans nascitur qui ab *Adamo*, *Noachoque*, *Viro illo justo atque perfecto in generationibus suis*, *qui cum Deo ambulavit*, ortum non ducat. Sunt itaque omnes baptizandi. Nec ullam esse Ecclesiam Reformatam puto, in qua non baptizentur, cùm à Susceptoribus idoneis ad Baptismum offeruntur. *Scoto-Presbyterianis* Ministris peculiare fuit, eorum parentum liberis Baptismum denegare, qui eos juxta *juramentum* illud celebre Perduellium, *fœdus solenne*, dictum, educaturos se nolebant promittere.

§. "At vix est, *inquis*, ut in contemptum non abeat Sacramentum "Baptismi, si illud impertiamur Infantibus *Erronum*, *Mœchorum*, &c. "nullâ præeunte pœnitentiâ, aut reconciliatione parentum cum Eccle-"sia. Moneantur sanè, per nos licet; sed si non resipiscant, si Ecclesiam non audiant, si reconciliari nolint; si non possint moneri, ut cùm ignorantur parentes, Infantum expositorum puta, an jure suo fraudandi ob parentum delicta? Absit verò quàm longissimè à mentibus Christianorum ista tam immanis iniquitas. Quod idem responsum esto, ad ea quæ habet Apologista, de misellæ illius fatuæ mulierculæ parvulo, cujus patrem ipsa ignorabat. Eum sanè baptizaverit non modò qui Liturgiæ Anglicanæ assentitur, sed quivis fidelis Christi Minister apud omnes Ecclesias Reformatas. Nam Misellulus ille quid fecit, quid commeruit, quid peccavit quamobrem præcludatur illi aditus in Ecclesiam Christi? Quid verò sibi velit noster cùm ait se *non videre qui Christi Minister ejusmodi Infantem ex fide baptizare possit*, fateor me non capere. Nec est cur multùm in eo laborem, cùm verisimile sit illud haud magis ipsum intelligere.

§. "Nec culpâ vacat, *inquit Secundò*, quòd Liturgici Patrinis & "Matrinis contenti, præsentiam parentis in Baptismo Infantis non re-"quirant. Ex parentis enim fide & professione colligimus Infantem "sacro fœdere comprehendi, & fœderali signo obsignandum esse. Non "negant *Presbyteriani* Susceptorum usum antiquum esse, non negant in "aliquibus Ecclesiis bene Reformatis retineri. At, 1. Petunt ut sal-"tem unus parentum administrationi intersit, & infantulum offerat, & "fidem det de eodem educando in vera pietate; ut paternitas spuria, "germanam officio suo submoveat, nullo modo æquum est. 2. Nolunt "ut istud Sponsorum Officium pro ludo jocoque habeatur. Pro ludo "autem jocoque apud nos habetur: magisque ad fastum & inanem

"usum

"usum faciunt lustrici parentes, quàm dignitatem & splendorem rei sa-
"cræ. 3. Siquidem Susceptores assumendi sunt (quod an assumantur
"necne indifferens arbitratur Synodus *Embdana* 1571.) hoc saltem
"judicant, nullos admittendos esse ad officium illud, nisi in Religione
"probè instructos. Qua de re nihil solliciti sunt Episcopi nostri, mo-
"dò parens ἀναδόχους adducat, albi sint an atri, nihil suâ interesse arbi-
"trantur. Unde coguntur Pastores (nisi officio suo cedere velint)
"eos quos extremè impios esse norunt admittere ad ἀναδόχων dignita-
"tem. Secùs ac fit in Ecclesiis *Bohemicis*, apud quas, *&c.* Hæc ille in Apologia. In Præfatione verò secundæ Editionis, peculiarem Ecclesiæ Anglicanæ morem esse affirmat, *ut Susceptores adhibeantur in Baptismo, cum exclusione parentum.* Et hìc, quemadmodum in superiore argumento, adeo perplexus est Apologista ut vix sit intelligibilis. Nam quamquam Susceptores baptismales apertè non damnat, de iis tamen ita loquitur, ut non obscurè innuat sibi magis placere ut non adhibeantur; Quæ *Presbyterianorum* nostrorum sententia est. Eos enim in Reformatione sua prorsus amoverant, præterquam in absentia parentis. Eos vocat *parentes spurios*; dicit *eorum officium pro ludo jocoque haberi, & magis ad fastum & inanem usum facere quam ad dignitatem splendoremque rei sacræ.* Id quidem de Susceptoribus ex usu Ecclesiæ Anglicanæ maximè nominatimque affirmat; sed cùm non alia eorum ratio sit apud nos, quàm apud cæteras omnes Ecclesias Reformatas, ne *Bohemicis* quidem exceptis, quicquid in Ecclesia Anglicana eo nomine reprehendit, illud ipsum in reliquis reprehendere censendus est. At,
"in Ecclesiis Fratrum *Bohemorum*, jus Parariis conferunt parentes, teste
"*Comenio*, prolis suæ in fide & Religione Christianâ totoque fœderis
"cum Deo initi negotio, instituendæ, adeoque sui quoque, si negligen-
"tiores in officio liberos instituendi deprehensi fuerint, admonendi &
"increpandi; vicissim Pararii eis promptitudinem ad eam rem polli-
"centur, & facturos se circa baptizandum (præsertim si parentes de-
"cedere contingat) gnaviter officium, sese obligant. An id apud Ecclesias Fratrum verbis conceptis solennique actione fiat, necne, ignoro; At idem in aliis omnibus Ecclesiis Reformatis, maximè verò in Anglicana, fieri, tacito quodam partium consensu, res ipsa declarat. Quippe Infantes Susceptoribus traduntur à parentibus ad Sacrum Baptisma offerendi; & ab iis exigitur ut in fide Christianâ eos educatum iri, seque id diligenter curaturos promittant. Insuper monentur publicè in Ecclesia Anglicana Susceptores, sui officii esse, non tantùm videre ut Infans eorum Ministerio ad Baptismum oblatus, doceatur, ubi primùm per ætatem doceri potuerit, quàm solenne votum, promissionem & professionem per eos fecerit; Et quo ista meliùs cognoscat, ipsum hortari ut sacras Conciones audiat; imprimis verò ut Symbolum Apostolo-

P. 125. & 126.

Vide Directorium in Administratione Baptismi.

rum, Orationem Dominicam, & Decalogum addiscat vulgari idiomate, atque ea omnia quæ Christianum ad salutem animæ oportet cognoscere ac credere; sed & curare ut ad Episcopum adducatur, ut ab eo confirmetur; quod fieri nequit priusquam Christianæ Religionis elementa teneat. Quo autem rectius intelligant tum parentes se jus prolis in fide Christi instituendæ in Pararios contulisse, tum Pararii se curam illam in se suscepisse, & Infantes de Baptismo susceptos, sibi quasi filios sacro illo lavacro natos; Parentes Baptismo præsentes adesse (quod fit in quibusdam Ecclesiis) non compelluntur, nec quicquam tum ab iis circa liberorum suorum religiosam educationem exigitur. *At eo pacto*, inquis, *paternitas spuria germanam officio suo submovet, quod nullo modo æquum est.* Minimè verò. Nam tametsi neuter parentum administrationi intersit, & jus in pietate prolis educandæ compatribus concedat, illius tamen curam, ad quam naturaliter obligantur nec abjecerunt, nec abjecisse intelliguntur; sed in illius muneris societatem duntaxat, in liberorum suorum gratiam, alios assumpsisse. Tantum autem abest ut istud Susceptorum officium pro ludo jocoque habeatur, & ad fastum inanemque usum tantummodo apud nos faciant Patrini, Matrinæque; ut penè parentum germanorum loco ab iis, quorum Baptismum procurarunt, habeantur, & eos vicissim pro liberis habeant. Unde mos ille Anglis proprius, ut Susceptorum suorum, perinde ac genitorum pedibus accidant semel de die quum iis primò occurrunt, filii de Baptismo, rogantes ut ipsis benedictionem à Deo implorent, quod & seriò faciunt dicentes, *rogo Deum ut tibi benedicat.* Quin etiam solent Susceptores in *Anglia* sicubi, filiorum de Baptismo, si parentes, priusquam adoleverint, decedere contigerit, curam suscipere, & bonorum suorum partem aliquam cùm ipsi obeunt, iis testamento legare. Quæ omnia si pro ludo jocoque habeat Apologista, id faceto illius ingenio condonandum. Nos verò magis serii sumus. Sed *Embdana Synodus an.* 1571. *an assumantur Susceptores necne, indifferens arbitratur.* Quid tum? idem arbitratur & Ecclesia Anglicana, si rem simpliciter in se, aut habito respectu ad essentiam Baptismi, consideres. Unde Infantes moribundos absque Susceptoribus plerumque baptizari mos est. At si moris illius antiquitatem (quæ tanta est ut illius originem haud facilè quis indicaverit) atque utilitatem multiplicem, quam inde percipiunt Christianorum liberi, spectes; ut taceam amicitiam necessitudinemque quæ eâ ratione conciliantur inter ipsas familias, res penè necessaria videbitur. Unde quamquam Ecclesiæ Reformatæ Galliæ rem esse in se indifferentem pronunciant, seu Susceptores in Baptismo adhibeantur, seu secùs; quandoquidem id nullâ Domini expressâ lege præceptum habetur, "servandam tamen, legitimam, antiquam, & "utilem adhibendi consuetudinem judicant; eosque, siqui ejusmodi re-

"periantur,

" periantur, qui Infantes suos ad Baptismum offerre ipsi voluerint, con-
" tentiosos, declarant. Si verò Susceptores assumendi sunt, hoc saltem
" judicant *Presbyteriani*, *inquit tandem Apologista*, nullos admittendos
" esse ad officium illud, nisi in Religione probè instructos. Qua de re
" nihil solliciti sunt Episcopi nostri. Modò parens ἀναδόχους adducat,
" albi sint, an atri, nihil suâ esse arbitrantur. Unde coguntur Pastores
" ni officio suo cedere velint, eos quos extremè impios esse norunt, ad-
" mittere ad ἀναδόχων dignitatem. Secus ac fit in Ecclesiis Bohemicis.

Discipli. Eccl. Reform. Gall. cap. 11. de Baptismo. artic. 7.

Imo verò idem planè hic sentiunt cum *Presbyterianis* Episcopi universaque Ecclesia Anglicana. Quod patet, vel ex Canone 29, quo prohibetur, *ne quisquam ad Susceptoris officium admittatur, qui Cœnæ Dominicæ particeps nondum extiterit*. Inde enim sequitur *primò*, neminem ad illud munus admittendum nisi in Religione probè institutum, cùm nemo Cœnæ Dominicæ particeps fiat absque idoneâ instructione, ut suprà ostendimus. Deinde *secundò*, à fortiori nec eos etiam admittendos qui se sacrâ Communione indignos præbuerunt. Quas duas cautiones tantùm ab istis hìc requiri ait Apologista. In eo tamen videntur non parum dissentire, quòd *Presbyteriani* eos maximè impios adeoque sacrâ Communione indignos haberi volunt, qui cuivis Parocho impii indignique habentur: Episcopi verò Anglicani eos tantum impiis indignisque qui cum Ecclesia Christi quoad res externas Communionem colunt, annumerandos censent, qui tales legitimo Superiorum judicio deprehensi pronunciatique fuerint. Quæ etiam Ecclesiarum Reformatarum Galliæ sententia est. *Decretum est*, inquiunt Synodi Nationalis *Gergoviensis* an. 1601. Patres, *fideles ob quamcunque culpam non esse prohibendos quo minus parvulos ad Baptismum offerant, usque dum à Cœna Domini suspensi fuerint*. Non ferunt enim Ecclesiæ Dei rectè institutæ ut cuiquam, seu Ministro, seu alii cuicunque, liceat quemquam, qui inter fideles nomen profitetur, priusquam fuerit legitimo judicio condemnatus, pro impio habere. Nihil autem iste de Ecclesiis Bohemicis, ex Reverendo *Comenio* commemorat, quod Ecclesiæ Anglicanæ non probetur, quodque hìc aut non fiat, aut saltem, fieri non liceat. Quamquam nolo negare quin apud nos, ut & apud alias Ecclesias Reformatas, multùm peccare possint, tum parentes in Susceptorum electione, tum ipsi Susceptores, rerum à se promissarum oblivione. Id verò non Ecclesiis Dei, quæ ab istis abusibus quantum possunt cavere solent, sed parentibus, Susceptoribusque legitimo sanctissimoque instituto, contra earum mentem, abutentibus, tribuendum. Porrò quod ait alterius *saltem parentum præsentiam in Baptismo Infantum, ideo requiri, quia ex parentum fide ac professione, colligitur Infantem fœdere comprehendi & fœderali signo obsignandum esse*, id jam suprà explosum est.

Vide Constitutiones Eccles. Anglic. ann. 16 4.

Vide Annotata ad Disciplin. Eccles. Reformat. Galliæ. cap. 11. *de Baptism. ad* articul. 13.

§. Quî factum ut tam importunus Ecclesiæ Anglicanæ Censor, cùm

ea

ea reprehendat quæ in administratione Baptismi *Presbyterianorum* palato non sapiunt, nihil tamen habeat de interrogationibus quæ in Pædobaptismo fieri solent, nequeo divinare. Eas enim isti vehementer improbant. Quicquid sit, Cùm pientissimi sapientissimique Ecclesiæ Anglicanæ Reformatores, Catechismum illum baptizandorum (quem vocant nonnulli, idque non malè) prout in Ecclesia primitiva obtinuit, retinendum censuerint; cúmque præter *Puritanos* non desint inter ipsos Reformatos, quibus ejusmodi interrogationes in Infantum Baptismo nonnihil absurditatis habere videntur, operæ pretium fuerit ad eam rem hîc aliquid commentari, quo Ecclesia Anglicana aliæque Reformatæ, in quibus mos ille servatur, adeoque ipsa Ecclesia primitiva, ab imaginaria illa absurditate vindicentur. *Primò*, Quam sit antiquus hic baptizandorum Catechismus in Ecclesia Christi, nemo potest ignorare qui sit in primævæ antiquitatis scriptis vel mediocriter versatus. *Cyprianum* suprà laudavimus ad eas interrogationes manifestè respicientem, cùm diceret, sed & ipsa *interrogatio quæ fit in Baptismo, testis veritatis. Nam cùm dicimus, Credis in vitam æternam & remissionem peccatorum per sanctam Ecclesiam*, &c. Ad easdem respicit *Tertullianus* cùm ait, *Sub Antistitis manu contestamur nos renunciare Diabolo & pompæ & Angelis ejus.* Quin censent Viri multi longè doctissimi eò respexisse & S. *Petrum* Epistol. 1. c. 3. v. 21. nec aliud esse ἐπερώτημα τῆς ἀγαθῆς συνειδήσεως πρὸς θεόν, quàm eum baptizandorum Catechismum, de quo agitur. Et sanè cùm quoties qui in Ecclesiam per Baptismi ritum admittitur, in Christi familiam adsciſci & Christo mancipari censeatur, sicque fiat pactum & contractus Christum inter & eum qui baptizatur; Quemadmodum Christus remissionem peccatorum, Spiritum regenerationis, vitam æternam denique ei pollicetur, æquum est ut qui tot tantaque beneficia à munificentissimo Domino accepturus est, ipsi fidem, amorem, obedientiam (quibus Satanæ, peccati, mundi, omniumque Christi hostium abrenunciatio concluditur) vicissim repromittat. Atqui illud ipsum est, nec quidquam aliud, quod iis baptizandorum interrogationibus, factum est ab ipsis Ecclesiæ Christianæ primordiis. Stipulatione verò ad eam rem uti placuit, quòd eâ nihil sit aut expressius, aut simplicius, & ad quorumvis, etiam imbecilliorum captum, accommodatius. Fiebat enim, quod docent Jureconsultorum libri, hoc modo. *Spondes? Spondeo. Promittis? Promitto. Fide promittis? Fide promitto. Fide jubes? Fide jubeo. Dabis? Dabo. Facies? Faciam.* Cui genuinum est illud, *Abrenuncias? Abrenuncio. Credis? Credo*, &c. Hanc autem stipulationem à quoquam simpliciter damnatam non novi. Quin eandem aut similem Stipulationem in omnibus Ecclesiis Reformatis usurpari certum est, cùm baptizantur adulti. Itaque quod unum hic reprehenditur, illud est, scilicet, quòd interrogationes illæ proponantur

Cap. 10. *de precandi formularum Origine.*

Cyprian. *Epist.* 70.

Tertull. *de Corona Militis.*

Institut. de verbor. obligat. l. 3. Tit. 10.

proponantur Infantibus, qui eas non intelligunt, quódque ſponſores, pro illis ita reſpondeant, ac ſi ab ipſis Infantibus intelligerentur, ipſique adeo, non verò alii pro ipſis reſponderent. Quod ineptum ludicrumque atque planè ſuperfluum eſſe contendunt. Quid enim ineptius quam eos alloqui à quibus ſcias te haud intelligi? Et quid magis ludicrum aut ſuperfluum quàm vagientibus parvulis reſponſiones affingere quibus obligentur ad ea præſtanda quæ non intelligunt; quorumque per ætatem capaces non ſunt. Unde eſt quod morem illum parvulos interrogandi, in Eccleſiam Chriſti ſequioribus ſæculis Epiſcoporum imperitiâ atque incuriâ, qui eum baptizandorum Catechiſmum, qui adultorum tantùm proprium fuerat, imitatione præpoſterâ, Infantum etiam eſſe voluerunt. Sed iſta omnia gratis & abſque omni ratione dicuntur. Nam ut ab ultimo incipiam, eaſdem interrogationes in Pædobaptiſmo diu ante B. *Auguſtini* tempora uſurpatas fuiſſe, vel inde liquet, quod cùm *Bonifacio* & ipſi Epiſcopo, minùs probarentur, ad Infantes propoſitæ, petit ab *Auguſtino* ut rei conſuetæ quidem, ſed minus aptæ, rationem reddat. *Auguſtinus* vero reſpondens, *eam conſuetudinem firmiſſimam* vocat; quod cum eo ſupponit *Bonifacius*. Rogat enim ne ad conſuetudinem, quam ultrò agnoſcit, recurrat *Auguſtinus*. Quam eamdem conſuetudinem vulgò obtinuiſſe *Cypriani* ætate hæc illius verba non obſcurè innuunt; *Sæculo renunciavimus*, inquit, *cùm baptizati eramus*. Id enim de omnibus fidem Chriſti profitentibus promiſcuè affirmat. Quod affirmare nec potuiſſet, nec iure debuiſſet, ſi adulti tantùm, non verò Infantes, cùm baptizabantur, ſæculo renunciaſſent. Eadem concluſio elici poteſt ex his quæ habentur apud *Origenem*. "Recordetur unuſquiſque fidelium, *inquit*, cùm primùm venit ad aquas Baptiſmi, cùm ſignacula fidei prima ſuſcepit, & ad fontem ſalutaris acceſſit, quibus tunc uſus ſit verbis, & quid denunciaverit Diabolo, non ſe uſurum pompis ejus, neque operibus ejus, neque ullis omnino ſervitiis & voluptatibus ejus pariturum. *Tertullianus* itidem ideo reprehendit Chriſtianos, non eos modo qui adulti baptizati fuerant, ſed omnes in genere, quod etiamſi Diabolo, mundo, pompiſque illius renunciaſſent (in Baptiſmo ſcilicet) Gentilium tamen ſpectaculis intereſſe non dubitarent. Quæ ratio non valuiſſet adverſus eos qui in infantia baptizati fuerant, niſi ipſi tum etiam ſæculi pompis abrenunciaſſent. Utut ſit, vel ex *Bonifacio*, *Auguſtinoque* manifeſtum eſt, illum baptizandorum Catechiſmum in Pædobaptiſmo nec imperitiâ, nec incuriâ Epiſcoporum irrepſiſſe. Ad ea enim uſque tempora Chriſtianos Epiſcopos pleroſque doctrinâ pietateque atque vigilantiâ claruiſſe nemo negaverit. Nec niſi diu poſt utcumque denatum paſſim invalere cœpit in orbe Chriſtiano craſſa illa ignorantia quæ Eccleſiam tantùm non peſſum dedit. Adde quod nuſquam legimus apud veteres alio ritu baptizatos

Cyprian. *Epiſt. ad Rogatianum.*

Origen *in Numer. c. 21. Homil. 12.*

Tertull *de Spectaculis.*

baptizatos Infantes, aut ritum illum ab ullo umquam improbatum præterquam, *Augustini* tempore, à *Bonifacio*, cui nec in mentem umquam venit quod hodie non minus fidenter à quibusdam affirmatur, quàm si id exploratum haberent, de incuria ignorantiaque Episcoporum.

§. Quod dicunt *secundò* ineptum esse Infantem alloqui, qui quid dicas haud intelligit, in eo certè aut falluntur vehementer, aut ipsi pariter ineptiunt; quamquam id, in alios scilicet plus satis intenti, ipsi non animadvertunt. An non enim quotquot baptizant Infantes, eos omnes ipsi alloquuntur, cùm hâc utuntur verborum formulâ, *Petre*, *Paule*, *Jacobe*, *Ego baptizo te in Nomine Patris*, &c. Græci aliam adhibent formulam, dicentes, *Petrus*, *Paulus*, *Jacobus*, *baptizetur in Nomine Patris*, &c. Mirum viros graves in re adeo seriâ nobiscum huc usque ineptire, quàm cum Græcis sapere maluisse. Sed Græci non ideo formulam à nostra diversam usurpant, quòd eam ineptam putent, sed quoniam actum baptizandi Ministris imputari haud tutum credunt, prout *Thomas* rectè annotavit, ne detur locus eorum errori qui virtutem Baptismi baptizantibus attribuebant; dicentes, *Ego sum* Pauli, *Ego sum* Cephæ. Verùm in eo sponte errant quòd à Ministris interrogari parvulos cùm baptizantur, asserunt. Jubetur enim, in Rubrica, baptizandorum Catechismo præfixâ, Minister non Infantem sed *Infantis Susceptores alloqui in hunc modum*, *ac dicere*; *Abrenuncias Infantis hujus nomine*, *diabolo & omnibus illius operibus*, &c? Cui respondent, Infantis nomine Susceptores, *Abrenuncio*. Hoc itaque tandem illud est, quod ludicrum superfluumque videtur, scilicet, Susceptores nomine procuratorio ita pro Infantibus respondere, ac si responderent ipsi Infantes, hoc modo, *Abrenuncio*, *Credo*, *Volo*. At id, cùm res seria seriò agatur eâ verborum formâ quam Ecclesia Dei à primordiis Christianismi instituit & ad hunc usque diem approbavit, invariatéque usurpavit, ut eâ stipulatione firmiùs expressiúsque baptizandi Christo obligentur, nec pro ludo jocoque ejusmodi stipulationes in rebus civilibus habeantur; quî ludicrum superfluumque hìc dici debeat queatve non video. "*Valerius Flaccus* Ædilis creatus, quia Flamen Dialis erat, jurare in leges "non poterat, & Magistratum plus quinque dies, nisi jurasset in leges, "non licebat gerere, ideo petiit ut legibus solveretur. Quare datus al- "ter, frater ejus, qui pro eo juraret, plebesque scivit, ut perinde esset, ac "si ipse Ædilis jurasset. Idem factum cùm Serenissimus *Jacobus* ejus nominis Sextus, vix semestris in cunis adhuc vagiens Rex *Scotiæ* inauguratus est. Tutor ei datus qui illius nomine per modum stipulationis in leges juraret. Quod à maximo Principe, cùm hæc eadem quæstio à *Puritanis* in Colloquio *Hamptoncuriano* mota esset, observatum est. Solent Legati qui Regum suorum nomine nuptias contrahunt, quasi Reges ipsi quorum personam sustinent, præsentes adessent, interrogari & respondere.

Vide *apud Concil.* Lateran. cap. 4.

Thom. *Sum. Theol.* p. 3. q. 66. art. 5.

Titus livius. l. 31. c. 5.

Vide *Colloquium* Hamptoncurianum.

respondere. Idem fieri aiunt cùm *Cæsari* per Procuratores juramentum Fidelitatis præstatur à Principibus qui sunt in Sacri Imperii clientelâ. Quin notum legibus Anglicanis Tutorum eam esse authoritatem ut possint non modò contrahere, in judicio stare, reliquaque facere quæ conservationem aut incrementum rerum statusque Pupillorum suorum spectant sed etiam in eorum animam jurare. Quæ omnia ludicra superfluaque æquè dici possunt, atque Infantum Sponsiones in Baptismo per Susceptores factæ. Sed neque *Valerius Flaccus*, neque *Jacobus* Rex adultus, neque Reges per Legatos cum uxoribus conjugati, neque Principes per Procuratores fidem *Cæsari* polliciti, neque Pupilli majorennes, ad ea præstanda quæ Frater, Tutores, Legati, Procuratores pro ipsis jurarunt minùs teneri se umquam crediderunt, quàm si ipsi, volentes, scientes, præsentes, ad id jure-jurando sese adstrinxissent. Inauditum quoque est Christianum ullum seu in antiqua, seu in recentiore Ecclesia, postquam adolevisset, responsiones, ipsius nomine in Baptismo, Susceptorum ore factas, pro ludo jocoque habuisse. Rem igitur maximè seriam, neque inutilem, uti jam liquidum esse putamus, atque, quantum quidem ex Veterum Scriptorum monumentis conjicere est, in Ecclesia Christi à principio usurpatam, seriò nobis agere porro liceat bonâ cum Fratrum veniâ; quandoquidem eos ob morem diversum, qui, licet novitius, magis illis probatur, nec damnamus, nec ullo modo sugillamus.

CAPUT XXV.

De Crucis Signaculo in Fronte Baptizatorum designari solito juxta Ritum Ecclesiæ Anglicanæ.

Multiplex horrendusque Crucis illiusque signaculi abusus in Ecclesia Romana describitur. Ab eo omni abusu abhorret Ecclesia Anglicana. Signaculi Crucis usus apud primævos Christianos, unde ortus; unde abusus Sæculis posterioribus. Illius Reformatio in Ecclesia Anglicana. Designatur in fronte non Baptizandorum sed Baptizatorum, & eorum tantùm quos spes est fore superstites, ne quâ ei virtus aut efficacia à quoquam tribui possit. Nihil addit Baptismo, quem plenum perfectumque esse credit & declarat Ecclesia Anglicana absque hujusce signi designatione. Bucero *maximè probatur; non improbatur à* Beza; Martyri *licitus videtur. Refutatur Objectio* 1. *Adversus signum Crucis, scilicet,* Quòd sit signum per quod Infans Deo dedicatur, ideoque signum Sacramentale. *Defenditur Reverendi* Mortoni Dunelmensis *Episcopi ad eam Objectionem Responsio. Res duplici ratione Sacramentales dici possunt. Signo Crucis nullam virtutem tribuere, nullam gratiam invisibilem annexam credere Ecclesiam Anglicanam verè affirmavit* Durellus. Jacobi August. Thuani *judicium de Crucis Ceremonia prout ab Ecclesia Anglicana usurpatur. Refutatur Objectio* 2. *Nempe,* Quòd sit signum visibile internæ spiritualis gratiæ, *ideoque Sacramentum propriè dictum.* Thomas *ἀπροσδιονύσως ab Apologista allegatur; Verbis tamen ex eo allegatis liquet signum Crucis in Ecclesia Anglicana non esse Sacramentum.*

Nihil

Nihil aut falsum, aut absurdum de Cruce in Tractatu Anglicano scripsit Durellus. *Cruces è Templorum summitatibus à Reformatis haud deturbatæ, quin recèns ædificatis,* Cadomi *aliisque locis impositæ. Solent* Genevenses *Religionem Christianam Cruci innixam effingere. Crucem pallio intextam gestare licet ex Synodi Nationalis Ecclesiarum Reformatarum* Galliæ *ad S.* Maxentii *an. 1609. habitæ decreto.* Gilberti Voetii *de Crucibus è pinnaculis Templorum deturbatis apud Reformatos provocatio irrita. Crucis signaculum in Administratione Baptismi apud* Augustanæ *Confessionis Ecclesias usurpatur. Reformatorum* Parisiensium *liberi in* Magnæ Britanniæ *Regis ad* Gallorum *Regem Legatorum Sacello, Sacro Baptismo, Ritu Anglicano, intingendi sæpius offeruntur. Cultum Dei in* Augustanæ *Confessionis Ecclesiis (in quibus obtinet Crucis consignatio) ab omni Idololatria & Superstitione immunem Pronunciavit* Gallorum *Reformatorum Synodus Nationalis. Nihil adversus Crucis in fronte Baptizatorum designationem objicitur, quod non, jure pari, adversus Trinam aspersionem objici possit.*

QUò clarius appareat numquid jure reprehendant *Presbyteriani* in signaculi Crucis Ceremoniâ, prout hodie ab Ecclesia Anglicana usurpatur, hujusce Ritus tum abusus qui in Ecclesia Romana adhuc obtinet, tum usus legitimus ex quo apud nos ab omnibus illius Ecclesiæ superstitionibus repurgatus fuit, imprimis describendus videtur. Multiplex sanè horrendusque est Crucis signaculi abusus in Ecclesia Romana. Docet *Thomas*, lignum veræ Crucis, hoc est, maledicti illius patibuli cui affixus est Filius Dei, illiusque adorandum esse, idque adoratione Latriæ quam vocant, hoc est, eadem adoratione qua adorandus est ipse Deus in æternum benedictus. Censet idem numerosa Scholasticorum cohors, quos videre est apud *Azorium*. Iisque placet alias Cruces ad illius figuram efformatas eodem cultu prosequendas. Et quod à viris tantis docetur, id Plebs Pontificia, summâ cum animi tum corporis summissione præstare solet, maximè Quippe die Passionis Dominicæ, quæ feria sexta est in Parasceve, in quo die, finitis orationibus Sacerdos acceptam à Diacono Crucem antea in Altari præparatam, à summitate parum discooperit, Antiphonam *Ecce lignum Crucis*, incipiens: Deinde ubi ad eum locum ventum est ubi accinit Chorus,

Summ. Theol. p. 3. q. 25. art. 4.

Institut. Moral. l. 9. c. 6.

Missal. Rom. feriâ sextâ in Parasc.

Chorus, *Venite adoremus, illico se omnes prosternunt, excepto celebrante*; qui discooperiens brachium dextrum Crucis, elevansque eam paulisper, canere incipit, *Ecce lignum Crucis*, aliis cantantibus & adorantibus. *Tum procedit ad medium Altaris, & discooperiens Crucem totaliter, ac elevans eam, tertiò altius incipit*, Ecce lignum Crucis, *aliis adorantibus & cantantibus*. Ecce lignum Crucis in quo salus mundi pependit, *Chorus respondet*, Venite adoremus. *Postea solus portat Crucem ad locum ante Altare præparatum, & genuflexus ibidem eam locat; Mox depositis calceamentis accedit ad adorandam Crucem, ter genua flectens antequam eam deosculetur. Postmodum Ministri Altaris, deinde alii Clerici & Laici bini & bini, ter genibus flexis Crucem adorant.* Ubi observandum est eos non pedibus incedentes, sed genibus reptantes ad Crucis osculum accedere. Quo quid amplius ipsi Christo Domino si de Cœlo jam in terram eâ gloriâ quâ totus coruscat, circumfusus, descenderet, præstari posset non video. Hanc Idololatriam aut ullum illius Vestigium apud veteres Ecclesiæ primitivæ Christianos, aut apud hodiernam Anglicanam, si quæras, Dei beneficio frustra sis. Neque enim apud eam in Sacris, magis in usu sunt quàm apud vetustissimam Ecclesiam, Cruces materiales ex ligno aut ex auro argentove fabrefactæ, tantum abest ut execrandum illum Cultum eis exhibeat. Quin consuetum illud primæ memoriæ Christianis Crucis signum manu in aëre simpliciter formatum propter superstitiosum illius abusum in Ecclesia Pontificia, in reliquis penitus sublatum est, atque in uno Baptismo retineri, & in fronte Baptizatorum designari placuit; idque tot circumscriptum limitibus, totque adhibitis cautionibus, ut non modò rigidioribus, sed moderatissimis quoque hominibus Pontificiis, ut infrà dicetur, abolitum magis quàm retentum, atque prorsus obliteratum videatur. "Ad omnem progressum atque promotum; ad omnem "aditum atque exitum; ad vestitum, ad calceatum, ad mensas, ad la-"vacrum, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quandocunque conversatio "exercet, frontem Crucis signaculo terimus, *inquit* Tertullianus. In sacris quoque frequens fuit illius usus. Numquam verò in fronte Baptizandorum non designabatur. *Illic*, inquit idem *Tertullianus*, *signat milites suos.* Et *Augustinus* Catechumenum alloquens; *Cujus* (Christi) *Passionis & Crucis signo in fronte hodie tamquam in poste*, inquit, *signandus es, omnesque Christiani signantur.* Crucis signum ideo primùm in vita communi à Christianis usurpari cœpit, ut eâ ratione profiterentur se Christi crucifixi, quem ut Deum colebant & Servatorem agnoscebant, nequaquam pudere. Deinde etiam & in Baptismo adhibitum est, ut quotquot Christo nomen dabant, eâ Ceremoniâ admonerentur, propter Crucem Christi, quam Gentiles Christianis contumeliosè solebant objectare, ipsis non erubescendum. "Cor quidem habe-"mus,

Tertull. l. *de Corona Militis.*
Tertull. *de Baptismo.* c. 4.
Augustin. *de Catechizandis Rudibus.* c. 20.

“mus, non tamen quale vos habetis, *inquit* Augustinus; nec nos pudet “Crucifixi. Sed in parte ubi pudoris signum est, signum ejus Crucis “habemus. Cùm autem Deo Optimo, Maximo, pro sua sapientia ac bonitate summâ visum esset, eam fidei in Christum crucifixum testificationem publicam, ad fidei illius Confirmationem, sanationibus aliisque malorum miraculosis depulsionibus, sæpissimè approbare; inde factum ut *in omni conversatione*, ut loquitur *Tertullianus*, & in omnibus Sacris quoque tandem adhibitum sit Crucis signaculum. “Hoc signo “Crucis consecratur Corpus Christi Domini; sanctificatur fons bap“tismatis; initiantur etiam *Presbyteri* & cæteri gradus Ecclesiastici; “& omnia quæcunque sanctificantur, hoc signo Dominicæ Crucis cum “invocatione nominis Christi consecrantur, *inquit* Chrysostomus. Cùm verò cessante edendorum miraculorum causâ, hoc est, fidei in Christum crucifixum confirmationis necessitate, cessarent quoque miracula, nec tamen usus signi Crucis desineret, eidem effectus spirituales, idque ex *opere operato*, ut loquitur *Bellarminus*, à superstitiosis hominibus attribui cœperunt. Quàm latè pateat ea superstitio in Ecclesia Romana, ii norunt qui Pontificiorum mysticas easque ferè innumeras in Sacris, & importunas sæpiusque oppidò ridiculas (verbi gratiâ, in ore oscitantium ne in illud ingrediantur maligni Spiritus) in omni conversatione Crucis designationes observarunt.

Augustin. de verbis Apostoli.

Chrysostom. Hom. 55. in Matth. c. 16.

Bellarm. de Effect. Sacram. l. 2. c. 31.

§. Has omnes Superstitiones ut penitùs auferrent, Beatæ Memoriæ Reformatores nostri, signum Crucis non nisi in celebratione Baptismi, usurpari voluerunt; idque non ante Baptismum (quemadmodum fiebat apud primos illos miniméque superstitiosos Christianos & etiamnum fit non tantùm in Ecclesia Romana, sed etiam in *Augustanæ* Confessionis Ecclesiis, & factum quoque est apud nos initio Reformatæ Religionis, *Edvardi* Regis 6. annis prioribus) sed ritè peracto plenéque completo Baptismo, ne scilicet signo Crucis vis aliqua ad ullum quemcunque effectum in Baptizando producendum à quoquam adscribi possit. Quin etiam omitti placuit signum Crucis, cùm Infantes moribundi baptizantur, nec in eorum fronte designatur, nisi forte præter spem superstites esse contigerit, cùm in Ecclesia coram fidelium cœtu Minister declarat eos fuisse ritè baptizatos. Et ne cujus animum ulla incessat superstitio, quasi quid deesset Baptismo absque eâ consignatione peracto, disertis verbis profitetur Ecclesia Anglicana, “Quòd statim atque Mi“nister Infantem in Nomine Patris, *&c.* baptizaverit, eum plenum & “perfectum Baptismi Sacramentum consequutum esse; adeo ut signum “Crucis post adhibitum, ad Baptismi virtutem aut perfectionem nihil “adjiciat, nec idem omissum de ejus efficaciâ aut substantiâ quicquam “detrahat. Si quæras quem igitur ob finem signaculum illud in fronte baptizatorum designetur? Responsum habe ex ipsa Solenni formulâ

Vide Officium pro Administr. Pædobaptismi in privatis ædibus.

Canone 30.

quæ

quæ tum à Ministro recitatur; "Infantem hunc in Cœtum gregis "Christi admittimus, atque illum signamus signo Crucis, in signum "quòd ipsum posthac non pudebit fidem in Christum crucifixum profi-"teri, & sub ejus signo contra peccatum, mundum & Satanam virili-"ter pugnare, fidelemque Christi militem ac famulum ad vitæ finem us-"que permanere. *Amen.* Ex quibus manifestum esse arbitror, Ritum illum ad primum usum quem habuit in Ecclesia primitiva, in Anglicana Reformata, quàm proximè fieri potuit, reductum esse; ideoque à nemine improbari, atque ut superstitiosum repudiari jure posse. Certè præstantissimo *Bucero* adeo non damnatus est hic Ritus, quamquam nondum erat omnibus illis cautelis atque explanationibus adversus Superstitionem munitus, ut illum retinendum censuerit. "Signum hoc "non tam quòd est usûs in Ecclesia antiquissimi, quàm quòd est admo-"dum simplex & præsentis admonitionis Crucis Christi, adhiberi nec "indecens, nec inutile existimo, *inquit ille* in Censura libri Liturgici Ecclesiæ Anglicanæ. Doctissimus *Goulartius Genevensis*, Crucis in fronte baptizatorum designationem censet, *Ceremoniam esse naturâ suâ indifferentem, Christianismique Symbolum olim fuisse*, dicit. Quin ipse *Th. Beza* adversus *Balduinum*, loco ab ipso Apologistâ citato, postquam in spurcissimam Crucis adorationem aliosque illius signaculi abusus in Ecclesia Romana consuetos vehementissimè pro merito invectus est, "Scio ta-"men, *inquit*, nonnullos sublatâ Crucis adoratione, aliquem Crucis "usum retinuisse. Utantur igitur ipsi, sicut par est, suâ libertate. Huc etiam faciunt illa *Petri Martyris*, "Citra Superstitionem signum "Crucis à Principibus in Coronis gestatur, quoniam eo signo tantum-"modo profitentur ac testantur se Christianam Religionem colere ac "tueri. Porro si licet insignia propriæ familæ gestare, licet etiam "signo Crucis Christianam Religionem profiteri.

Vide Buceri *Scripta Anglicana.*

Goulart. *Notæ in* Cyprian. *ad Epistol.* 56.

Apol. p. 128.

Petr. Martyr. *Loc. Commun. Class.* 2. c. 5. sect. 20.

§. Sed ut eâ fruamur libertate, pati nolunt Schismatici. "Nam ista "Cruci ascribuntur, *inquiunt*, quæ nisi rei divinitus institutæ ascribi ne-"queunt. Id vero noster satis demonstratum putat, si probaverit Ritum illum pro signo Sacramentali apud nos usurpari; quod hocce duplici medio probatum it. 1. "Signum per quod Infans Deo dedicatur, "est signum Sacramentale; Crux est signum per quod Infans Deo de-"dicatur. *Ergo.* Quo argumento Reverendiss. *Mortonum* doctissimum illum *Dunelmensem* Episcopum, ita tortum fuisse nobis author est Apologista, "ut primò negaret per Crucem Infantem Deo dedicari; at "cùm inspecto Canone cerneret, *inquit*, hoc διαῤῥήδην affirmari, mi-"rificam excogitavit distinctionem de dedicatione Consecrationis & "Protestationis. Tandemque optavit verba illa in Canonem num-"quam fuisse inserta. Et tamen non puduit Præsules in ultima hac "Liturgiæ editione, nos remittere ad hunc Canonem pro explicatione "signi

Apol. ibid.

" signi Crucis. Hæc iste. Respondeo; Verba Canonis ad quæ respicit assumptio istius Syllogismi, hæc sunt. "Atque hoc Crucis signum non modo ipsi (veteres Christiani) idque cum ostentatione " quadam solebant adhibere quoties Judæis passim occurrerent, sed & " liberos suos, cùm baptismatis aquâ abluerentur eodem signari faciebant, ut eos per Crucis Symbolum illius servitio dedicarent, cujus in " Baptismo collata in ipsos beneficia Crucis nomine essent repræsentata; *Aut ista*, Ecclesia Anglicana Crucis signum in baptizando usque " retinendum censuit; secuta nimirum eâ in re Primitivas & Apostolicas Ecclesias; atque hunc characterem pro licita externa Ceremonia " reputans & Symbolo honorifico, per quod Infans illius obsequio qui " Crucis mortem subiit, in perpetuum votus esset & mancipatus. Quibus verbis nihil inesse video, cur Reverendus *Mortonus* optaret, *ut ea in Canonem non fuissent inserta*. Sed neque quicquam tale occurrit in *Defensione trium innoxiarum Ceremoniarum Ecclesiæ Anglicanæ*, quam scripsit Antistes doctissimus cùm Sedem *Cestrensem* adhuc teneret. Nec verba Canonis ab eo negata usquam possum reperire. Neque magis mihi liquet quid in argumento quod ex iis verbis conficitur Præsulem doctissimum torquere potuerit. Nam si negetur propositio major unde probabitur? Non est enim de ratione Sacramentorum ut quis eorum operâ Deo dedicetur. Nec si sit, inde sequetur, id omne Sacramentum esse quo quis Deo dedicatur; quod statim patebit. A Deo instituta sunt Sacramenta ad gratiam significandam, obsignandam, exhibendamque ritè dispositis. Fateor quidem, quotquot ad Sacramentum, seu Baptismi, seu Cœnæ Dominicæ accedunt, eos omnes jure merito, vel eo ipso quòd accedunt, & beneficiis tantis à Deo afficiuntur, Deo obstringi atque mancipari. Id vero non ideo fit quòd Sacramenta à Deo sint instituta, ut per ea homines ipsi dedicentur; sed quòd, qui beneficium accipit, eo ad officium obsequiumque sese obstringat. Unde forte à Veteribus appellata Sacramenta quasi dicas juramenta quibus Deo nos obligamus, ut Imperatori milites. Deinde quis nescit manuum impositione Deo dedicari in plerisque Reformatorum Ecclesiis, qui ad Sacrum Ministerium admittuntur. Unde si valet hoc argumentum ad probandum Crucis Ceremoniam prout à nobis usurpatur, esse signum Sacramentale proindeque illicitum, pari ratione valebit & adversus manuum impositionem, Ceremoniam uti jam dictum est, ubique ferè in Ecclesiis Dei usitatam. Sed & rectè majorem distinxit Antistes eruditissimus, cùm affirmavit rem dici posse duplici ratione dedicari, scilicet aut *dedicatione Consecrativa* quæ fit *per Consecrationem*; aut *dedicatione Declarativa*, quæ fit *per protestationem*. Res per Consecrationem Deo dedicatur quum solenni Ritu ad aliquem usum sacrum Deo offertur atque mancipatur. Res per Protestationem dedicatur, cùm quis

Mortoni Defens. trium innox. Ceremon. Part. 2. c. 2. sect. 7.

quis palam declarat (quod protestari est) sibi in animo esse, ut res Deo sacra evadat. Quod utrumque seu verbis tantùm, seu addito etiam signo fiat, perinde est. Verbi gratiâ, Pater declarat sibi fixum ratumque uti filius recèns in lucem editus Sacro Ministerio fungatur in Ecclesia Dei, ubi adoleverit, simulque ei tradit in manus Sacra Biblia, futuræ scilicet functionis insignia. Idem verò postquam ad ætatem idoneam pervenit, & eam in rebus divinis scientiam sibi comparavit, quâ Christi Ministrum ornatum esse decet, ab Antistite ad Sacros Ordines per manuum impositionem admittitur, Deoque dedicatur. Ista Consecrationis, illa Protestationis dedicatio est. His positis, ad tortorem illum Syllogismum sic Respondeo ex Reverendo *Dunelmensi*; Signum per quod Infans Deo dedicatur *dedicatione Consecrationis*, est signum Sacramentale, transeat major; *dedicatione Protestationis*, negatur. Signum Crucis est signum per quod Infans Deo dedicatur, dedicatione Consecrationis, nego; dedicatione Protestationis concedo. Ergo est signum Sacramentale, negatur. Multa quoque dici possent ad illud, *signum Sacramentale*. Nam Sacramentalia dicuntur, tum quæ ad Sacramenta quoquo modo pertinent, etiam meræ Circumstantiæ, ut tempus, locus, vasa, aliaque instrumenta; tum quæ Sacramenti rationem habent, aut saltem habere putantur, & ad hoc ut habeant, ab hominibus licèt temerè, instituta sunt. Qualia oleum, sal, sputum, chrisma, aqua lustralis, quam benedictam vocant, aliaque ejusdem furfuris, quæ in Ecclesia Romana usurpantur, non ut homines officii simpliciter admoneant, sed ut gratiam utentibus, idque ex opere operato, ut loquuntur, conferant. Primo modo, si Crucis signum dicatur Sacramentale, quoniam frons Infantis recèns baptizati eo munitur & ad Baptismi solennitatem pertinet, in eo nihil erit incommodi, aut quod possit jure reprehendi; quo sensu scilicet eos qui Infantes ad Baptismum offerunt & pro eis spondent, sponsores baptismales rectè dixeris; Posteriore modo si signum Crucis dicas Sacramentale, id absque omni ratione feceris. Siquidem ei prout ab Ecclesia Anglicana usurpatur atque explicatur, nulla gratia invisibilis annexa est, nulla efficacia tribuitur. Quod ex verbis ipsius Canonis suprà allegatis adeo liquidum est, ut de eo nemini, qui quidem sciat legere, & quod legit, intelligere, dubium esse possit. Hoc idem cùm in ea Concione, quæ addita est ad Calcem Tractatûs Anglici (de quo jam sæpius) in qua Ecclesiæ Anglicanæ Ritus juxta illius mentem à me explicantur & à Schismaticorum maledicentiâ vindicantur, affirmassem, non dubitavit Apologista pro suo mentiendi calumniandique privilegio, me eo nomine falsi accusare. "*Durellus* ait in Concione "quæ libro appenditur, signum Crucis nullam habere sibi annexam "gratiam invisibilem; & Ecclesiam Anglicanam ei nullam virtutem "ascribere; quod falsissimum esse patuit prius, *inquit*: Nempe eo argumento

Apol. p. 137.

gumento quod jam explosum est, & sequenti, quod jam difflabitur, postquam Magni illius *Jacobi Augusti Thuani*, de Canone 30, in quo explicatur Crucis Ceremonia, judicium hìc apposuero, ut inde appareat, *An Præsules nostros pudere debuerit*, quod ait noster, *in ultima hac Liturgiæ Editione, ad eum Canonem pro explicatione signi Crucis, Schismaticos*, aut alios quoscunque qui Reformatam Religionem profitentur, *remittere*. " Crucis Ceremonia in Baptismate retinetur & explicatur (in Constitutionibus Ecclesiasticis Synodi Nationalis quæ *Londini* post Colloquium *Hamptoniense* sub *Jacobo* Rege ann. 1604. habita est) " sed ita & tot adhibitis cautionibus, *inquit*, ut Sacro-sancti signi reve-" rentia omnino aboleri potius quàm confirmari videatur. Istæ tamen Cautiones quæ Viro interPontificios moderatissimo, tales videntur, ut omnem signi Crucis reverentiam, hoc est, omnem abusum superstitiosum, omnino aboleant, *Puritanis* nostris (quibus nihil, quod non penitus sublatum est, satis Reformatum videtur) non sufficiunt. Quippe qui nihilominus hic audent exclamare, signi Crucis usum in Ecclesia Anglicana vix latum unguem differre à superstitioso illius abusu qui in Romana vulgò obtinet. Thuanus *ad ann. 1604.* *Apol. p. 129.*

§. Alterum Argumentum quo probare satagit Crucis Ceremoniam tamquam signum Sacramentale ab Ecclesia Anglicana usurpari, illud est: " Signum visibile internæ spiritualis gratiæ est signum Sacra-" mentale; Crucis signum est signum, &c. Ergo; Major patet, *in-" quit*, ex definitione Sacramenti quæ ponitur in Catechismo Vulgari. " De Minori non dubitabit quisquis respexerit ad formulam Verborum " quæ usurpanda est, quoties frons Infantis signaculo hoc consignatur, " quæ est ejusmodi, signamus, &c. Ut suprà. Non dicitur esse sig-" num, quòd officium nostrum sit Christum confiteri, sed dicitur esse " signum, quòd confitebimur & quòd perseverabimus confitentes. At " mortalium nullus hujusmodi signum potest instituere, nisi ad hujus-" modi institutionem faciendam potestas ei desuper concessa fuerit. " Nec sanè necesse est ut ullum signum instituatur ad hoc significandum. " Per ipsum enim baptismum consignatur promissio perseverantiæ om-" nibus in Christum insitis. Adeo ut signum Crucis non modò super-" stitiosum sit, sed & superfluum. Major potest negari cùm non sit completa Sacramenti definitio: Sed transeat. Itaque Respondeo, negando Minorem & illius probationem. Primò enim certum est illâ verborum formulâ, quæ à Ministro pronunciatur, cùm consignatur recèns baptizatus, nihil tale contineri. Nisi si rectè inferunt *Romani* Pontificis infallibilitatem, ex his verbis Prophetæ quibus Judæorum summum Sacerdotem ab errore immunem aut constitui, aut saltem declarari volunt. *Labia Sacerdotis custodient scientiam.* Ea verò de Sacerdotis officio, non de promissâ infallibilitatis gratiâ Reformati vul- *Malach. 2. 7.*

gò intelligunt. Quæ interpretatio si hìc adhibeatur tota vis Argumenti ab illis verbis, quæ ejusdem omnino formæ sunt, petiti illico concidet. Ut autem adhibeatur, æquum esse multis probatur rationibus.

Primò, Quia Ecclesia Anglicana, eos qui Crucis signaculo in fronte signantur, in Christi crucifixi Confessione ad usque extremum Spiritum permanere nusquam docet. Quin contrarium apertè profitetur, unde stultum atque iniquum est dicere ab ea signum institutum fuisse, ad eam doctrinam stabiliendam, quam ubique expresè damnat, quamque nemo est inter Christianos cujuscunque Sectæ qui non ut monstrum abominetur & respuat.

Secundò, Disertè profitetur Sacra Synodus, Canone 30, in quo Crucis Ceremonia explicatur, se illam non alias ob causas retinere aut retinendam censere, quàm quas habuit purior illa primorum Christianorum Ecclesia, cur illius usum primò institueret, nempe ut eâ ratione palam profiteretur, se Crucem Christi Domini non erubescere; tum etiam ut moneatur baptizatus postquam adoleverit, & qui baptismi administrationi intersunt adulti fideles, quotquot in Ecclesiam per baptismum admissi sunt, iis Christo crucifixo, in cujus nomine fuerunt baptizati, militandum adversus Peccatum, Mundum & Diabolum; Crucemque si sic Imperatori summo videatur, ad postremum usque halitum, perferendam.

Tertiò, Ex his ejusdem Canonis verbis planum est, neque ullam gratiam invisibilem ei annexam, neque virtutem ascribi, ex sententia Ecclesiæ Anglicanæ. "Palam est, *inquit Canon*, in libro publicæ Liturgiæ, "Infantem postquam baptismum suscepit (Crucis utique signo non-"dum superveniente) in Christi gregem ac Ecclesiam, tamquam per-"fectum ejus membrum, receptum esse, ipsius adeo baptismi virtute, "non autem potestate aliquâ quæ signo Crucis affingatur. Ita ut "propter Crucis memoriam, quæ apud omnes verè in Christum cre-"dentes plurimi semper fuit, & reliquas etiam ob causas supradictas "Ecclesia Anglicana ejus signum in baptizando usque retinendum censuerit, secuta nimirum in ea re Primitivas & Apostolicas Ecclesias, at-"que hunc characterem pro licita externa Ceremonia reputans ac "Symbolo honorifico, per quod Infans illius obsequio, qui Crucis mor-"tem subiit, in perpetuum devotus esset & mancipatus; id quod ex "verbis in libro publicæ Liturgiæ expressis facillimè potest perspici. Eo etiam vel maximè faciunt verba ejusdem Canonis jam antea hoc ipso capite allegata; "statim atque Minister Infantem baptizavit, eum ple-"num & perfectum baptismi Sacramentum consecutum esse; adeo ut "signum Crucis post adhibitum, ad baptismi virtutem aut perfectionem "nihil adjiciat. Nec idem omissum, de ejus efficaciâ aut substantiâ "quicquam detrahat. Nec tamen superfluum dici potest, quod vult iste,

iſte, cùm præterquam quòd non eſt inutile Eccleſiæ Chriſti Primitivæ in re haud illaudabili, conformari, prodeſt Crucis Dominicæ admoneri, quod eâ ratione rectè fieri, ſuprà ex *Bucero* audivimus.

§. Quæ deinde allegat Apologiſta ex *Thoma* p. 3. Quæſt. 60. Artic. 5. ſcilicet, "Cùm in uſu Sacramentorum duo poſſint conſiderari, "nempe Cultus divinus & Sanctificatio hominis, non pertinere ad ho-"minem ſuo judicio res aſſumere quibus ſanctificetur; ſed hoc debere "ex divina inſtitutione eſſe determinatum; Et quamvis poſſit res ea-"dem per diverſa ſigna ſignificari, determinare tamen quo ſigno ſit "utendum ad ſignificandum, pertinere ad ſignificantem, nempe Deum, "qui nobis ſignificat ſpiritualia per res ſenſibiles in Sacramentis; Hæc inquam quæ allegat iſte ex *Thomæ* Summâ, quamquam appoſitè admodum de Sacramentis à *Thoma* diſputantur, omnino tamen ἀπροσδιονύσως ab Apologiſta huc afferuntur; ubi non de Sacramento à Deo ad gratiam ſignificandam, obſignandamque, & ritè diſpoſitis exhibendam, agitur: ſed de Ceremonia Eccleſiaſtica ex ſeſe quidem Adiaphorâ, ſed ab Eccleſiâ utiliter inſtitutâ, nempe in recordationem beneficiorum à Chriſto crucifixo acceptorum, & admonitionem officii Chriſtianorum militum ſub Imperatore crucifixo merentium. Quin & illa duo quæ in uſu Sacramentorum conſiderari poſſunt juxta *Thomam*, ſcilicet *Cultus Dei & Sanctificatio hominis*, demonſtrant ſignum Crucis Sacramentum non eſſe, nec Sacramenti rationem habere, prout à nobis uſurpatur atque explicatur. Neque enim Cultus Dei in ſigno Crucis à nobis ullus ponitur, neque Sanctificatio hominis per illud efficitur aut effici creditur. Idem patet ex aliis ejuſdem *Thomæ* verbis loco citato; ſiquidem duorum illorum quæ dicit in Sacramento conſiderari poſſe, prius nempe *Cultus*, ut rectè obſervat ille, *pertinet ad hominem per comparationem ad Deum; poſterius autem* (*Sanctificatio*) *è converſo pertinet ad Deum per comparationem ad hominem.* Nihil verò eſt in ſigno Crucis prout ab Eccleſia Anglicana uſurpatur & explicatur, quod pertineat ſeu ad hominem per comparationem ad Deum; ſeu ad Deum per comparationem ad hominem. Mera enim eſt, uti jam dictum ſæpius, externa Ceremonia, quâ recèns baptizatus & in membrum Eccleſiæ per baptiſmum cooptatus, officii ſui admonetur. Quod neque ad Deum pertinet, ut *Thoma* verbis uti pergam, per comparationem ad hominem, neque ad hominem per comparationem ad Deum; Sed ad Eccleſiam per comparationem ad baptizatum, quatenus illum officii, eâ ratione admonitum vult; & ad baptizatum per comparationem ad Eccleſiam, quatenus ab eo requiritur ut Eccleſiæ (cui rectè monenti, ſeu id fiat verbis, ſeu ſigno aliquo, omnimodum debet obſequium) in re juſtâ atque neceſſariâ ſeſe morigerum præſtet.

Apol. p. 131. §. Post allegatum *Thomam*, Apologista nè propositi, nempe *Durelli* refutandi, oblitus esse videatur, eum post satis longas inducias, sic denuo aggreditur. " *Durellus* cùm ne unam Ecclesiam Reformatam " laudare potuit (sic loquitur Apologista, non melior Grammaticus quàm Theologus) " in qua obtinet (& sic rursum) Crux baptisma-" lis; ne tamen nihil videretur dicere, ait pag. 28. & 29. Cruces in " turribus Templorum non sublatas esse, nisi forte an in populari tumul-" tu; imo quasdam ex optimè Reformatis Ecclesiis, Templis novè ædi-" ficatis Crucem imposuisse. Instat in eo Templo in quo congregant " (Anglicismus est, *they assemble*, pro congregantur) Protestantes op-" pidi Cadomi. Quo nihil ei excidere potuit vel falsiùs, vel insulsiùs. Hæc ille. Deinde fidissimum suum *Gilbertum*, qui semper ei præsto est ad jurandum, cum auxiliaribus copiis ad opprimendum *Durellum* advocat. *Clarissimus* Voëtius, inquit, in Thes. de Staurolatria p. 902. *exertè probat Reformatos quantum in se erat, id effecisse, ut vel aplustre ad ventorum indicium, vel nihil omnino super Templis ponerentur. Provocat ad* Galliam, Scotiam, Hungariam, Belgium suum, *&c.* Quibus addit homo sagax & nasutus, bellam hanc conjecturam suam de Cruce Templo Reformatorum *Cadomensium* impositâ. *Quod ad Templum* Cadomi *attinet, crederem*, inquit, *Crucem ei impositam Protestantibus insciis.* Ego verò ad ea confirmanda atque condienda, quibus nihil *falsiùs* aut *insulsiùs* à me dici potuisse ait, nihil aliud afferam, quàm ea ipsa quæ ipsi, homini scilicet veracissimo falsissimoque prout Lectori innotuit, falsissima insulsissimaque videntur. Hoc tamen Lectorem æquum monitum velim, nempe loco ab Apologista citato, non agi de Cruce baptismali, quam vocat, sed de Crucibus quæ ubique gentium Christianarum, Templorum summitatibus, olim impositæ, quasi insigne Christianismi, & apud nos in Reformatione usque ad nuperas *Presbyterianorum* turbas, absque cujusquam offensâ conservatæ, ab *Apollyonibus* istis passim deturbatæ fuerant. Id quàm sit alienum à Reformatorum ingenio, his verbis declaraveram.—" Neque Cruces à " Reformatis è Sacrarum ædium pinnaculis (nisi forte populari sedi-" tione) apud Reformatos Transmarinos deturbatæ sunt. Quin " quod dignum est observatu, quoniam nunc Crucis figura pro mani-" festo Papismi argumento, à nonnullis habetur (quamquam olim pro " externo Religionis Christianæ Symbolo, à primævis optimisque " Christianis vulgò usurpata est) Cruces ab optimè Reformatis Eccle-" siis, recèns ædificatis Templis impositæ sunt, Exempli gratiâ, ei in " quod coeunt Reformati *Cadomenses* in *Normannia*. Possem & in " aliis instare. Sed una hæc instantia suffecerit, cùm res sit multis è " Nostratibus perspecta. Multa insuper probant Transmarinorum Ec-" clesiis Reformatis Crucis usum ad meram significationem, simpliciter

" non

" non damnari. Notum est solere *Genevenses* in eo Christianæ Reli-
" gionis Emblemate, quo vulgo ornatur Psalmorum rythmicorum &
" Sacrorum Bibliorum prima pagina, eam Cruci innixam effingere. Et
" cùm in Synodo Ecclesiarum Reformatarum Galliæ, quæ ann. 1609.
" ad S. *Maxentii* habita est, Quæsitum esset de Reformatis militibus
" qui mandato Regio cœnobitarum sumptibus alebantur, num Crucem
" pallio intextam gestare possent, prout ex instituto tenebantur, & an
" fas esset eos illo indutos habitu ad Sacram Synaxin admittere, respon-
" sum est affirmativè. Hic verò, quid quæso aut falsum, aut insulsum? Nam quod ad Clarissimum *Voetium* attinet, præterquam quod jam ex *Gatakero*, *Maresio* & *Schookio* & ipsis viris jure merito Clarissimis, quàm nulla sit illius claritatis in hisce Controversiis nostris, authoritas, & in citationibus fides, vidimus; eo uno *Cadomensium* Reformatorum facto, ad Galliam eum frustra provocasse manifestum est. De *Hungaria* ad quam etiam provocat Cl. *Voetius*, sic testatur D. *Paulus Jass Berenyi* Transylvano-Hungarus, ante decennium Illustrissimi *Francisci Ragoci* tunc Transylvanorum Principis electi Ephorus, vir doctissimus in Responso manu propria ad hoc quæsitum ad me misso; " Cruces an-
" tiquitùs extructæ in pinnaculis Templorum tam in *Hungaria*, quàm
" in *Transylvania*, sanctissimè retinentur; imo si probè memini, in
" cacumine quoque Templi Reformatorum noviter extructi *Claudio-
" poli* visuntur. De *Scotia*, *Belgioque* judicent quibus utraque regio nota est. A *Genevensibus* verò post Religionis emendationem Crucem in summitate Templi relictam, neque Apologista, neque Cl. *Voetius* negare audent. Quod mihi satis est. Nam quod asserit Cl. *Voetius* se à fide digno accepisse, *Calvinum* cum Collegis seriò admodum privatim publicèque monuisse *Genevenses*, ut Crux illa auferretur, id credat *Judæus Apella*, non ego, nec quisquam alius, cui *notus Ulysses*. Nihil enim ejusmodi, vel in *Calvini* Epistolis, vel in illius vitâ diligenter à Cl. *Bezâ* conscriptâ, occurrit, in quibus tamen illius commatis multa legere est.

Vide *Disciplin. Eccles. Reform. Galliæ*, Gallice *Chapitr, des Reglemens. 14 Post fat. sub finem.*

§. Sed mirabitur Lector Apologistæ frontem qui *Durellum* ait, " nè
" unam quidem Reformatam Ecclesiam laudare potuisse in qua obtineat
" Crux baptismalis; ideoque ne nihil dixisse videretur, ad Cruces in
" turribus Templorum positas, recurrisse. Sic enim in Tractatu Anglicano Sect. 1. §. 58. " Pleræque *Augustanæ* Confessionis Ecclesiæ Re-
" formatæ, Crucem in baptismo adhibent. Ad alias vero Reformato-
" rum Ecclesias quod attinet, quamquam signum illud non usurpant, ei
" tamen non adversantur, nec pro superstitioso habent. Theologi qui Se-
" renissimi Regis *Magnæ Britanniæ* Legatis aut Internunciis ad Gallo-
" rum Regem, aut ipsi Regi in Gallia exulanti à Sacris fuere, testabun-
" tur se *Lutetiæ Parisiorum*, fidelium Reformatorum celebris illius cœ-

" tûs, qui *Carentoni* ad *Matronam* colligitur, Infantes complures bap-
" tizasse juxta Ritum Ecclesiæ Anglicanæ. Cujus rei Reverendum in
" Christo Patrem, qui tanta passus est à Perduellibus, doctissimum, pi-
" entissimumque Dom. Doctorem *Cosinum Dunelmensem* Episcopum,
" testem hic omni exceptione majorem appello. Jam suprà observatum
" est Christianam Religionem in Emblemate quod *Genevensium* Psal-
" mis rhythmicis præfigi solet, Cruci inniti; Item Ecclesias Reforma-
" tas Galliæ aliasque Templorum suorum recèns extructorum summita-
" tibus Cruces imposuisse; eo scilicet innuentes Jesum Christum cruci-
" fixum in iis adorari, eaque Dei illius Optimi qui pro nobis in Cruce
" mori sustinuit, Cultui solenni consecrata. Jam esto penes quemvis
" judicium, An qui Christianam Religionem haud satis graphicè descri-
" ptam putant, nisi Cruci innitatur, quique Templis suis Cruces impo-
" nunt, ad significandum ex more recepto, ea Christiana esse; esto,
" inquam, penes quemvis judicium, An verisimile sit eos improbaturos,
" ut Infantes recèns baptizati, Crucis signaculo, ubi ea Ceremonia ob-
" tinet, consignentur, ad significandum eos esse Christianos, in Ecclesi-
" am Christi receptos, &, ut habetur in Officio pro administratione
" Baptismi, quòd eos postea non pudebit Christi crucifixi fidem profi-
" teri. Notum est quàm frequens sit in Fratrum *Augustanorum* Ec-
" clesiis signi Crucis usus. Attamen prout antea observatum est, Eccle-
" siæ Reformatæ *Galliæ Carentoni* ad *Matronam* in Synodo Nationali
" Congregatæ ann. 1631. unâ voce Cultum Dei in *Augustana* Confes-
" sionis Ecclesiis, ab omni non modò Idololatriâ sed & superstitione im-
" munes pronunciarunt. Deinde post aliqua de signi Crucis usurpatione
apud Reformatos *Augustanæ, Helveticæque* Confessionum in *borussia*,
sequuntur annotata ad Trinam aspersionem in Baptismo nempe, " eâ uti
" ferè omnes Ecclesias Reformatas, licèt ea Ceremonia iisdem incom-
" modis laboret, quibus Crucis consignationem juxta Ecclesiæ Anglica-
" næ Ritum premi contendunt *Puritani*. Est enim, 1. Ceremonia sig-
nificativa, ut loquuntur. 2. Baptismo addita. 3. De ea nihil extat in
Sacris Litteris. 4. Eâ denique abusi sunt Hæretici ad significandam non
Personarum divinarum, sed Deorum Trinitatem: Unde à *Gregorio* (Gregor. Ep. l. 1.)
Romano & *Concilio Toletano* in *Hispania* interdictam legimus.

CAP.

CAPUT XXVI.

De Efficacia Baptismi, An major juxta Liturgiam Anglicanam quàm par est, habeatur.

Apologistæ exceptiones adversus quasdam phrases libri Liturgici in Officio Pædobaptismi. Ellisius *quem hic scurriliter impetit Apologista,* ὑπερασπιστοῦ *non indiget. Fratrum* Lutheranorum *errores, si quos errent, non defenduntur.* Amyraldus *ad quem Apologista Lectorem amandat, in eadem planè sententia est cum Ecclesia Anglicana.* Gatakerus *eamdem libri Liturgici periodum, ad quam totus contremiscit Apologista, commodè interpretatur, & ad sententiam suam, quæ eadem est, quæ reliquorum* Presbyterianorum, *accommodat.* Sacramentum Baptismi, vim habere Infantum regenerativam & necessariò salvificam, *Ecclesiæ Anglicanæ placitum esse, falsò asserit Apologista. Locutiones et similes ob quam dogma illud Ecclesiæ Anglicanæ imputat, apud* Amyraldum, Calvinum *aliosque Reformatos authores, imo apud ipsum Apostolum* Paulum *frequentes occurrunt. In Officio Pædobaptismi nihil immutatum quo necessariò inferatur cujuslibet Baptizati regeneratio. Potest ac debet Minister Deo gratias agere pro uniuscujusque Infantis Baptizati regeneratione, si vel aliquos Infantes, electos putà, in Baptismo regenerari credat. Spiritum regenerationis in Baptismo quibusdam communicari, constans est omnium Ecclesiarum Reformatarum sententia. Idem sentiunt* Calvinus, Zanchius, Junius, Bucerus, Gerhardus Vossius, Ursinus, Amesius. *Baptismi Necessitas qualis, & qualis efficacia, à cordatioribus Reformatorum cu-*

jusvis

jussis Confessionis Scriptoribus admittatur. Sacro Baptismo initiatos, qui in Infantia moriuntur, indubiè salvari sentiunt cum Liturgiæ Anglicanæ Rubrica, Calvinus, Amyraldus, *&* Andium, Turonum, Cœnomanorum, *&c. Reformatorum tota Synodus.*

Apol. p. 132. "SEd & Baptismo, *inquit Apologista*, major ascribitur Efficacia "quàm per veritatem licet; Gratiæ enim Deo aguntur, quòd "placuerit ei Infantem regenerare per Sanctum Spiritum; Et ro- "tundè asseritur constare ex Scripturis Infantes baptizatos habere om- "nia ad salutem necessaria: & si moriantur, antequam admiserint pec- "catum actuale, indubiè salvari. Quis verò ad hanc assertionem non "cohorrescit? Inter *Lutheranorum* errores constanter numerant Re- "formati; quòd gratia regenerationis alligata sit Ceremoniis Baptis- "mi; & quòd omnes aquâ foris tincti regenerentur internâ Spiritûs "Sancti virtute. Et tamen jam eo loco res nostræ sunt, ut non possit "esse Minister Ecclesiæ Reformatæ Anglicanæ qui non tam certò per- "suasus est de regeneratione cujuslibet baptizati, ut eo nomine publicas "Deo gratias agere audeat. Deinde Lectorem monet ut *adeat* Altingii *Syllabum Controversiarum cum* Lutheranis, Amyraldi Irenicum, *Bezam* adversus *Jacobum Andream*, *necnon* Baxterum *&* Gatakerum. Postremò, *Johannem Ellisium*, *qui in se recipit*, inquit, *totam illam libri Liturgici periodum tueri*, totis viribus, hoc est, scurriliter, contumelioséque, adoritur. Ego Reverend. *Ellisio* sua adversus hunc vitilitigatorem vindicanda relinquam, quippe quem scio ejus esse eruditionis, ut facilè possit longe difficiliore provinciâ defungi. Neque Fratres *Lutheranos*, si quod sit hac in parte eorum erratum, defendere animus est. Satis fuerit si, quod unum toto hoc scripto mihi propositum est, Ecclesiam Anglicanam adversus Schismaticorum nostrorum injustas criminationes & stultam morositatem vindicavero; & ea Sacræ Liturgiæ verba, quæ tantis incommodis laborare videntur, sensum cum habere ostendero, qui ab omnibus Reformatis probetur, aut à nulla saltem eorum Ecclesiâ rejiciatur.

§. Hic verò ante omnia, quoniam *Amyraldum* aliosque Viros illos celebres quos non secus ac *Baxterum* suum, quasi sibi ὁμοψήφους, & Ecclesiæ Anglicanæ hac in parte, adversarios laudat Apologista; ut Lectori magis magisque pateat, quæ sit illius in citandis Authoribus levitas ac stupenda supinitas, nec non etiam mala fides, ea ex *Amyraldi Irenico* ad quod Lectorem amandat, describam quibus ipsa libri Liturgici periodus, nempe, "constare ex Scripturis Infantes baptizatos ha- "bere omnia ad salutem necessaria, & si moriantur, antequam admise-

"rint

"rint peccatum actuale, eos indubiè salvari, *disertis verbis confirmatur.* "Habent sanè Parentes, *inquit*, in promissionibus divinis de salute liberorum suorum, quos ante usum rationis, vis aliqua mortalis abstulit, certam bene sperandi materiam. At ubi pignus illud Baptismi ad eam spem accessit, tum de ea haud minùs certi esse debent, quam si liberos suos in Christi ipsius sinu, conspicarentur. *Et alio loco ejusdem libri*, "Parentes si præmatura mors eorum liberos (*baptizatos*) præripiat, adeo certi esse possunt de eorum salute, ut nihil certius esse queat; quod magnam quamdam consolationem habet. Imo quod Lector non mirari nequit; ipse *Gatakerus* eamdem libri Liturgici periodum, ad quam hic noster totâ mente totoque corpore contremiscit, adeo non horret, ut eam (licet eamdem cum isto sententiam hac in parte adversus Clarissimum Doctissimumque Virum, *Samuelem Wardum* tueatur) interpretatione haud ineptâ, imperfectâ tamen, ad mentem suam accommodet. "Nam quòd ad salutem necessaria omnia parvuli baptizati dicuntur habere, unde & per consequens pro justificatis habeantur, cùm salus sine justificatione nulla existat, id eo fine tantùm dictum videtur, *inquit*, ne ad salutem sic decedentium Confirmatio necessaria censeatur." Id quod verum est; quamquam plenum totius periodi sensum non complectitur. Unde & eo respicere Rubricam concedit quidem *Wardus*, simul autem negat id tantum velle; quod res ipsa loquitur.

Amyrald. Iren. p. 14.

Ibid. p. 213.

Gatakeri *Disceptatio de Baptismatis Infantilis vi & Efficacia.* pag. 162, 170, &c.

9. Deinde Lectorem meminisse velim inter Ecclesiæ Anglicanæ placita, hocce etiam, scilicet, *Sacramentum Baptismi vim habere Infantum regenerativam, & necessariò salvificam*, ab Apologista, in Præfatione secundæ Editionis, non aliam ob causam numerari, quam quòd orbos Parentes de liberorum suorum sacro Baptismo ablutorum salute, quos ante usum abusumque rationis mors præmatura adimit, certos esse jubeat; quod idem nec minùs disertè facit *Amyraldus*, idque totâ suffragante Synodo Ecclesiarum Reformatarum in *Andium, Turonum, Cœnomanorum*, &c. Tractu; à qua visum, lectum atque approbatum est *Amyraldi Irenicum.* Quod in Actis ipsius Synodi videre est. Jam verò quemadmodum *Amyraldo* totique Synodo faceret injuriam, siquis ex verbis suprà allegatis inferret, *Sacramento Baptismi ab iis attribui vim Infantum regenerativam & necessariò salvificam*; sic Ecclesiæ Anglicanæ injurius est Apologista, qui ex phrasi consimili doctrinam hanc ei imputat. Asserit quidem cum *Amyraldo* & totâ *Andium*, &c. Synodo, Rubrica Anglicana, ex Scripturis constare Infantes baptizatos habere omnia necessaria ad salutem, &, si moriantur antequam peccatum actuale commiserint, eos indubiè salvari; sed non inde sequitur ipsi Sacramento Baptismi vim attribui necessariò salvificam. Ea enim vis, unius Christi sanguini, quo baptizatus Infans Dei misericordiâ

Amyrald. Irenic. *post Epistol. dedicat. versâ paginâ.*

aspergitur ad tollendum peccati Originalis reatum, & Spiritûs Sancti gratiæ, quâ interius irrigatur, ad ipsam maculam Originalem eluendam, propria est. Qua de re præclarè S. *Basilius*, Εἴ τις ἐστὶν ἐν τῷ
Basil. de Spirit. Sanct. c. 15. ὕδατι χάρις, οὐκ ἐκ τῆς φύσεώς ἐστι τοῦ ὕδατος, ἀλλ' ἐκ τῆς τοῦ πνεύματος παρουσίας. Et D. *Hieronymus* exponens illud *Matt.* 3. 11. *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni*, *Homo tantùm aquam tribuit, Deus autem Spiritum Sanctum.* Sed quia gratiæ illius invisibilis, quæ utrumque beneficium, reatûs ablutionem scilicet, & maculæ purgationem complectitur, Sacramentum seu signum visibile atque pignus certissimum Baptismus est, ut qui ad illam significandam, obsignandamque, atque instrumentaliter exhibendam à Deo institutus fuit; ideo, non tantùm in ea periodo Liturgiæ nostræ, quam hic oppugnat Apologista, sed apud omnes probatos Reformatorum Authores, ubi de sacro illo lavacro agitur, occurrunt ejusmodi locutiones, ut ex iis facilè inferant homines imperiti, gratiam illam Spiritûs sancti quam Baptismus ritè dispositis administratus, semper habet comitem, esse ipsius Sacramenti effectum. Talis est hæc *Calvini* locutio.
Calvin. in Antidot. cap. de Baptism. Can. 5. *Nos, Baptismum ordinarium Dei instrumentum asserimus ad nos lavandos, & renovandos, ad salutem denique communicandam.* Quam si in libro Liturgico legeret Apologista, ad eam statim totus cohorresceret. Quidni enim ex ea, æquè atque ex ullis verbis quæ in illo libro occurrunt, inferat *Sacramento Baptismi vim ascribi omnium hominum, qui eo initiantur, regenerativam ac necessariò salvificam?* Attamen similes locutiones apud eumdem Authorem, aliosque Reformatos Scriptores frequentes reperiuntur; quod norunt qui eorum libros vel levi manu versavere. Neque id mirum cuiquam esse debet, cùm iis eâ in re præiverit Scriptura sacra variis locis, *Rom.* 6: 3, 4. *Gal.* 3. 27. *Tit.* 3. 5. *Ephes.* 5. 26. Quo postremo loco Christum sanctificasse & mundasse Ecclesiam lavacro aquæ, disertè affirmat Apostolus.

9. Verum ad rem, quam unam me mihi proposuisse dixi, tandem ut veniam. Quid est vel in gratiis quæ Deo aguntur, *quod ei placuerit Infantem baptizatum regenerare per Spiritum Sanctum*; vel in Rubrica, in qua asseritur, *constare ex Scripturis Infantes baptizatos habere omnia ad salutem necessaria, & si moriantur antequam admiserint peccatum actuale, indubiè salvari*; quod veritati & vulgò receptæ apud Reformatos doctrinæ adeo adversatur, ut omnes debeant ad illud cohorrescere? Scilicet, *Eo jam loco res nostra sunt*, inquit Apologista, *ut nemo possit esse Minister Reformatæ Ecclesiæ Anglicanæ, qui non tam certò persuasus est, de regeneratione cujuslibet baptizati, ut eo nomine publicas Deo gratias agere audeat.* Primò, quòd ait, *eo jam loco res nostras esse*, &c. id alium scopum non habet, nisi ut Lectori credulo & rerum nostrarum ignaro, aliquid nuper hac in parte innovatum fuisse persuadeat.

persuadeat. Quamquam nihil longiùs abest à verò. Eadem enim gratiarum actionis formula quæ nunc post administratum Baptisma recitari solet, in Ecclesia Anglicana à prima Reformatione quæ sub *Edvardo* sexto Rege facta fuit, & deinceps sub *Elizabetha*, *Jacobo* & *Carolo* I. constanter usurpata est. Deinde quod ait, *Neminem posse esse Ministrum Reformatæ Ecclesiæ Anglicanæ, qui non certò persuasus sit de regeneratione cujuslibet Infantis baptizati*, neque id etiam verum est. Deo quidem gratias agit Minister post baptizatum unumquemque parvulum, quòd Deo placuerit eum Spiritu suo regenerare: Sed non inde sequitur eum de cujuslibet parvuli baptizati regeneratione certum esse debere. Sufficit enim si de quorumdam tantum, electorum Infantum puta, aut si vis etiam aliquorum duntaxat ex eorum numero, regeneratione persuasus sit, ut eo nomine possit, imo debeat Deo gratias agere pro omnibus & singulis baptizatis. Quippe cùm quis sit electus, ipsum lateat; cúmque par sit eum, quotquot baptizat ex judicio charitatis electos, & siqui in Baptismo regenerantur (quod nemo nisi *Socinianus*, aliusve Catabaptista, negaverit) regeneratos præsumere. Reformatorum omnium (si solos *Augustanæ* Confessionis socios excipias, qui oralem, quam vocant, manducationem omnibus Eucharistiam participantibus communem admittunt) communis sententia est, indignos nihil præter nuda panis & vini Elementa in Eucharistia, idque ad sui damnationem percipere. Unde Ecclesia Anglicana in Religionis Articulis, "Impii, *inquit*, & fide vivâ destituti, licet carnaliter & visibili-" ter (ut *Augustinus* loquitur) corporis & sanguinis Christi Sacra-" mentum dentibus premant, nullo tamen modo Christi participes effi-" ciuntur. Sed potiùs tantæ rei Sacramentum sive Symbolum ad ju-" dicium sibi manducant & bibunt. Quoniam verò quotquot ad sacras illas Epulas ritè dispositi accedunt, ii sacratissimo corpore sanguineque Christi spiritualiter, per fidem scilicet, vescuntur, rectè Minister sacrâ Eucharistiâ celebratâ Deo gratias agit quòd omnes communicantes (quamquam de singulis certus non est, nec verò esse potest) cœlesti illo pabulo refecerit. Quidni igitur idem faciat post administratum cuilibet Infanti sacrum Baptisma? Quidni inquam, Deo gratias agat pro uniuscujusque regeneratione quem dignatus est Deus ad regenerationis lavacrum admittere. Certè utrobique par ratio est. Nisi siquis negat ullum parvulum cùm aqua foris à Ministro tingitur, internâ Spiritûs sancti gratiâ renovari. Id verò quantum sit à Reformatorum omnium doctrinâ alienum, non modò ex Authorum apud eos Celeberrimorum Scriptis, sed & ex ipsarum Ecclesiarum Liturgiis, Catechismis & Fidei Confessionibus publicis manifestum est. *Articul. 29.*

§. In Officio Ecclesiarum Reformatarum Galliæ pro administratione Pædobaptismi, Deus rogatur, "ut Infantem qui ad Baptismum offer-

Calvin. *Opusc.* p. 39. "tur, in tutelam suam recipiat, Deum se & servatorem ejus esse demon-"stret, peccatum ei originis condonet ac remittat, cujus genus omne "*Adami* culpam sustinet, eumque præterea Spiritu suo sanctificet; "ut cùm ad ætatem judicii atque intelligentiæ capacem progressus erit, "illum solum Deum & Servatorem agnoscat. Quibus verbis manifesto supponitur Deus & remissionem peccatorum & Spiritûs Sancti gratiam in Baptismo parvulis indulgere. Nihil enim solet Ecclesia à Deo petere quod non credat impetrari posse & revera aliquando impetrari. Quod idem supponitur in aliis cæterarum Ecclesiarum Reformatarum Pædobaptismi Formulis. Idque unum satis est ad sternendum ei gratiarum actioni, quam repudiat Apologista, fundamentum legitimum. In Catechismo earumdem Ecclesiarum, qui idem est Ecclesiæ *Genevensis* Catechismus, Ibid. p. 29. & 30. "Baptismi significatio duas partes habere affirmatur; ibi-"que peccatorum remissio atque spiritualis regeneratio figurari dicun-"tur. Quæ paulò post hoc modo explicantur; "Sic figuram esse sen-"tio, *inquit Catechumenus*, ut simul annexa sit veritas. Neque enim sua "nobis dona pollicendo nos Deus frustratur; proinde & peccatorum "veniam & vitæ novitatem offerri in Baptismo & recipi à nobis certum "est. Docet *Augustana* Confessio (quam non modo *Lutherani*, Augustana Confess. Art. 9. quos vocant, sed cæteri etiam *Germaniæ* Protestantes approbarunt, quam etiam ipse *Calvinus* subscripsit) *Infantes per Baptismum Deo commendatos, in gratiam Dei recipi & fieri filios Dei.* Quod quâ fieri aliâ ratione potest, quàm internâ Spiritûs Sancti renovatione, quâ filii carnis ac sanguinis in Patris cœlestis filios transformantur? *Argentinensis* Ecclesia à *Bucero* olim Reformata, sic loquitur; Vide *Corpus Confession.* *De Baptismo Confitemur, id quod passim Scriptura de illo prædicat, eo sepeliri nos in mortem Christi, coagmentari in unum corpus, Christum induere, lavacrum regenerationis peccata abluere, nos salvare.* Rom. 6. 1 Cor. 12. Gal. 3. Tit. 3. Act. 22. 1 Petr. 3. *Helvetica* quæ & Ecclesia-Helvetic. *Confess.* c. 20. rum Reformatarum *Poloniæ, Lithuaniæ, Hungariæ, Transylvaniæ* Confessio est, cui etiam subscripserunt *Genevenses, Scotique*; "Baptizari in "Nomine Christi, *inquit*, est inscribi, initiari & recipi in fœdus atque "familiam, adeoque hæreditatem filiorum Dei, purgari item à sordibus "peccatorum, & donari variâ Dei gratiâ ad vitam novam & innocentem. *Confess.* Belgica. *a* c. 34. Belgæ verò Reformati asserunt, "Dominum suos omnes jussisse in No-"mine Patris, Filii & Spiritûs Sancti purâ aquâ baptizari, ut significa-"ret sanguinem Christi per Spiritum Sanctum idem præstare & effice-"re internè in anima, quod aqua externè operatur in corporibus, iis parvulos etiam annumerantes, quos Dominus baptizari jussit, "eo quod "Christus revera non minus sanguinem suum effuderit ut Infantes "quàm ut adultos ablueret. Unde rectè inferunt adversus Anabaptistas, "convenire ut signum seu Sacramentum rei quam Christus eorum

"causâ est operatus, recipiant. Apertè hic quoque mentem suam eloquuntur *Genevenses* & Galli Reformati in ea, quam communem habent, fidei suæ Confessione; "Agnoscimus, *inquiunt*, duo tantum Sacramenta toti Ecclesiæ communia, quorum prius est Baptismus, nobis testificandæ nostræ adoptioni datus, quoniam in eo inserimur Christi corpori, ut ejus sanguine abluti, simul etiam ipsius Spiritu, ad vitæ Sanctimoniam renovemur. *Et inferius*; Credimus, sicut antea dictum est, tam in Cœna quàm in Baptismo, Deum nobis reipsa, id est, verè & efficaciter donare quicquid ibi Sacramentaliter figurat; ac proinde cum signis conjungimus veram possessionem ac fruitionem ejus rei quæ ibi nobis offertur. Quid verò illud est quod Deus in Baptismo Sacramentaliter figurat? Id articulo sequenti hisce verbis declarant. "Dicimus itaque Elementum aquæ, quantumvis caducum, nobis nihilominus verè testificari interiorem animi nostri ablutionem in sanguine Jesu Christi per Sancti Spiritûs efficaciam. *Rom.* 6. 3. *Ephes* 5. 26. Denique Ecclesia Archipalatina in Confessione Fidei, quam proprio nomine edidit Serenissimus Elector *Fridericus* sic profitetur; "De Virtute & Efficaciâ Baptismi credo & confiteor liberos nostros quia in hoc fœdere, ut jam dictum, etiam ipsi unà includuntur, cùm in articulos antiquæ nostræ & catholicæ fidei baptizantur, sicut in iis ipsis educari & institui debent, etiam cruentæ mortis Domini nostri Jesu Christi, omnium ejus bonorum quæ illâ morte suâ acquisivit, unà participes fieri; idque hoc modo; quòd quemadmodum externum sigillum, Sacro-sanctum Sacramentum, nempe Elementarem aquam à Ministro Verbi divini, extrinsecùs in corpore recipiunt: ita quoque simul à Christo ipso, effuso illius sanguine in animabus suis, hoc est, internè baptizantur, & per Spiritum Sanctum de integro, seu in novas creaturas regenerantur. Et in Archipalatinatûs Catechismo quem sequuntur, & pro Concione in Templis suis explicant Fœderati Belgii aliæque Reformatorum Ecclesiæ, huicce Quæstioni à Catechista propositæ; "Quâ ratione in Baptismo admoneris & confirmaris te unici illius Sacrificii Christi participem esse? *Catechumenus sic respondet*; Quòd Christus externum aquæ lavacrum mandavit, additâ hâc promissione, me non minùs certò ipsius sanguine & Spiritu à sordibus naturæ, hoc est, ab omnibus peccatis meis lavari, quàm aquâ extrinsecùs ablutus sum, quâ sordes corporis expurgari solent.

Articul. 35. *Articul.* 37. *Vide Corpus Confess.* *Catechismus Eccles. Archipal.* Q. 69.

§. Jam audiantur quoque Scriptorum Reformatorum Celeberrimi, Ecclesiarum doctrinam de Sacramento Baptismi in Commentariis Theologicis fusiùs explicantes. Certè *Calvinus* inter primos semper numerandus, hic ut ubique, totus noster est adversus *Puritanos*. Ejus sunt quæ jam suprà ex administrandi Pædobaptismi Formulâ quæ Ecclesiis Reformatis *Gallicanis*, *Genevensique* in usu est; quæque ex earumdem

Ecclesiarum

Ecclesiarum Catechismo à me allegata sunt. Unde etiam ei *Calvini* Opusculorum *Tomo*, quem edidit *Theodorus Beza*, utrumque opus insertum est. Quo autem scias Ecclesiis illis nihil præter *Calvini* mentem à me adscriptum esse, cùm ex illa precatione quam in Pædobaptismo usurpandam præscripsit, sequi dixi Spiritûs Sancti gratiam ad regenerationem Infantibus in Baptismo impetrari, en tibi *Calvinum* ex Christi Domini prece quam pro parvulis, quibus manus imposuit, fudisse legimus, illud ipsum adversus Anabaptistas elicientem. "Infantibus Baptismum negant; *inquit*, quia non sint mysterii capaces quod illic significatur. Nos contrà excipimus, cùm gratuitæ peccatorum remissionis, "simulque divinæ adoptionis pignus ac figura sit Baptismus, Infantibus "minimè negandum esse quos Deus adoptat, & filii sui sanguine abluit. "Quod pœnitentiam vitæque novitatem simul illic figurari objiciunt, facilis solutio est; renovari Dei Spiritu pro ætatis modulo, donec per "gradus suo tempore, quæ in illis occulta est, virtus augescat & palam "refulgeat. Quòd autem non aliter reconciliari nos Deo, & adoptionis hæredes fieri contendunt quàm fide, hoc de Adultis fatemur. Sed "quod ad Infantes attinet, falsum esse convincit hic locus. Certè non "lusorium ac inane Symbolum erat manuum impositio, nec frustra preces in aërem Christus fudit: solenniter autem offerre Deo non potuit, "quin puritate donaret. Quid verò illis precatus est, nisi ut reciperentur inter Dei filios? Unde sequitur, regenitos Spiritu fuisse in spem "salutis. Ex quibus verbis manifestum est, *Calvinum* parvulis in Baptismo tum peccatorum remissionem, tum Spiritum regenerationis (quandoquidem duplex illud Redemptionis beneficium in publicis Precibus Ecclesiam à Deo illis petere voluit) indulgeri credidisse. Alia passim apud eumdem authorem in eamdem sententiam occurrunt, cùm in Institutione Christianæ Religionis, ubi adversus Anabaptistas disputat, tum alibi. Tale est illud in Confessione fidei nomine Ecclesiarum Gallicanarum scripta ad *Cæsarem* & *Germaniæ* Principes. "Scopus igitur ad "quem referendus est Cœnæ usus, iste est, ut quam à Deo gratiam in "Baptismo percepimus, jam tum in nobis promoveat & foveat indies. "Quemadmodum enim Baptismo nos Dominus regenerat ut ipsius filii "simus, atque illâ spirituali nativitate nos in Ecclesiam intromittit, ut "pro domesticis habeat; ita etiam in Cœna significat se nobis prospectum velle ut in vita cœlesti foveat, donec ad illius cumulum perveniamus. Tale etiam illud in brevi illa Fidei Confessione quæ extat in ejus Opusculis; "Item confiteor aquam licet caducum sit elementum, tamen "nobis in Baptismo verè testificari veram sanguinis Jesu Christi & Spiritûs ipsius præsentiam. *Tale illud*, baptizamur in mortificationem "carnis nostræ, quæ à Baptismo in nobis inchoatur, quam quotidie prosequimur; perficietur autem, cùm ex hac vita migrabimus ad Domi-"num.

Calvin. *Harm. Evangel. ad* Matth. 19.13.

Calvin. *Opusc.* p. 106.

Calvin. *Inst.* l. 4. cap. 15. sect. 11.

"num. *Tale est illud quod reponit ad hanc Anabaptistarum Objectionem*, "Baptismum, pœnitentiæ ac fidei Sacramentum esse; quare cùm "neutra in tenellam Infantiam cadat, cavendum ne, si in Baptismi com-"munionem admittatur, inanis & evanida reddatur significatio. Nullo "negotio solvi potest Objectio hæc, *inquit*, baptizari in futuram pœni-"tentiam & fidem; quæ etsi in illis nondum formatæ sint, arcanâ ta-"men Spiritûs operatione utriusque semen in illis latet. Qua respon-"sione semel everti, *verè ait*, quicquid isti adversum nos torquent à "Baptismi significatione petitum. Talis est & hæc Responsio ad hoc eorumdem argumentum, ex *Petri* verbis ubi ait *nos ex incorruptibili semine*, id est, Dei verbo, cujus audiendi parvuli capaces non sunt, esse genitos; scilicet, "*Petrum* eo loco fideles modo comprehendere, qui "Evangelii prædicatione edocti fuerant; sed ex eo haud sequi non posse "Dei virtute regenerari Infantes, quæ illi tam facilis & prompta est, "quàm nobis incomprehensa & admirabilis. Eodem denique vel maximè faciunt quæ commentatur in illud *Tit.* 3. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritûs Sancti.* "Solent, "*inquit*, Apostoli à Sacramentis ducere argumentum ut rem illic signatam probent. Quia principium illud valere debet inter pios; "Deum non inanibus figuris ludere, sed virtute suâ intus præstare "quod externo signo nobis demonstrat. Quare Baptismus congruen-"ter & verè lavacrum regenerationis dicitur. Vim & usum Sacramen-"torum rectè is tenebit, qui rem & signum ita connectet, ut signum non "faciat inane & inefficax; neque tamen ejus ornandi causâ Spiritui "Sancto detrahat quod suum est. Eodem vel maximè faciunt, quæ capite 23. ex *Calvini* Commentario in Epistolam ad *Hebræos*, cap. 6. v. 2. allegavimus, ubi ait de Confirmationis Ritu disserens, "eum in "Superstitionem versum fuisse, cùm finxerunt esse Sacramentum quo "Spiritus regenerationis conferatur, quo figmento, quod erat Baptismi "proprium, ad impositionem manuum transtulerunt.

Ibid. cap. 16. *sect.* 20.

Ibid. sect. 18.

Calvin. *Comment.* Tit. 3. 5.

§. Eamdem fuisse *Petri Martyris* sententiam hæc satis ostendunt. "In Infantibus, *inquit*, qui adhuc per ætatem credere non possunt, Spi-"ritus Sanctus in eorum cordibus fidei vices gerit. Effusio quoque "Spiritûs Sancti promittitur in Baptismo, ut in Epistola ad *Titum* di-"sertè scribitur, qui salvos nos fecit per lavacrum aquæ & Spiritum "regenerationis. *Et postea*, Ecclesiæ partes verè esse non possunt, nisi "Spiritu Christi ornati. *Hieronymus Zanchius* in eamdem sententiam, multis locis concedit. "Cùm Minister baptizat, *inquit*, oculis mentis "in Cœlum sublatis cogito ac credo Christum quasi manu suâ, Cœlo "demissâ, filium meum sanguine suo in remissionem peccatorum asper-"gere per manum illius hominis quem video aquâ caput Infantis as-"pergentem. Nè autem remissionem peccatorum tantummodo, non

Martyr. *Loc. Com. class.* 4. cap. 8. sect. 2.

Ibid. sect. 5.

Zanch. Miscell. *ubi de Cœn. Dom. Thes.* 35.

vero

Idem ad Ephes. 5. verò Spiritum regenerationis in Baptismo, ex illius sententia, Infantibus à Deo indulgeri, putemus ex eo quod sanguinis aspersionem solùm memorat, sic ad *Ephes.* 5. *v.* 26. commentatur. "Fides ideo hoc " loco non exprimitur, quia de Baptismo, quo parvuli licèt actuali fide " destituti, in corpus Ecclesiæ inseruntur, verba facit Apostolus, dicen- " do, mundans eam lavacro aquæ——Substantia Baptismi quo Chri- " sto incorporamur, consistit in ablutione à peccatis, seu in remissione " peccatorum & regeneratione. Medium autem efficax ex parte ejus " qui mundatur est fides, ut in adulto, vel saltem Spiritus fidei ut in pue- " ris. Spiritus autem ipse applicat sanguinem Christi Infantibus. *Ju-*

Junius *de Pædobaptism.* Thes. 7. *nius* docet, "Infantes electos (quod ad nostram gratiarum actionem, pro regeneratione cujuslibet baptizati, sufficit, ut suprà observatum est) " regenerari dum Christo inseruntur, & hujus regenerationis obsignati- " onem fieri in iis dum baptizantur.

Bucer. *Script. Anglic. de vi & Efficacia Baptismi.* Quid senserit hac in parte *Bucerus*, sequentia abundè testantur, "Nec enim servat (*Baptismus*) " adultos nisi credentes. Salus quidem Baptismate offertur omnibus; " Recipiunt autem illam Adulti, non nisi per fidem. Infantes per arca- " nam Spiritûs Sancti operationem, qua ad vitam æternam sanctifican- " tur; Et quæ sequuntur in eamdem sententiam, sanè, egregia, sed quæ brevitatis causâ, à me omittuntur. Præclarè hìc, ut ubique, doctissimus

Gerhard. Voss. *Thes. de Pædobapt.* Part. 1. *Th.* 15. *Gerhardus Vossius*, ad illud Anabaptistarum, "incredulos non esse bap- " tizandos, *postquam præmisit*, bifariàm aliquem incredulum dici, nega- " tivè scilicet & positivè; Infantes duntaxat negativè sunt infideles, *in-* " *quit*, hoc est, nondum habentes fidem, cujus ne quidem capaces sunt " per naturam. Tamen capaces sunt Spiritûs fidei per quem anima ac- " cipit esse spirituale ac supernaturale, estque Principium operationum " spiritualium, suoque tempore est efficax, ac cessantibus etiam actioni- " bus in homine manet. Absque hoc Spiritu si essent parvuli, non uni- " rentur Christo, nec mystici ejus corporis membra forent, eoque nec " participes essent privilegiorum Ecclesiæ quæ in Symbolo commemo- " rantur.

Ursin. *Explic. Catechism.* Quæst. 74. Tom. 1. oper. fol. p. 257. Sed omnium clarissimè *Ursinus*. "Habent etiam, *inquit*, " Infantes Spiritum Sanctum, & ab eo regenerantur pro modo ætatis " suæ; sicut *Johannes Baptista* impletus fuit Spiritu Sancto cùm ad- " huc esset in utero Matris; & *Jeremiæ* dicitur, cùm nondum prodiis- " ses ex utero, sanctificavi te. *c.* 1. 5. Si Infantes habent Spiritum San- " ctum, certè operatur in iis regenerationem, bonas inclinationes, novos " motus, & alia quæ ad salutem iis necessaria sunt. Vel certè hæc om- " nia ipse quasi supplet, & ad Baptismum iis sufficit.

Ames. Bellarm. *enervat.* Tom. 3. Disput. 14. Quæst. 3. Th. 2. sect. 3. Quin ipse etiam *Amesius* concedit *Deum quibusdam dum baptizantur, habitum vel principium gratiæ infundere.* Qui verò illi sint, quos Deus eâ gratiâ dignatur, cùm ignoret Ecclesia, debeatque id ex judicio charitatis de quolibet baptizato præsumere, quæro ab ipsis adversariis apud quos

tanto

tanto in pretio est *Amesius*, quid jure reprehendi possit in ea precatione in qua Deo gratias agit ob Infantum Baptizatorum regenerationem? Hæc ideo fusius sum prosequutus, quod ea de Efficacia Baptismi in Liturgia nostra reperiri, quæ à *Reformatis constanter inter Lutheranorum Pontificiorumque errores numerantur*, Apologista non dubitaverit affirmare; cùm tamen tam ex Ecclesiarum ipsarum *Liturgiis*, *Catechismis* & *Confessionibus* publicis, quàm ex Eruditissimorum Celeberrimorumque inter Reformatos Virorum Scriptis pateat, nihil eâ precatione vel expresse contineri, vel tacitè supponi quod non ipsis omnino probetur, & ab iisdem disertè doceatur, quod denique cum publicè receptâ tôto Reformatorum orbe doctrinâ prorsus non congruat.

§. "At inter *Lutheranorum* Errores, *inquis*, constantèr numerant "Reformati, quòd gratia regenerationis alligata sit Ceremoniis Baptis-"mi, & omnes aquâ foris tincti regenerentur internâ Spiritûs Sancti "virtute. Scio multos esse, nimium multos, tum ex iis, qui *Lutherani* vulgò appellantur, tum ex aliis Reformatis, imperitos & præfervidi ingenii homines, qui nimio contentionis æstu ac partium studio abrepti, vel adeo crassè ipsi θεολογῶσι, vel adeo sinistrè aliorum dicta interpretantur, ut tum propriis, tum iis Ecclesiis quas ut adversarias oppugnant, imperitiâ illâ suâ & nimio fervore non parùm sint injurii. Non desunt enim in *Augustana* Confessionis Ecclesiis qui adeo crudè de necessitate & efficaciâ Baptismi philosophantur, ut vix quicquam à Pontificiis hac in parte dissentire videantur. Sunt itidem & inter cæteros Reformatos, qui cùm ipsi non multò plus quàm *Sociniani* Sacramentis attribuant, *Augustanorum* Fratrum Societatem universam ex istorum παχυμερία, & mentis suæ figmentis æstimant, qualis hic noster & qui apud nos, cum eo sentiunt Schismatici. Quod tam ex hoc quàm ex aliis eorum Apologiæ locis, ubi jejunè admodum de Sacramentis loquuntur, videre est. Certè siquis regenerationis gratiam *Ceremoniis Baptismi*, ut hic noster loquitur, ab *Augustana* Confessionis Fratribus *ita alligari* affirmet, ut quotquot externo Baptismi ritu carent, eos salute æternâ excidere sentiant, næ magnam illis injuriam facit. Necessarium quidem esse Baptismum docent, sed non necessitate adeo absolutâ, ut aut æternis inferni cruciatibus, aut Limbi nescio cujus incommodis, eos addicant, qui nullâ suâ culpâ, eo caruerint. Unde rectè æquissimus *Amyraldus* in eo ipso *Irenico*, ad quod ab Apologista Lectores amandantur, *de necessitate Baptismi aut certè, vel nullam cum* Augustanis *nobis esse controversiam, vel adeo tenuem & exilem esse*, ait, *ut vix ex eorum verbis agnosci possit*. Quod ut demonstret, *Gerhardi*, hominis inter Theologos *Augustana* Confessionis Celeberrimi, itemque alterius Viri Docti, qui educationi & institutioni *Christinæ Suecorum* Reginæ, præpositus fuit, verba producit, in quibus uterque disertè negat, "etiamsi Baptismus "ordinarium

Amyrald. Irenic. p. 125.

In Regula credendi & vivendi ad Christinam *Reginam transmissâ.*

"ordinarium initiationis Sacramentum & Regenerationis medium omnibus omnino fidelium liberis ad Regenerationem & salutem necessarium statuant; necessitatem illam esse absolutam, sed talem duntaxat ut simus ad Baptismi susceptionem, quum illius quidem facultas datur, obligati; ita ut hic locum habeat regula, Baptismi non privatio sed contemptus damnat. *A quibus quid quaeso differunt haec ipsius Calvini.*

Calvin *Antidot. Concil.* Trident. *in Sess. 7. de Baptismo. in Can. 5.*

"Nam & Baptismi usum necessarium confitemur: ne cui liceat vel negligentiâ, vel contemptu ipsum omittere. Atqui hoc modo nequaquam liberum facimus. Nec fideles modò severè adstringimus ad ejus observationem: Sed ordinarium quoque Dei instrumentum asserimus ad nos lavandos & renovandos, ad salutem denique nobis communicandam. Hoc tantum excipimus, ne manus Dei instrumento sit alligata, quin possit per se hominum salutem perficere.

§. Quod efficaciam aliquam Baptismi ad omnes & singulos Infantes Sacro Baptismo tinctos ex interna Spiritûs Sancti gratiâ, quae semper externum Ritum comitetur, extendi contendunt, nihil necesse est ad eam gratiarum actionem quam improbant *Presbyteriani* (quod jam suprà monuimus) ut sententiam eamdem tueamur. Sin vero hic idem cum illis sentiamus, nihil à nobis dissentiet *Amyraldus*, &, quae *Irenicum* illius legit atque approbavit, *Andium*, *Turonum*, *Cœnomanorum*, &c. Synodus Provincialis, modò per illum Spiritûs Sancti in Baptizatis effectum, fidem propriè dictam non intelligamus. Quod libenter conceditur. Fides enim propriè dicta qualis in Sacris Litteris describitur, nec est, nec ullo jure dici potest.

Amyrald. Irenic. p. 212.

"Quòd fidem aliquam per Baptismum in Infantibus gigni contendunt, ideo facilè toleramus, *inquit*, quòd Spiritui Dei metas non praescribimus, quominus in illis creet εὐφυΐαν aliquam & indolem extraordinariam, qua non actu credant quidem, neque verò fidem propriè sic dictam habeant, etiam ἐν ἕξει, sed qua longè meliùs quàm caeteri Infantes comparati sint; ut cùm illis Christianismi rudimenta & semina instillabuntur & offerentur, ea arripiant & comprehendant; & sic tandem ad veram fidem provehantur.

Calvin. *Instit.* l. 4. c. 16. sect. 19.

Quamquam *Calvinus* iis, quos primâ statim Infantiâ hinc mors abripit, fidem aut notitiam fidei similem negare non audet, neque etiam affirmare, rem in suspenso relinquens. Certè multi non aliâ ratione inducti videntur, ut efficaciam illam Spiritûs in omnibus parvulis Baptizatis praefractè negarent, quàm quia, si semel admittatur, dogma de perseverantia fidei inde labefactatum iri metuebant. Sed hoc metu illos liberavit Clarissimus *Amyraldus*, non loco modò citato duntaxat, ubi effectum illum Spiritûs à fide propriè dicta diversum esse contendit, sed alio quoque loco, scilicet, *in Thesibus, de perseverantia fidei*, Thes. 39.

Thes. Salmur. *Parte Prior.*

Ubi ad hanc Adversariorum Objectionem, "sequi ex eo dogmate omnes fidelium liberos, qui Baptizati sunt, necessariò servatum iri; quo-

"niam

"niam ex Reformatorum doctrinâ (eam esse eorum doctrinam concedit, quod etiam hic notandum) " per Baptismum liberis fidelium re-" missio peccatorum & Spiritus Sanctus confertur; *respondet*, remissio-" nem peccati Originalis per Baptismum Infantibus liberis fidelium, eâ " lege indulgeri ut cum adolescent, nihil perpetrent cujus causâ benefi-" cio illo priventur. Et ad Spiritum quod attinet, siqua vis Spiritus eos " afficit, omnino diversam esse necesse est, *inquit*, ab ea efficacitate quæ " fidem in intellectu producit; ideoque id nihil ad perseverantiam " fidei.

§. *Rubricam* quod spectat, qua asseritur, *constare ex Scripturis Infantes Baptizatos habere omnia ad salutem necessaria, &, si moriantur antequam admiserint peccatum actuale, indubiè salvari.* Quatuor eorum, quæ illâ contineri videntur, scilicet, 1. *Necessitas aliqua Baptismi.* 2. *Illius virtus & efficacia.* 3. *Sufficientia ad eorum salutem qui in Infantia moriuntur*; & 4. quæ inde sequitur, *salutis eorum certitudo*; duo priora ex supradictis toto hoc capite jam satis declarata sunt. Supersunt itaque posteriora duo. Quæ ambo adeo a cæteris Reformatis inter *Lutheranorum* errores non numerantur, ut à Celeberrimo *Amyraldo*, totâque illâ Reformatorum Synodo, cui *Irenicum* suum examinandum exhibuit priusquam evulgaretur, pro indubitatis habeantur, & verbis fere iisdem, imo aliquanto expressiùs, ut hujusce capitis initio vidimus, affirmantur. Id verò ex iis omnibus Scripturæ locis quibus Baptismi natura, usus & efficacia declarantur, *Matth.* 28. *Rom.* 6. 1 *Cor.* 12. *Galat.* 3. *Ephes.* 5. *Tit.* 3. abundè efficitur; prout eos textus attentè perpendenti perspicuè liquebit. Certè uno illo Epistolæ ad *Romanos* contentus *Amyraldus*, ex eo hunc in modum argumentatur ad probandum eos Infantes qui post susceptum Sacrum Baptisma hinc decedunt, priusquam peccatis actualibus Dei legem violaverint, indubiè salvari. " Utique nos docet Apostolus, *inquit*, ad Rom. 6. 3. omnes eos qui in Christum baptizati sunt, baptizatos esse in ejus mortem, " adeo ut nisi gratiâ illâ incredulitate & impœnitentiâ excidant, habeant in Christi Baptismo fructûs mortis ipsius arrhabonem " indubitatum. Habent ergo sanè Parentes in promissionibus divinis, " de salute liberorum suorum, quos ante usum rationis vis aliqua mortis " abstulit, certam benè sperandi materiam. At ubi pignus illud Bap-" tismi ad eam spem accessit, tum de ea haud minus certi esse debent, " quàm si liberos suos in Christi ipsius sinu conspicarentur. Hæc quoque *Calvini* verba, eodem vel imprimis facere & cum Rubrica nostra maximè convenire videntur. " Quos electione suâ dignatus est Domi-" nus, si accepto Regenerationis signo, præsenti vitâ antè demigrant " quam adoleverint, eos virtute Spiritus sui nobis incomprehensâ re-" novat, quomodo ipse solus prævidet expedire. Jam si dicamus omnes

Amyrald. Irenic. p. 14.

Calvin. *Instit.* l. 4. c. 16. sect. 21.

nes esse electos, ideoque indubiè salvari, qui in Infantia post susceptum Baptismum, certissimum scilicet amoris Dei pignus, moriuntur, quod quæso in eo futurum est incommodi? Certè si sint ulla electionis Divinæ in adultis indicia, quod omnes aliquatenus concedunt; Cur non & respectu Infantium præmaturâ morte hinc abreptorum ejus argumenta quædam esse poterunt, quibus Parentum orbitas sublevetur? Cedò verò aliquod certius hisce quæ in illis paucorum dierum aut horarum etiam hominibus occurrunt. 1. Nati sunt in Ecclesia Christi, aut saltem ab illa sunt adoptati, quod perinde est. 2. Deo sunt Ecclesiæ precibus commendati atque oblati. 3. Per Baptismum, Christo sunt inserti, membra illius facti, cum eo consepulti, & sanguinis illius imputatione ab originalis peccati reatu liberati, denique Spiritu Regenerationis donati. 4. Benignissimus Deus præmaturè, ne malicia corrumpat eorum ingenium, antè eos ex hac mortali vita evocat, quàm illum proprio actu offenderint. Certè aut hi, aut nulli Infantes electi dicendi sunt.

§. Priusquam huic Capiti, huicque de Baptismo Controversiæ finem impono, commodùm aliquid annotandum videtur ad Rubricam quæ Officio *pro Sepultura Mortuorum*, in postrema Sacræ Liturgiæ Editione addita est, his verbis: *Observandum Officium hoc non esse recitandum pro iis qui moriuntur non Baptizati, neque pro Excommunicatis, neque pro iis qui sibi mortem intulerunt.* Nam quamquam istius Rubricæ ne mentionem quidem fecit Apologista, inde tamen alii, pro Ecclesiæ Anglicanæ fato, ut omnia vel innocentissima illius dicta factave sinistrâ interpretatione ab Adversariis corrumpantur, duo ipsi imponendi occasionem arripuerunt; 1. Scilicet, *totam illam Rubricam cùm in prioribus Editionibus desit, meram esse innovationem.* 2. *Eâ non innui modò, sed apertè significari absolutam Baptismi necessitatem, cùm eodem planè loco habeantur qui eo destituti ex hac vitâ decedunt, & αὐτόχειρες.*

Respondeo *primò*, licet Rubrica, de quo agitur, in prioribus Editionibus non habeatur, nihil tamen hac in parte innovatum, cùm res ipsa constanter observata sit in Ecclesia Anglicana, à prima Reformatione. Sed duplici de causa huic postremæ Editioni inserta est. 1. Quia regnantibus in *Anglia* Schismaticis, Officium pro Sepultura Mortuorum omnino legi desierat. Unde verisimile erat, pro quibus legendum aut non legendum est, à plerisque tum, nempe post viginti annorum desuetudinem, vulgò ignoratum. Atque hinc factum ut non modò Rubrica illa, sed aliæ multæ eâdem de causâ, huic postremæ libri Liturgici Editioni insertæ sint, quæ antea in eo desiderabantur. Quod & monuerunt Viri Reverendi quibus fuit Liturgiæ recensendæ Provincia demandata. 2. Inserta est in eorummet ipsorum hominum gratiam, qui eâ

nunc

nunc offenduntur. Nam cùm in Officio pro Sepultura Mortuorum, de iis omnibus ac singulis quorum corpora humi mandantur, ita loquantur ex judicio ac præsumptione charitatis, fideles superstites, qui mortuis amicis justa persolvunt, ac si de eorum salute & futurâ ad æternam gloriam Resurrectione saltem benè sperarent: Cùmque *Puritanorum* Gens universa de eorum etiam Infantum Salute dubitandum censeant, qui antequam ullum peccatum actuale perpetrarint, moriuntur, licèt Christo per Baptismum fuerint consecrati Christique Ecclesiæ inserti; eos monere visum est, nec pro Parvulis quidem, quos, antequam Sacri Baptismatis gratiam fuerint consecuti, vis aliqua mortalis abripit, recitari solere hoc Officium, ut nec pro Excommunicatis, nec pro iis qui mortem sibi ipsis inferunt.

Respondeo *secundò*, Quòd pro eiusmodi Infantibus non recitatur, id non ideo fit, quia Baptismus ad salutem ita absolutè necessarius creditur, ut absque eo nemo servari queat: aut quia Infantes qui moriuntur eo destituti, eodem loco nobis sint ac habeantur cum Excommunicatis, aut iis quos vocant αὐτόχειρας (Neutrum enim docet Ecclesia Anglicana) sed quia consentaneum non videtur ut qui solenni Ritu in Ecclesiam visibilem non sunt admissi; solenni Ritu tamquam visibilia illius membra ex hoc mundo ab ea dimittantur. Scilicet Ecclesia visibilis curat membra sua visibilia, Ecclesiæ autem membra visibilia non censentur; aut qui in eam non sunt admissi, quales Infantes non baptizati; aut qui abscissi sunt ab Ecclesia, quales Excommunicati; aut qui ex Ecclesia sponte egressi sunt, & seipsos ab ipsius corpore absciderunt, quales αὐτόχειρες. Unde nec ipsi olim Catechumeni, licet in doctrina Christiana probè instituti, Christianorum Ritu in Ecclesia Primitiva Sepulcro condebantur. Quod ex *Chrysostomo* colligi potest, & expressè habetur in *Bracarensi* Concilio primo. Cùm autem ex eo, quòd in eorum omnium Sepultura Officii funebris recitatio perinde omitti soleat, cavillantur Adversarii, inde sequi eos omnes à nobis eodem censu haberi, in eodem errore versantur cum iis, qui *Scortationem*, non aliud nec gravius peccati genus esse volunt, quàm *esum sanguinis ac suffocati*, hac inducti ratione, quòd ista tria sint ab Apostolis eodem decreto prohibita, *Act. xv.* quasi disparata non possint eâdem periodo ac lineâ contineri. Mos obtinet in Ecclesia *Tigurina*, ut singulis Dominicis statim à Concione eorum recitentur nomina qui intrà proximè elapsam hebdomadem diem suum obierunt. At de Infantibus non baptizatis, quemadmodum & de iis qui sibi mortem consciverunt, aut de quibus Capitis supplicium sumpsit Magistratus, perinde siletur. Nemo tamen hucusque repertus est qui Fratres *Tigurinos* absolutam Baptismi necessitatem

Chrysost. *Homil. 69. ad populum Antioch.*

cessitatem

cessitatem tenere, & istos omnes ex æquo pœnis æternis addicere id propter affirmaverit. Solent in eadem Ecclesia (ut illud etiam hoc loco, quod alio fieri debuit, nempe Capite 6, annotem) dum celebratur Cœna Domini, quoties à Sacra Mensa recedunt Ministri, Eucharistiam ad Communicantes (pro more apud illos consueto) delaturi, quotiesque ad Mensam revertuntur, seu Consecratum Panem & Vinum inde petituri, ubi quantum utriusque primò secum sumpserunt, absumptum est, seu quod superest, postquam omnes communicarunt, super Mensam reposituri, solent inquam Ministri *coram Mensa reverenter genuflectere.* Nec dum tamen adoratæ Mensæ à quoquam fuerunt postulati, & tamquam Altaricolæ domi forisque traducti. Ex quibus Lector cordatus perspectum habet quibuscum hominibus conflictemur, quàm morosis, quàm imperitis, quàm iniquis; à quibus & eorum similibus Deus Optimus Maximus suas servet omnes, precor, semper incolumes Ecclesias.

CAP.

CAPUT XXVII.

De Vetere Psalmorum Versione, quam retineri placuit in postrema Sacræ Liturgiæ Editione. Item de Musica Organica in Ecclesia, ad cantum moderandum augendamque Sacri concentûs Melodiam.

Duplex Psalmorum Versio Ecclesiæ Anglicanæ in usu. Anglicæ Sacrorum Bibliorum Versiones variæ, sub HENRICO viii. EDVARDO vi. ELIZABETHA *&* JACOBO *adornatæ sunt. Concessa primùm, deinde prohibita sub* HENRICO *Sacrorum Bibliorum lectio vulgari idiomate. Sub* EDVARDO *prohibitio rescissa; Sub* MARIA *iterum firmata; Sub* Elizabetha *ac deinceps omnibus patuit ad Sacrum Codicem aditus. Vetus Psalmorum non ex* Tyndalli, *aut* Coverdalii, *aut* Matthæ, *sed ex* Cranmeri *Editione desumpta est. Quî factum, ut veterem nova Psalmorum Versio prorsus non eliminaverit. Defenditur Versio vetus, 1. Psalmo Lviii.* Indignatio vexet eos sicut res, quæ est cruda. *2. Psalmo Cxxxiii. v. iii.* Instar roris Hermonis qui cadit supra montem Sionis. *3. Psalmo Cv. v. xxviii.* Non erant obedientes. *4. Psalmo Xiv. Cui Interpres tres integros Versiculos ex Epistolæ ad* Romanos *Capite tertio inseruisse dicitur. Verba hæc,* Et acceperunt triginta argenteos, pretium appretiati quem appretiaverunt, Jeremiæ *esse, prout habetur apud S.* Matthæum, *non autem* Zachariæ, *apud quem hodie leguntur, ex* JOSEPHO MEDO, *Viro Eruditissimo, ostenditur.*

ditur. Cl. SCHOOKIO *à* Pyrgopolinicis *Machæra nihil metuendum. Quantum Viro Eruditissimo debeat* Belgium *Reformatum. Schismaticorum Cavillationes contra usum Musicæ Organicæ in Fidelium Ecclesiis. Describitur Organi Musici usus in Ecclesia Anglicana. In paucis admodum Ecclesiis Parochialibus, sed Cathedralibus, Collegiorumque quorundam atque nonnullorum Virorum* Nobilium *Sacellis tantùm habentur Organa Musica. Non adhibentur ad oblectandum plebem in Templis deambulantem ac confabulantem, sed ad moderandum Cantum Ecclesiasticum, augendamque Sacri concentûs melodiam. Nihil ad Organum cantatur nisi quod iisdem verbis in Scripturis sacris habetur, aut ex iis desumitur: nec quidquam nisi linguâ vernaculâ. Refellitur eorum Objectio qui dicunt tantum edi strepitum dum pulsatur Organum, ut quid cantetur, nemo possit intelligere. Tympana, Buccinæ, aliaque ejusmodi instrumenta apud omnes Gentes non secus ac Judæos ad testandam lætitiam publicam jam olim adhibita. Musica instrumenta ad Cantum Ecclesiasticum moderandum à* Mose *nec præcepta, nec adhibita, ideoque ad Pædagogiam* Mosaicam *nihil attinent. Musica vocalis à* Mose *præcepta & adhibita ab Adversariis usurpatur. Non quicquid* Moses *præcepit atque observavit, ad ipsius Pædagogiam statim eo nomine referendum. Instrumentalis Musica à summi Pontificis* Romani *Sacello exulat; Illius usus à* Davide *in Ecclesiam Judaicam invectus est. Unde factum ut tum Judæorum, tum Christianorum Ecclesia Instrumentis Musicis diu caruerit. Cur ab utraque tandem usurpata. Organa Musica apud* Belgarum, Germanorum, Helvetiorum, *aliorumque Reformatorum penè omnium, Ecclesias in usu sunt. Synodorum* Belgicarum *decreta de Musica Organica, illius abusum perstringunt, usum legitimum non tollunt. Cl.* Schookius, *de Musicæ Organicæ usu idem planè sentit cum Ecclesia Anglicana. Ad quos usus ex* Calvini *sententia, adhiberi possint Instrumenta Musica. Multis ideo tantùm improbatur*

batur Musica Organica, quia illius usum non sunt experti, quod demonstratur ex varia ante & post illius usum, de ea Johannis Capitonis *Pastoris* Bremani *sententia, apud* Schookium.

" SEcundum quod in Declaratione promittitur, *inquit Apologista*,
" est Lectio Psalterii *Davidici*, prout jam punctatur. Quod tan-
" tumdem est ac siquis promittat; Quamvis in grege meo marem
" habeam, rem tamen corruptam Deo offeram. Habemus nos
" Translationem Psalmorum *Davidis* ad invidiam aliarum Gentium
" elaboratam. Hâc posthabitâ volunt Præsules omnes obligari ad le-
" gendam Translationem antiquam, quæ non uno loco absurda, & tex-
" tui originali contraria est. Hæc ille, ad quæ nullo negotio sic responsum, sicque æquo Lectori satisfactum imus.

§. Ecclesiæ Anglicanæ in usu est duplex Psalmorum Versio, *Vetus* scilicet atque *Nova*; Ista ex quo nova Sacrorum Bibliorum Versio Serenissimi *Jacobi* Regis auspiciis absoluta est, nempe anno 1612; Illa jam à prima quæ sub *Edvardo* Sexto facta est, Reformatione, obtinuit. Unde verò nobis Vetus illa Versio, & unde factum ut illam Nova, prout fieri solet, non penitus eliminaverit, sic paucis accipe. Religionis emendatio in *Anglia*, ut nec in aliis Europæ partibus, non simul & semel, sed paulatim & per varia incrementa, ad eum statum, quo nunc, Dei optimi maximi beneficio, fruimur, perducta est. Fieri non poterat, ut ad Dei voluntatem, quæ una Religionis norma esse debet, in hoc Regno Religio Reformaretur, & Reformatam populi amplecterentur, quamdiu, quæ esset Dei voluntas, ignorarent. Porro eam ignorari necesse fuit, quamdiu Scriptura Sacra, quâ solâ continetur, non nisi linguâ peregrinâ paucis admodum intellectâ, legi potuit. Itaque Viri pii atque eruditi, quibus jam perspecti erant ex Sacrarum Litterarum lectione, abusus qui in Religionem irrepserant, eas in Sermonem vernaculum vertere, in animum induxerunt. Hanc Provinciam primus omnium apud nos ea tempestate suscepit eâque feliciter, ex patre saltem, defunctus est anno 1530. *Gulielmus Tyndalius* Vir doctissimus atque sanctissimus, qui pro Christo obiit apud *Brabantinos*, à quibus *Vivicomburium* passus est. Dixi, *ex parte*. Nam quanquam Novum Testamentum absolvit, in Vetere, non ultra Pentateuchum progressus est, prout videre est in *Tyndalii* vitâ ipsius operibus præfixâ. Falluntur itaque qui Veterem nostram Psalmorum Versionem *Tyndalio* attribuunt. Falluntur & qui *Coverdalio Exoniensi* quondam Episcopo Viro etiam Eruditissimo, & ipsi Reformatæ Religionis Confessori Clarissimo, qui *Tyndalio* in incœpto opere adjutor fuerat, quique illud recensuit ac tandem absol-

vit publicique juris fecit, circa annum 1536. Differt enim multis locis *Coverdalii* Psalmorum Versio ab ea de qua jam Sermo fit; quod ex utriusque collatione cuivis facilè constabit. Sunt qui eam tribuunt cuidam *Thomæ Matthæo*, aut ei quisquis fuit (nam nomen suppositititium esse volunt nonnulli) qui circa idem tempus, anno scilicet 1537. *Matthæi* nomine, Sacrorum Bibliorum Versionem Anglicam à *Tyndaliano-Coverdalianâ*, vix quicquam discrepantem edidit. Sed neque id etiam verum est, quamquam à multis affirmatur. Nam Psalterii Versio in *Matthæi* editione à vetere nostrâ alia plane est. Certum est eo tempore, cùm jam tum in *Anglia* non parum imminuta esset ac magis magisque in dies labasceret Romani Pontificis authoritas, editam *Thomæ Matthæi* nomine S. Bibliorum Versionem, quæ annuente seu potius connivente Majestate Regia passim legi cœpit. Sed cùm neque *Coverdalii*, neque *Matthæi*, neque alia cujuscunque (nam aliæ etiam fuerunt) Versio ullâ authoritate publicâ niteretur, cumque in iis omnibus nonnulla displicerent, anno 1540. Regiâ authoritate decretum est, ut recenseretur, & denuò recuderetur S. Bibliorum Versio, in usum non privatum modò, sed quodammodo publicum, scilicet ut essent in qualibet Ecclesia quædam exemplaria locis idoneis disposita, quæ cuivis, etiam è Plebe, Sacras Scripturas legendi cupido, paterent. Prodiit igitur anno 1541. Nova S. S. Bibliorum Editio Anglica accurantibus *Cutbertho Tunstallo Dunelmensi* & *Nicolao Heatho Roffensi* Episcopis, Viris Doctissimis, quibus ea Provincia à Rege demandata fuerat, prout fert prima pagina. In hac editione habetur ea Psalterii *Davidici* Versio quam indignam censet Apologista, quæ à fidelibus jam legatur. Paulo post tempore, anno scilicet 1542. Ordinum Decreto Regiâ authoritate sancito, cùm Rex ipse licet Pontifici Romano infensus, Pontificiæ Religioni (cui semper fuit addictissimus ad extremum usque habitum) à Scripturis Sacris, si vulgò legerentur, non parum metueret, earum Versiones, non modo eas quæ à *Coverdalio* aliisque qui Protestantium Reformationi favere putabantur, sed omnes ex æquo (ne exceptâ quidem *Dunelmensis* ac *Roffensis* editione) prohibitæ sunt: Nec cuiquam exinde ad usque *Edvardi* Regis Sexti Regnum, nisi ex speciali Regis Ordinariive indultu, Scripturam Sacram vulgari idiomate legere impunè licuit. Cùm autem *Henrico* mortuo *Edvardus* filius successisset, nefarium illud decretum, quo interdicta fuerat Sacrorum Bibliorum Lectio, statim rescissum est; Novaque *Tunstalli Heathique* Versionis procurata à *Cranmero* editio est, cui etiam egregiam Præfationem præfixit. Nec ulli deinceps prohibitum ne Sanctos Prophetas, Sanctosque Apostolos, atque Deum ipsum audiret ac intelligeret. Tum temporis adornari cœpit Ecclesiæ Anglicanæ Liturgia Sacra vulgari idiomate, cùmque prælegeretur publicè in Ecclesiis *Dunelmensis* ac *Roffensis*

Episcoporum

Episcoporum Scripturæ Sacræ Versio Anglica, ex eadem desumpta est Psalmorum Translatio quam Veterem vocamus, atque exinde vulgò usurpata, donec *Edvardus* mortalem hanc cum æternâ vitâ commutaret. *Marianis* temporibus quæ *Edvardi* obitum immediatè sequutæ sunt, siluêre iterum in *Anglia* Prophetæ & Apostoli, uniusque Pontificis Romani è Capitolio dira tonantis vox, *Mariâ* regnante audita est. *Elizabethâ* vero rerum potitâ, quamvis Maximæ Principis jussu adornata esset à *Parkero* Archiepiscopo *Cantuariensi* aliisque eruditis Episcopis Nova Sacri Codicis Versio, quæ, quamdiu illa regnavit, publicè usurpata est, quæque *Episcoporum* ab authoribus, *Versio* dicta fuit, Vetus tamen Psalmorum Versio, juxta editionem *Cranmerianam*, cui jam populus assueverat, retenta est in usu Ecclesiarum quotidiano; quemadmodum nunc fit. Adeo tum à Viris Doctis probata est, quam nunc adeo spernit noster, & naso suspendit adunco. Imo cum accuratissimam illam totius Scripturæ Sacræ Versionem procurasset *Jacobus* Rex, quæ jam in trium *Angliæ*, *Scotiæ* & *Hiberniæ* Regnorum Ecclesiis publicè prælegitur; quanquam tum facta est Nova illa Psalmorum Versio, de qua tam magnificè sentit Apologista, Veterem tamen, ex ipsorum Interpretum sententiâ, retineri placuit in usu quotidiano, idque his de causis. *Primò*, quia vulgo fidelium adeo familiaris erat ex usu frequentiore, ut nemo esset paulo religiosior, qui Psalterium integrum juxta illam, aut certè maximam partem, memoriter non teneret. Solet enim in Ecclesiis Cathedralibus, ut & Regiis, Virorum Nobilium, atque etiam Collegiorum Sacellis, à Ministris totoque fidelium cœtu alternis recitari cantarive integrum Psalterium, quolibet mense. Deinde, etiam retenta est vetus illa Psalmorum Versio quod punctis esset ad canendum aptè distincta, & eâ punctorum distinctione ad Musicam Organicam accommodata. Nam Psalmi rythmici ab Ecclesiis Cathedralibus & Regis Virorumque Nobilium atque Collegiorum Sacellis, in usu quotidiano, planè exulant; nec nisi prosâ oratione Cantuque simplicissimo ac ideo facillimo in iis omnibus cantantur. Quæ tamen duæ causæ, fateor, non satis fuissent ad veterem illam Versionem ullatenus retinendam, nisi si, vel judicibus ipsis accuratioris illius Versionis authoribus, talis visa fuisset ut publicè usurpari possit cum ædificatione in cœtu fidelium.

9. *At non uno loco absurda est*, inquit Adversarius, *& textui originali contraria.* Id verò qui probetur videamus. *Verbi gratiâ*, inquit, *legitur Psalmo 58.* Indignatio vexet eos sicut res quæ est cruda, *nullo sensu.* Non poterat homo stolidus suam simulque eorum pro quibus Apologiam scribit, morositatem inscitiamque manifestiùs prodere, quàm eum locum, qui ex Interpretum ac Enarratorum omnium sententiâ difficillimus semper visus est, præ cæteris delegit, quem primum obelo suo trajiceret, ut absurdam corruptamque veterem illam nostram Psalmo-

rum Versionem probaret. Modestius longè, atque uti decebat virum doctum, qualis esse videtur, Psalmorum enarrator quisquis fuit, in Westmonasteriensium Theologorum Annotatis in Sacra Biblia, ad hunc locum. Postquam enim varias variorum Interpretum expositiones attulit, ingenuè profitetur nec alios ipsi nec ipsum sibi satisfecisse; quanquam Versionem illam, quam iste ad aliarum gentium invidiam elaboratam prædicat, tum habebat ob oculos, cum textum hunc enarraret: "Denique, inquit, Lector advertat velim, non hic agi de ullo "doctrinæ capite, sed de sensu dicti cujusdam proverbialis; quod "genus in quavis linguâ difficilis investigationis esse solet. Itaque si ipsi "non sit factum satis, non est cur eâ re se multum excruciat. Neque "enim ego admodum moveor, qui mihi quoque hîc haud satisfactum esse profiteor. Ex quibus verbis liquet quam ineptè sit hujusce loci versio allegata ad id probandum quod sibi proponit Apologista; cum nec ipsa, quæ ex ipsius sententiâ versionum omnium accuratissima est, illum satis ad mentem viri illius docti sanè & diligentis, cujus annotata ipsi Presbyteriani nobis commendarunt, reddiderit. Sed & Gallica Psalmorum versio quæ Ecclesiis Reformatis Gallicanis & Genevensi hodiè in usu est, veteri nostræ Anglicanæ verbo ad verbum ferè respondet; *Ardor iræ sicut turbo eos abripiet singulos tanquam carnem crudam*; sensu non minus obscuro. Nec differt ab utraque quam in Commentariis sequitur, *Calvini* Versio. Eam tamen tanquam fidelem probat ac tuetur, sensumque eum putat optimum qui Apologistæ nullus videtur. Versio sic habet. "Antequam sentiant ollæ vestræ "rhamnum, sicut crudum quasi turbo disperdet eum. *Commentarius vero sic*; "In hoc versu partim ob voces ambiguas, partim ob per- "plexum contextum subest nonnulla obscuritas. Quia סיר ollam & "spinam significat, duplex sensus potest elici; Antequam adolescant "spinæ vestræ in rhamnum, hoc est, crescant in majorem altitudinem "& densiores fiant. Vel, Antequam ollæ vestræ sentiant ignem ex spi- "nis accensum. Si de ollis exponimus, vivum sumetur pro carne cru- "da, sicuti etiam nos vertimus; Si autem pro spinis, sumetur pro im- "maturo vel tenero. Prophetæ tamen consilium minimè ambiguum est. "Nam festinationem vindictæ Dei, his verbis denotat, ideoque preca- "tur quasi turbine eos abripi; vel antequam adolescant in justum *ro- "bur*, sicut spinæ in rhamnum durescunt; vel antequam maturescant "sicuti caro quæ in ollâ vel lebete coquitur. Hic tamen posterior sen- "sus videtur melius fluere, ut ira Dei turbulento impetu abripiat "impios quasi carnem incoctam & quæ primum calorem nondum sen- "sit. Si operæpretium foret possem Arabicam Syriacamq; atque alias cùm Veterum tum recentiorum Versiones nostræ planè concordes laudare. Sed hæc satis superque sunt ad eam à corruptione absurditateque, quam

Vide Westmonaster. Theolog. Annotat. in hunc locum.

Calvin. Commentar. in Psalm. 58. v. 10

quam ex hoc loco ipsi objectat futilis Apologista, planè vindicandam.

§ Secundus locus ex quo probare satagit, veterem illam Psalmorum Versionem *absurdam esse & textui originali contrariam*, hic est. *Instar roris Hermonis qui cadit supra montem Sionis*, Psal. 133. 3. *At qui quæso*, inquit, *cùm Sion fuerit Hierosolymis, Hermon propè lacum Galileæ, ros hinc illuc deflueret*. At homo temerarius ac blasphemus haud videt se non Interpretem nostrum, sed ipsum Spiritum Sanctum absurditatis, siqua insit iis verbis, reum peragere. Neque enim hic aliud est illius peccatum, quàm quod Textum Hebraicum totidem verbis absque ullà prorsus additione transtulerit. Nam in Hebræo (quod vidisset noster si Hebraicè sciret legere) deest conjunctio, ו, *&*, quam alii interpretes addere solent, hoc modo. *Instar roris Hermonis &* (subaudi sicut ros) *qui cadit supra montem Sionem*. Non est igitur Interpres noster, sed ipse Spiritus Sanctus adversus blasphemas Presbyterianorum cavillationes hic defendendus. Sed id jam à viris doctis abundè præstitum est. Alii enim verisimile putant vocem minus frequentem שיאן *Sion*, mutatam in vocem similis soni ציון *Tzion*, Quod quidem, alio scribente, alio verò dictante facillimum fuit. Est autem שיאן mons idem qui Hermon, *Deut*. 4. 48. Bis ergo hic rem eamdem repetiit, ut sæpè Hebræi. Aut forsan montis illius pars superior ex qua decidit ros, *Hermon*; inferior verò in quam decidit, *Sion* dicebatur. Alii verò putant rorem Hermonis, id est, rorem qui ex eâ regione ubi est mons Hermon, oritur, non absurde dici posse in Tzionem, hoc est, in circumjacentem Sioni regionem decidere. Alii denique hunc versum allegoricum esse volunt. Alii alias rationes ad solvendam difficultatem afferunt. Sed nemo ante exortos in Magna Britanniâ Presbyterianos, repertus est, qui eo nomine Spiritui Sancto dicam scripserit.

Hugo Grotius *in hunc locum*.

Hammondus *in hunc locum, ut & Mollerus ibidem*.

§ Tertius locus est versus 28. Psalmi 105: *legitur*, inquit, (scilicet apud veterem nostrum Interpretem) non erant obedientes; *cùm Hebræa veritas habeat*, non erant rebelles. Hanc Interpretis nostri versionem, quæ sensu planè convenit cum Septuaginta Interpretum versione Græcâ, jam diu, ut optimam & cum Hebraica veritate maximè concordem, adversus Puritanos prolixè defenderunt *Richardus Hookerus* & *Nicolaus Fullerus* viri longè doctissimi. Quos si lector adierit, mirabitur Presbyterianorum, aut pervicaciam, qui tantâ solidissimorum Argumentorum evidentiâ, non convincantur; aut impudentiam, qui etiamsi convicti, rem eamdem, perindè ac si ei nihil unquam à nostris repositum fuisset, objectare non desinunt. Hebraica veritas sic habet ולא מרו את־דברו Quod ab aliis vertitur, *& non exacerbaverunt*, ab aliis, *exacerbaverunt verbum ejus*; hoc est, amarulenter se gesserunt, seu, rebellaverunt adversus mandatum ejus; illis scilicet, particulam negativam לא quæ in Hebræo legitur, retinentibus;

Hooker *Polit. Ecclesiast. l. c.* Nicol. Fuller *Miscel. l.* 3. *c.* 10.

istis

iſtis eam, uti primâ quidem fronte videtur, penitus abjicientibus. Quam duplicem contrariamque hujuſce loci verſionem, in variis Vulgatæ Latinæ codicibus ſuo quoque tempore obſervavit *Auguſtinus*, his verbis. Auguſt. *Enarrat. in Pſ.*104. *Quod ſequitur*, inquit, *in diverſis codicibus variè legitur. Alii namq; habent* Exacerbaverunt Sermones *ejus. Alii vero*, non exacerbaverunt Sermones ejus: *Sed quod prius dixi, in pluribus invenimus. Ubi autem addita eſt negativa particula, vix duos codices potuimus invenire.* Undè eruditiſſimo *Uſſero* pluſquam probabile videtur, idque meritò, ut quivis videt, veterem vulgatam editionem & verbum plurale, *exacerbaverunt*, habuiſſe (quamquam hodiè ſingularem numerum retinet) & negandi particulâ caruiſſe. Sed negat pernegatque vir in Hebraicis doctiſſimus, Septuaginta Interpretas, qui affirmativè hunc locum reddiderunt negativam לא omiſiſſe. Notum quippè eſt in Textu Hebraico ה interrogativi ellipſin frequentem eſſe, ut *Exod.* 8, 26. הן נזבח את־תועבת מצרים לעיניהם ולא יסקלנו *Ecce ſacrificaturi ſumus abominationem Ægyptiorum ante oculos eorum & non lapidabunt nos?* Seu, *& an non lapidabunt nos?* Hoc eſt, profectò nos lapidabunt. Negatio enim interrogativa vehementis affirmationis inſtar eſt. Unde interrogativam illam in directam & ſimplicem affirmationem converterunt Septuaginta Interpretes, hoc modo; Ἐὰν θύσωμεν τὰ βδελύγματα τῶν Αἰγυπτίων ἐναντίον αὐτῶν λιθοβοληθησόμεθα, *lapidibus obruemur.* Eadem prorſus ratione hic ולא מרו vertendum cenſuere, *exacerbaverunt* ſeu *rebellaverunt*; Noſter verò vetus Interpres, *& non fuerunt obedientes*, quod eodem recidit. Nempe cùm exacerbatio ſeu rebellio illa adverſus Dei mandatum vel de Moſe atque Aarone, vel de Ægyptiis poſſit intelligi; de iſtis quàm de illis potiùs intelligendum arbitrati ſunt Græci Interpreſes. Nihil enim magnum aut mirabile dici viſum eſt, ſi Moſes & Aaron præſtantiſſimi Dei ſervi affirmarentur non rebellaſſe adverſus Deum. Ægyptiorum verò obſtinata rebellio notior erat quam ut negari poſſet. Aliam itaque interpretationem quæſierunt & nullo negotio ſtatim eam quam ſequutus eſt Interpres noſter reperere, unâ duntaxat litterulâ (ה ſcilicet interrogativo) conſueto Scripturæ more ſubauditâ, & à fronte adjunctâ לא particulæ neganti, aut etiam ſolo pronunciationis modo aliquantum immutato. Undè hic ſenſus optimus efficitur, Ægyptii, quanquam tot plagis domiti totque ſtupendis prodigiis edocti & quaſi undique circumfuſi, nihilominus adverſus Dei mandatum rebellare & verè θεομαχεῖν non deſtiterunt. Eadem prorſus ratione explicari oportet vaticinium illud *Mich. c.* 5. 2. De loco Nativitatis Chriſti, deque loci illius dignitate, à S. *Matthæo* citatum *c.* 2. 6. quod adeo torſit *Hieronymum, Eraſmum* alioſque Interpretes. Nam, (quod clariſſimus *Druſius* annotavit ad *Matthæum*,) nihil omnino difficultatis in eo futurum eſt, ſi Prophetam legas

legas cum interrogatione, *Parva, ne es?* id est, *non es parva.* Quod optimè a S. Matthæo redditum, οὐδαμῶς ἐλαχίστη εἶ, *nequaquam minima es.* Id verò eleganter dictum pro μεγίστη εἶ, doctissimus *Casaubonus* ex *Prisciano* observavit. Hæc si non sufficiant ad Interpretem nostrum vindicandum, adeas quæso Lector, eruditissimum *F[illegible]ernum*, ex quo ista ferè exscripsimus, qui abundè tibi satisfaciat, nisi sis ex eorum hominum genere quibus nulla ratione satisfieri potest.

§ Sed aliam adhuc veteri nostræ Psalmorum Versioni dicam scribit Vitilitigator Apologista, ut eam probet sine piaculo legi in Ecclesiâ non posse. *In Psalmo* 14. inquit, *intertexuntur tres integri Versiculi; quos tamen certum est Apostolum non inde, sed partim ex aliis Psalmis, partim ex Esaiâ desumpsisse.* Certum est tres illos Versiculos in Bibliis Hebraicis hodie non reperiri. Suo etiam tempore defuisse *Hieronymus* observavit; quanquam jam tùm in Vulgatâ Latinâ Versione legebantur. Demus itaque, quod sane verisimile est, tres illos versiculos ex Epistolæ ad Romanos capite tertio in Psalmum 14. insertos. Quid tum? An ideo Versio illa ita corrupta absurdaque habenda est, ut Ministerium quis deserere debeat potiusquam eam, non Prælatis cogentibus, quod iste ad invidiam illis creandam affirmat, sed ex more jam inde ab emendatâ primum apud nos Religione communi omnium consensu, recepto & demum Synodicâ Parlamentariâque Authoritate, propter supermemoratas rationes firmato, in Ecclesia Publicè prælegere? Nemo sanus istud affirmaverit. Nam licet aliis Scripturæ locis habeantur tres illi Versiculi, non desinunt esse Scripturæ Sacræ à Spiritu Sancto dictata. Nec eos, eo Psalmo, cui inserti ex Epistolâ ad Romanos, putantur, publice Prælegentis peccatum aliud est, quam quod fuit *Augustini* eosdem eodem loco enarrantis; cui tamèn id vitiò versum à nemine est, quod sciam. Narratio illa de muliere in adulterio deprehensa, quæ Johannis capite 8. habetur, multis suspecta est; quod de se profitetur *Theodorus Beza*. De eâ sic etiam loquitur *Calvinus*; "Satis constat historiam hanc olim Græcis fuisse ignotam. Itaque "nonnulli conjiciunt aliunde assutam esse. Sed quia semper à Latinis "Ecclesiis recepta fuit, & in plurimis vetustis Græcorum codicibus re- "peritur, & nihil Apostolico spiritu indignum continet, non est cur "eam in usum nostrum accommodare recusemus. Accommodentur ista ad tres versiculos, de quibus quæstio est, non ex incerto Authore in codicem Sacrum, sed fatentibus adversariis, ex S. Paulo, in Psalmum 14. insertos. Nam cùm in iis nihil sit prophetico Spiritu indignum, & quod non optimè quadret cum iis quæ ibidem habet Propheta; cùmque à Latinis Ecclesiis (quantum quidem nobis compertum est) semper in eo Psalmo lecti sint; & ibidem in Septuaginta Interpretum Versione habeantur, non est cur eos eo loco legere recusemus.

August. *Enarr. in Psalm.* 14.

Beza ad Johan. c. 8.

Calvin. *in Johan. c.* 8.

§ Sed & aliud ad rem haud minus appositum afferam. Vulgo notum est & à plerisque cum vetustis tum recentioribus interpretibus observatum, hæc verba, *Et acceperunt triginta argenteos, pretium appretiati, quem appretiaverunt*, apud *Zachariam* hodie in omnibus Sacrorum Bibliorum editionibus legi, quamquam à S. *Matthæo Jeremiæ* disertè tribuuntur. Id interpretes omnes adeo torsit ut quo se verterent in re sane difficili, planè nescīverint. Alii Librarios incusare, qui *Jeremiæ* nomen adscripserint, cùm Evangelista tantum scripserit, ut alias sæpe, διὰ τοῦ προφήτου; alii autumare per litterarum compendium scriptum Prophetæ nomen Ζυ, quod facilè potuerit in Ιυ Commutari: alii denique inter quos *Eusebius* ἀποδείξεως, *l.* 20. & *Augustinus* de consensu Evangelistarum *l.* 3. *c.* 7. censere id fuisse S. *Matthæi* ἁμάρτημα μνημονικὸν; cujusmodi in ipsos θεοπνεύστους Evangelistas cadere posset salvâ tamen in rebus ipsis infallibilitate, magnis illis viris, ut & aliis multis, visum est. Nam *Jeremiæ* nomen constanter habere omnes codices Cl. *Beza* & alii Authores idonei affirmant. Floruit verò ante annos non multos in Academia Cantabrigensi *Josephus Medus* vir Doctissimus & in obscurioribus Scripturæ Sacræ locis elucidandis admirabili quadam ἀγχινοίᾳ præditus. Is oraculum quod à S. *Matthæo*, *Jeremiæ* tribuitur, ut & librariorum fidem & ipsius Evangelistæ diligentiam vindicaret, hisce rationibus quas pro modestia sua, vir summus, conjecturas vocat, *Jeremiæ* asseruit. *Primo*, inquit, nullus Scripturæ locus ea verba *Zachariæ* tribuit, licet illius prophetiis nunc inserta habeantur. Eo enim non magis efficitur ea *Zachariæ* esse, quam *Aguris proverbia* esse *Solomonis*, aut singula Cantica, *Davidis*; quæ in *Libro Proverbiorum Solomonis*, aut in *Psalterio Davidis* leguntur. Siquis dicat ipsius paginæ titulum, in qua verba de quibus Sermo est, habentur, ea *Zachariæ* tribuere, respondet cl. *Medus* morem istum, ut cuilibet paginæ titulus libri inscribatur, recentiorem esse & Judæis veteribus planè ignotum, ut quibus libri multis foliis constantes non erant in usu, sed volumina, seu ut vocantur nunc, rotuli, unde illis nomen à volvendo. In iis autem cujus-libet Tractatûs seu Libri, titulus semel à capitè scribebatur. Siquid vero ob similitudinem Argumenti, aut alia de causa adjiceretur, tum aut addebatur novus titulus, aut aliquando etiam erat ἀνώνυμον. *Secundo*, Quæ habentur *Zachariæ cap.* 9. contra Damascum & Philisthæos, longè melius *Jeremiæ* quam *Zachariæ* ætati convenire videntur. Res enim clara est, si eorum excidium à *Jeremiâ* per *Nebucadanezzarem* prædictum dicamus. Vide *Jerem.* 49. 23. contra Damascum, & 47. 1. contra Philistæos; itemque *Ezek.* 25. 15. Si vero *Zacharias* eorum excidium per *Alexandrum* prædixisse dicatur, quod vulgo fit; qui adimpletum fuisse vaticinium illud probabitur? Eversam enim Damascum à *Zachariâ* ad Christum

Joseph. *Med. oper. Anglic. Tom.* 2. *inter Epistol. ad Twissum.*

Christum usque nusquam legimus. Et quamquam & dominos mutavit & ab hostibus nonnumquam direpta est illa civitas, id illius excidium quod Propheta vaticinatus fuerat, dici posse non videtur. Ad Philistæos quod attinet certum est Gasani ab Alexandro captam fuisse, & quod diu acriterque ei repugnasset & quod in illius obsidione vulnus accepisset, direptam & funditus eversam. In *Ascalonem* vero & *Asdod*, quæ duæ queque erant Philistæorum civitates, non legimus *Alexandrum* adeo sæviisse ut incoli desierint; adde quod verisimile non est eas cladem & damna à Nabucadnezzare accepta tam brevi ita resarsisse, ut Zachariæ tempore novum excidium iis denuntiari potuerit. *Tertiò*, quæ ejusdem capitis *v.* 3. De *Tyro* dicuntur, nempe, *Et ædificavit Tyrus munitionem suam, & coacervavit argentum quasi humum, & aurum ut lutum platearum*, civitati tam recens à *Nebucadnezzare* direptæ & eversæ vix competere videntur; minus sane multò quam si ad *Jeremiæ* tempus cum diu floruisset, referantur. Vide *Ezek.* de re eadem vaticinia *cap.* 26, 27, 28. *Quartò*, quod majus apud me pondus habet quam reliqua, *cap* 11. ex quo locus apud S. *Matth.* desumptus est, continetur. Ibi Propheta quisquis est, populi *Hierosolymitani* corruptos mores & impietatem describit, unde civitati certum denunciat excidium. Quod vulgo ad *Vespasiani* Titique referunt tempora. Minimè vero vaticinium illud congruere videtur *Zachariæ* seu tempori, quo in ruinis suis ad huc maximam partem, jacebant tum Templum tum etiam ipsa civitas, seu Provinciæ quam Deus illi & Haggæo ipsius Collegæ demandaverat, nempe consolandi populares suos, nuper à captivitate reversos, & iis animos addendi, ut alacritèr in Templi reiq; publicæ instaurationem incumberent. Quis enim non videt absurdum planè esse ut putetur *Zacharias*, qui incoepti operis ἐργοδιώκτης esse debebat, ea tum vaticinatus fuisse quæ illos à pergendo & quod inceperant perficiendo deterrerent? At si vaticinium illud *Jeremiæ* tribuatur, & ad eversam à *Nabucadnezzare* Hierosolymam referatur, omnia aptissimè cohærebunt. *Quintò*, planum est *Jeremiæ* vaticinia; prout ea habemus, confusa esse & nullo ordine digesta. Modò enim de *Sedeciâ* ita absolvitur oratio ac si de iis quæ illius tempore acciderant nihil dicendum superesset; deinde ad *Jechoniam* revertitur Propheta, a quo rursus ad *Sedeciam*, &c. Videntur, itaque *Jeremiæ* vaticinia non uno & eodem, sed diversis temporibus, nempe prout per Ecclesiæ reique publicæ statum miserrimum licebat, fuisse collecta. Quo factum ut rerum ac temporum series in iis minimè servata sit. Unde etiam fieri potuit, ut nonnulla non nisi post reversos à captivitatè *Judæos* reperta fuerint, quæ cum *Zachariam* approbatorem habuissent; illius Prophetiarum volumini inserta sunt, eo ipso tempore, quo sunt reperta & ab eo comprobata; quibus deinde *Zachariæ* ipsius Prophetiæ

adjectæ sint. Jam si vera est eruditissimi Medi conjectura, quæ sanè verisimillima videtur, leguntur ab omnibus cum *Judæis* tum etiam Christianis apud *Zachariam* non tres versiculi, sed plura integra capita, quæ ex *Jeremiæ* desumpta sunt, quæque *Zachariæ*, ut patuit supra, nec tempori nec scopo congruunt, quod de intertextis Psalmo 14 versiculis dici nequit.

§ Atque hæc ea sunt, quibus probare conatus est Apologista in secundâ Libelli sui Editione, quod in primâ, de Veteri nostra Psalmorum Versione simpliciter affirmaverat, scilicet, *Eam esse multis locis absurdam & Textui originali contrariam.* Quo nomine maximas ei sanè gratias habemus. Nam si in generalibus in quibus latet dolus, semper hæsisset, nec corruptelas aut absurditates ullas speciatim indicasset; quàm sit illa accusatio futilis, quàm levibus nulliusque momenti de causis instituta, quàm denique omni prorsus ratione destituta, Lectori (quem id nunc perspectum habere confido) non constaret. Quasi tamen susceptâ Provinciâ egregiè defunctus fuisset, sic pergit; *Infinitus essem, si omnia loca in quibus vel verba, vel integræ sententiæ desiderantur, percurrere, vel singulas periodos quæ in sensum planè alienum transferuntur, notarem.* Sed ex iis quæ jam in eo genere præstitit, cæterorum facilis æstimatio est; Et Lectori compertum est *Pyrgopolinicis* Machæram nonnunquam hebetiorem esse quam ut hostes obtruncet quoties stringitur. Unde Clarissimum *Schookium* confido, haud magnoperè ab ea sibi metuere, etiamsi eam ad duram Reverendi *Voetii* cotem acuat; quod videtur minitari, cùm ait, *non defuturos qui Schookii impetum adversus Precisistas*, hoc est, Belgas Puritanos, *retundant.* Multùm sanè viro eruditissimo atque generosissimo vel eo nomine debet Belgium Reformatum, quod perniciosissimi & formidabilissimi in Ecclesiâ hominum generis, ubi vires animis pares non desunt, artes detexerit et machinas everterit, ne fuco pharisaico simplicioribus, diutius imponerent mulierculas peccatis onustas tenerent, & specioso *Reformationis quasi intensivæ* (quam vocant) & perfectioris Christianismi, quàm quem hactenus professæ sunt atque coluerunt Ecclesiæ Reformatæ, obtentu, novas turbas in iis Ecclesiis cierent & novum in consciencias tribunal strophis suis sibi erigerent; quemadmodum à Puritanis nostris istorum parentibus, factum est in Magnâ Britanniâ. Nam insignem facit Viro Doctissimo injuriam cum ait, *eum in eo totum esse, ut suos sequaces doceat quàm propè ad peccatum sine peccato accedere possint*; Cùm reverâ nihil aliud sibi proposuisse videatur, quàm ut Belgas suos à ridiculis *Precisistarum* superstitionibus liberos præstet, & veram Christianam libertatem in rebus mediis asserat. Quod pro iis quibus pollet ingenio & doctrina, egregiè sanè ab eo præstitum est.

Apolog. p. 141

§ Verum enim vero, ut è diverticulo in viam redeam, non modò

Veterem,

Veterem, quæ apud nos in usu est, Psalmorum Versionem, sed & Organa Musica, ad quæ in Ecclesiis Cathedralibus & Regiis Collegiorumque nonnullorum ut & Virorum Nobilium Sacellis, Psalmi cantari solent, Apologistæ visum est improbare & tamquam gravissimi Prælatorum jugi partem memorabilem exagitare. Quod vero ait, ubi transit à Psalmorum Versione ad Organa Musica, eam non aliam ob causam retineri, *quam quod sit ad musicam Organicam accommo:atior propter punctorum distinctionem*, id meram esse calumniam supra ostendimus, cùm aliæ sint illius retinendæ causæ idoneæ. Vero longè similius est Versionem illam eo maximè nomine istos aversari quod sit ad Organum musicum cæteris accommodatior. Quippe qui nihil adversus eam præter cavillationes meras, quæ adversus aliarum Ecclesiarum Versiones, aut ipsam etiam veritatem Hebraicam æquè Militant, hactenus afferre potuerunt. Quodnam autem sit eorum de Musicâ Organicâ placitum his Verbis declarat Apologista. "Presbyteriani certè *Apolog.* p. 139
"illud serio optant ut omnis Musica Organica è Templis eliminetur.
"*Istuc verò qu.m obrem audiamus.* Musica enim Organica qualis
"apud nostros obtinet, destituitur, *inquit*, omni Authoritate tum Scri-
"pturæ Sacræ, tum Primitivæ Ecclesiæ, quam tamen venerari videri
"volunt qui JUGUM HOC cervicibus nostris imponunt. Aquinas
"Musicam hanc adeò non laudat, ut damnet etiam, & ad peculiarem
"ac Pædagogicum Veteris Testamenti cultum ableget, 22. *Quæst.*
"91. *Articul.* 2. Unde non inconsultò colligit Cajetanus, Thomæ
"tempore Ecclesiam non usam esse Organis. Nec primus Aquinas Mu-
"sicam hanc inter pueriles Ecclesiæ Judaicæ nugas numeravit. Præi-
"verat ei Author Quæstionum & Responsionum ad Orthodoxos
"*Quæst.* 107. *& Chrysostom. in* 1 *Cor.* 14. Bellarminus fatetur Eccle-
"siam per Octingentos & viginti annos hoc instrumento caruisse. Si
"rationalem animi cultum & devotionem spiritualem confirmasset.
"Citius dubio procul esset introductum. *Ast inquit Durellus p.* 39.
"Habentur Organa in plerisque Ecclesiis Reformatis quibus tantum
"pecuniæ suppetit, ut ea possint emere. In plerisque Ecclesiis haben-
"tur? Imo à plerisque in cultu publico exulant; nec retinerentur in
"Ecclesiis Lutheranis, nisi Lutherum suum deseruissent, qui fatente
"Eckardo, Organa musica inter Baalis insignia retulit. Quod adhuc
"maneant in quibusdam Templis Belgicis, fit invitis Pastoribus. Nam
"in Synodo Nationali Middleb. anno 1581. Et in Synodo Holl. &
"Zealand. anno 1594. decretum est procurandum esse apud Magi-
"stratum abolitionem Organorum & cantus Organici in Templis eti-
"am extra cultum, post aut ante conciones; adeò usum eorum in cultu non ferrent istæ Synodi.

§ Antequam ista excutio, quo faciliùs difflentur, Organi musici in

 Ecclesiâ.

Ecclesiâ Anglicanâ usum qui nunc obtinet, exponam. Habentur Organa musica apud nos in Ecclesiis Cathedralibus, Regiisque, atque Collegiorum quorumdam Sacellis, ubi sumptus in eam rem necessarii ex Regum nostrorum aliorumve Benefactorum Munificentiâ, abundè suppetunt. Habentur etiam in Virorum Nobilium Sacellis, siqui sunt qui eo genere musicæ adeò delectentur ut sumptus ad eam necessarios præbere non graventur. Fuere quoque ante turbatam a Schismaticis Angliam, Ecclesiæ Parochiales nonnullæ quæ Organa sibi compararerant, maximè, Londini & in aliis opulentioribus hujusce Regni Civitatibus. Sed paucæ admodum nunc reperiuntur, quæ illis utantur: Nullam certè novi nec de ulla audivi. Ut vel hinc manifestum sit eos, qui se vocant, *ejectos in Angliâ Ministros*, de musicâ Organicâ quasi jugo cervicibus suis à Prælatis imposito, immeritissimè quiritari. Instrumenta Musica olim quidèm adhibita ad fugandos malignos Spiritus, testis est Saulis Historia. Sed nihil opus fuit ea adhiberi ad istos abigendos. Nulli enim Schismatici ex Ecclesiis Cathedralibus Regiisve aut Collegiorum, eorumve Virorum Nobilium qui Organis utuntur, Sacellis ejecti sunt. Sed pergo in Organorum musicorum usu describendo. 2. Usurpantur in coetu fidelium ad Psalmorum Sacrorumq; Hymnorum cantum moderandum; non autem extra cultum ad oblectandam plebem in Templis quasi in Cambio deambulantem & confabulantem; quod in quibusdam Belgii Reformati Ecclesiis fieri solet. 3. Nihil ad Organum cantatur nisi quod aut è Scriptura totidem verbis desumptum est, ut Psalmi, Canticaque varia, &c. aut quod est Scripturæ Sacræ consonum ut Hymni *Te Deum*, *Benedicite omnia opera Domini Dominum*; *Fidei Symbola*, *&c.* 4. Cantantur verò hæc omnia Linguâ Vernaculâ, & descripta habentur in Libris qui omnium manibus teruntur; adeo ut siquis ea, quæ ad Organum musicum publicè cantantur in Ecclesiâ, non intelligat, id uni sibi imputare debeat, modo sciat legere. Nam quod quidam objiciunt, cùm pulsatur Organum, tantum edi strepitum ut nemo possit intelligere quid canitur; idem usu venit in omni concentu vel tantillùm figurato etiam assâ voce absque Organis Musicis. Idque docemur experientiâ. Quis enim in Ecclesiis Reformatis Galliæ, exempli gratiâ, in quibus Psalmodia putatur esse simplex castaque atque omnino talis, qualis decet Sacros Christianorum coetus (unde factum ut Ecclesiæ *Belgica*, *Polonica*, *Hungarica*, multæ item *Germanicæ* Reformatæ Psalmos suos ad Gallorum modulos, accommodaverint) quis, inquam in iis Ecclesiis potest intelligere quid cantatur, nisi ipse aut è Libro aut memoriter una cantet; aut saltem in quemlibet versiculum oculos conjiciat ac mente sequatur. Quod pari ratione fieri potest fitque plerumque in Ecclesiâ Anglicanâ ab iis qui non concinunt, dum pulsatur Organum.

§ Quid

§ Quid est igitur (nam hoc jam dispiciendum venit) quod in hoc Organi musici usu ad majorem Sacri Concentus Melodiam, majoremq; Dei Optimi Maximi laudum celebrationem, atque ad excitandam fidelium devotionem, & spirituale gaudium adaugendum, (nam in hos usus musicâ Organicâ in Templis utimur) adeo improbant Schismatici, *ut serio optent ut omnino è Templis elimineatur*. Primò, inquit, ut, *omni Scripturæ Sacræ Authoritate destituitur*. Nam quamquam varia Organorum musicorum genera olim ante adventum Christi ad Dei laudes celebrandas, in Sacro Fidelium coetu publicè adhibita sunt, quod Scriptura Sacra disertè testatur; id ad Pædagogiam Mosaicam cultumque Ceremonialem qui sub lege obtinuit, omnino referendum contendunt. At, *primò*, cùm nullum extet *Mosis* de adhibendis ad Dei laudes celebrandas Organis musicis, præceptum; cumque ab eo ad eam rem adhibita nusquam doceant Sacri Codices; qua ratione musica Organica Pædagogiæ Mosaicæ cultusque Ceremonialis pars, dici possit, non video. Nam quod tympanum pulsasse *Maria* legitur, *Exod.* 15. id non ex *Mosis* instituto, sed ex communi & recepto non tantum Israelitarum, sed omnium ubique gentium usu factum constat. Siquidem apud omnes omnino gentes, etiam maximè barbaras, solemne est lætitiam publicam magno cum strepitu testari & ad id, instrumenta varia pro cujusque gentis more ac ingenio adhibere. Nec aliter sentiendum de buccinarum clangore, quem non modo ad Congregationem & Principes populi convocandos, ad castrimetationes, ad epulas Sacras, ad Neomenias, sed etiam ad Holocaustorum solennitates, à Sacerdotibus edi Moses præcepit. Neque etiam quicquid à Mose præceptum aut aliquatenus, ad Dei cultum adhibitum, id statim Pædagogiæ Mosaicæ cultusq. ceremonialis pars censendum est, cum multa observari præceperit atque ipse observaverit quæ homines, aut ex lege naturali observare tenentur, aut ex communi gentium usu tum observabantur. Cujusmodi esse cantum in Dei laudibus celebrandis nullus dubito. Adde quod non hic quæritur de quovis sonitu aut strepitu, quales eduntur à Tympanis aut Campanis dum pulsantur; qualis etiam clangor buccinarum, qui ad meram pompam aut oblectamentum, non autem ad ullum usum spiritualem adhibentur; sed de musicis Instrumentis, maximè vero de Organis pneumaticis, quibus, ad Sacrum Concentum (cùm Psalmi aut Hymni à fidelium coetu Deo canuntur) moderandum, & ob alios supra memoratos usus, passim utuntur Reformatæ Christi Ecclesiæ. Ejusmodi autem Organa musica ad eos usus à Mose instituta aut usurpata nusquam legimus. Quicquid autem à Mose in Sacris Dei celebrandis nec præceptum nec usurpatum est, id rectè inferas ad eum cultum, quem ex Dei mandato instituit, propriè & per se nihil attinere. *Nam Moses fidelis fuit in tota domo Dei, fecitque omnia secundum*

Numer. 10.

Hebr. 3.

cundum

cundum exemplar quod ei à Deo in monte monstratum est. Quæ cùm
Deut. 12. 32. cultum in suo genere perfectum constituerent, prohibuit ne quid iis quæ præceperat, adderetur, quemadmodum ab iis nihil ablatum voluit. Ex quibus alterutrum horum necessariò consequitur, aut Mosem, qui de Musicâ Organicâ ad Dei laudum celebrationem adhibendâ nihil præcepit, in domo Dei fidelem non fuisse, nec perfectam Ceremoniarum legem tradidisse; quod nemo sanus dixerit; aut Musicam Organicam ad cultum ceremonialem nihil attinuisse, nec ullam illius partem constituisse. *Secundò*, Cùm Presbyteriani, & qui in eodem errore circa Musicam Organicam cum Presbyterianis versantur, vocalem non improbent, imò maximè approbent & quotidie tum privatim tum publicè usurpent, tantum abest ut eam quasi legis Ceremonialis appendicem è Christianorum Templis eliminendam censeant, licet Moses filios
Deut. 31. 19. Israël egregium illud Canticum quod sibi pro testimonio inter eos esse voluit, *Ore decantare* jusserit; dic, amabo, cur illa Musica, de quâ
Exod. 15. Moses nihil præcepit, Mosaica & Ceremonialis habenda sit, potius
Johan. 7. 24. quàm ista, quam sæpius & ipse Moses usurpavit & usurpare populum suum per omnes generationes expresse jussit? Si non potes, vide quid sit præjudiciis occæcari, & *secundum faciem, non verò justum judicium judicare.* Nihil certè Mosaicum dici & cultus Ceremonialis pars censeri jure debet, nisi quod à *Mose* præceptum, vel typi in Christo & per Christum adimplendi rationem habuerit, vel Ecclesiæ Judaicæ qua tali, ita proprium fuerit, ut ei soli & semper conveniet & planè Judaismum præ se ferat. Quod de Musicâ Organicâ vix quisquam affirmaverit; aut siquis affirmet haud facile affirmati rationem dederit; nec quicquam in eam rem dixerit quod non jure pari, imò potiore de musica Vocali dici queat. Quid enim altera deffert ab alterâ, nisi quod Instrumentalis vehementiùs, vocalis autem longè suaviùs aurem afficiat? sitque ideo longè deliciosior? Undè factum procul dubio ut in Romanorum Pontificum, hominum ad delicias natorum, Sacello, non instrumentalis sed Vocalis tantùm Musica audiatur prout *Zanchius*, aliique annotarunt. Quod velim eos advertere qui Organa vocare solent magnæ illius Apocalypticæ meretricis instrumenta musica; Cùm ipsi intereà Papæ ipsius musicam absque ullo scrupulo Sacris suis quotidiè adhibeant. Jam verò cùm à *Davide* Rege Prophetaque Sancto omnis generis Organa Musica, non ex ullo *Mosis* præcepto & quasi cultus Ceremonialis appendix, sed tanquam res media ad ædificandum faciens ad Sacrum concentum ob majorem melodiam aliasque ob causas supra memoratas, adhibita sint, satis ex eo constat, musicam Organicam, nec dispensationis Mosaicæ partem esse, nec tamen Scripturæ Sacræ Authoritate destitui. Maximè cùm ad Deum Authorem, non immediatum quidem sed per Prophetarum *Davidis* aliorumq; quorum operâ ad id uti

placuit,

placuit, ministerium, institutum illud manifesto referatur, 2 Paralipom. c. 29. 25. Ubi *Ezechias* dicitur *constituisse Levitas in domo Dei cum Cymbalis & Psalteriis & Citharis, secundum dispositionem David Regis & Gad Videntis & Nathan Propheta.* Deinde additur, *Siquidem Domini praeceptum fuit per manum Prophetarum ejus.* Domini praeceptum fuisse dicitur, aut quia Deus id expressè mandaverat; aut quia à Sanctis Prophetis, viris Dei ad fidelium aedificationem institutum fuit, quod mihi verisimilius est. Nam *Davidi* Prophetisve aliis a Deo praeceptum uti Organa Musica adhiberentur ad Sacri concentus melodiam, nusquam legimus.

§ Quod aiunt *Secundò, Musicam Organicam omni etiam Authoritate Ecclesia Primitiva destitui*; & quod indè eliciunt, nempè, *quod, si rationalem animi cultum & devotionem spiritualem confirmasset, citius fuisset instituta*; id nihil quidem nos movere debet. Quis enim non videt haec eadem Davidi & Prophetis obiici potuisse, cùm instrumenta musica in Sacrum Tabernaculum introduxerunt? Siquidem à Mose ad Davidem usque iis caruerat Primitiva Judaeorum Ecclesia. Ante Davidem Israelitae non modò in deserto, sed in ipsâ terrâ Canaan Variis Variorum hostium insultibus perpetuò lacessiti fuerant; imò Deus ipse (seu potiùs Arca Foederis, praesentiae Divinae Symbolum) nullum locum fixum stabilemque habuerat, in quo habitaret; *sed fuerat semper mutans loca tabernaculi* (Dei ipsius Verba refero) *& in tentorio manens cum omni Israël.* Sed David, debellatis undique hostibus & pacificato Regno universo, *aedificavit locum Arca Dei, tetenditque ei Tabernaculum Hierosolymis*, in quo tandem quiesceret. Cùmque eam in in locum, quem ei praeparaverat, magnâ pompâ deduceret, tum demum, *Constituit cantores in Organis Musicorum, ut resonaret in excelsis sonitus laetitiae; & ut ministrarent coram Arca Domini, canentes tubâ & quatientes Cymbala & omnia Musicorum Organa ad canendum Domino.* Nequis autem putet Cantores hos à Davide constitutos, quemadmodum Buccinatores illos de quibus, *Numer.* 10. *v.* 7. nihil nisi strepitum edidisse, David expressè dicitur *in illo die fecisse Principem ad confitendum Domino Asaph & fratres ejus. Ad confitendum Domino*, hoc est ad Hymnos Sacros Deo altâ voce canendos dùm sonarent instrumenta musica. Additur enim ibidem Hymnus quem tum cecinerunt. *Confitemini Domino, &c.* Scilicet alia tempora alios mores postulant. Non decebat apparatus ille Magnificus Ecclesiam huc illuc oberrantem, continuisque hostium aggressionibus impetitam, atque sub Judicibus longè infra Regum Majestatem subsidentibus degentem. Et quamquàm Deo grata & fidelibus ad aedificationem utilis semper fuisset ejusmodi melodia, cûm tamen eâ commodè frui non liceret, eâ carere poterant. Idem de Ecclesiâ Primitivâ Christi dicendum.

1 *Paralip.* 15. 16.

Ibid. 16. 42.

dum est. Prioribus multis sæculis sub gravi persecutionum pondere tantùm non oppressa penitusque obruta est. Non multos habuit potentes, non multos nobiles, neque etiam multos Sapientes secundùm carnem. Vix ei suppetebant facultates, unde sumptus præberet ad alendos Christi Antistites aliosque verbi & Sacramentorum Ministros. Absurdum itaque fuisset quo Tempore vox illius, columbæ gemitus, & cantica, lamentationes erant, si tunc musicam Organicam aut Vocalem exquisitiorem Sacris suis adhibuisset. Verùm ubi à persecutionibus respiravit Ecclesia, & res Christiana florere cœpit, sub piis Principibus; statim & Templa, non commoda tantum (quem admodum antea, si vera est, ut est admodum verisimilis multorum virorum doctorum sententia) sed splendida etiam magnificaque extructa sunt; Psallentium Chori instituti, & omnia decentiùs majoreque apparatu, quam tùm sub Cruce fatiscebat, jure merito, ut mihi quidem videtur, peracta; Et tandem cùm aliud alio sæculo, quo florere Ecclesiæ status dignosceretur, plus aut minus Viguisset, tandem, ita dispensante & inspirante Deo, Pneumaticæ hujus Musicæ ars mirabilis emergere cœpit. Cum emendaretur Religio avorum nostrorum ætate, eâdem ratione in introducendâ Musica Organica processum est. Quibusdam locis diu Templis, ideoque Organis Musicis caruere. Sacros cœtus non interdiu ac publicè in Sacris ædibus sed nocte ac clanculum in cryptis habuere. Quæ fuit multarum Ecclesiarum in Belgio Galliâque atque alibi dura conditio. Tum verò in nocturnis illis conventibus nec simplex quidem illa quæ assa voce fit Psalmodia audiebatur quam tamen ad rationalem animi cultum & devotionem spiritualem utilem esse non negant Adversarii. At ubi deferbuit persecutionum æstus & prosperiore rerum statu, Dei beneficio, fidelibus frui concessum est, tum & Galli Reformati Psalmos omnes carminibus rhythmicis adstringere & ad modulos Musicos eosque artificiosissimos ac suavissimos aptare, atque in cultu publico ante & post concionem, ut & dum celebratur Eucharistia, semper usurpare. *Belga* verò prætereà utpote opulentiores & forte gaudentes lautiore Musicam Organicam in Ecclesias suas multis locis introducere. Idem factum à *Germanis* Protestantibus plerisque; itemque à *Suecis*, *Danis*, *Lithuanis*, *Helvetiis*, hoc *Apol.* p. 140. est, ubique ferè Reformatis; prout verè, quanquàm contradicit temerarius Apologista, à me in Tractatu Anglicano observatum est.

§ Nec aliud probant, quin id potiùs confirmant Synodorum Belgicarum, quæ ab eo citantur, decreta. Decernunt enim, *ut de abolendis Organis Musicis extra cultum post aut ante conciones apud Magistratum agatur.* Undè liquet Organa jam tum, hoc est Ann. 1581, & 1594, apud eos in usu fuisse. Deinde fallitur cùm ex eo quod Organa Musica in

Ibidem. Schook. *Exerc.* 30. 9.

in Templis extra cultum improbant Synodi, infert *ea multò minùs laturas in ipso cultu.* Nam Clarissimo *Schookio*, qui Organorum in Sacris Christianorum coetibùs, tanquam rei adiaphoræ ideoque legitimæ, usum adversus *Theses Voetianas* solidissimè propugnat, "Ferendum non videtur ut demum pulsentur, (*quod fit in nonnullis Reformati Belgii Ecclesiis*) quando concio Sacra dimittitur, ob usum politicum. Eo enim Templum transformari in λέσχην, hoc est, locum in quem confabulandi gratiâ homines otiosi conveniunt; atque congerronibus si non pejora agentibus, Organi delicias exhiberi, non sonantis cantiones Sacras, sed sæpè profanas, si non verniles quoque. Laudatur etiam ab eo Ecclesia *Leydensis*, "quæ ante annos non ita multos Organa, abrogato usu minus Sacro, Psalmos & Dei laudes, sonare compulit; sicque ad eum usum reduxit quem unum habet in Ecclesiâ Anglicanâ. Sed fallit Apologista & Lectoribus suis imponit pro suo more, cum ait, "quod adhuc maneant Organa Musica in quibusdam Templis Belgicis, id fieri invitis Pastoribus, allegatis Synodorum anno 1581. & 1594. decretis; quæ, præterquam quod Organorum in Templis non usum sed abusum duntaxat improbant, jam obsoleta sunt & à posterioribus Synodis eatenus antiquata. Laudatur enim à Clarissimo *Schookio* Synodus *Zuidholland.* Delphis habita anno 1638. à qua declaratum est articulo 50. *usum Organi adiaphorum esse.* Cujus judicium quamquàm se amplecti disertis verbis profitetur, nec aliud agit tota Exercitatione 30. vir eruditissimus, quam ut illud tueatur; audet tamen Apologista asserere, *eum ita sententiam suam exponere, ut ad Presbyterianos* (*qui seriò optant ut omnis Musica Organica tollatur è templis*; & Organa omnia apud nos cùm rerum potirentur, de facto aut confregere, aut pretio vendidere ad explendam avaritiam, ne amplius Dei optimi maximi laudes in sacris coetibus sonarent, sed in diversoriis & popinis tantum modò deinceps audirentur) *propiùs accedat quàm ad Hierarchicos* quos vocat. Hi tamen musicam Organicam tamquam rem adiaphoram retineri & si iisdem quos ipse *Schookius* ponit, limitibus circumscripta sit, utiliter usurpari posse cum *Schookio* contendunt. Ad hodiernos verò *Belgarum* Reformatorum Pastores quod attinet, de quorum tantùm sententiâ inter nos disceptatur, illi si quosdam ut R. *Voetium*, *Voetiique* Sectatores, excipias, adeò absunt ab Organis ad moderandum cantum Ecclesiasticum improbandis, ut ea in Templa, in quibus nondum audita sunt, indies introduci curent. Quod nuper factum audio à Reverendo *Rochefortio* Ecclesiæ Gallicanæ apud Roterodamos Pastore dignissimo. In quos usus Musica Organica in Templis à piis adhiberi possit, ex hoc loco *Calvini* (qui aliàs Organis Musicis in fidelium coetu non multum favere videtur) discimus. "Videtur ergo potius Propheta mordaciter ipsos impetere quòd suâ

Ibidem. *Ibidem.* *Apol.* 141.

Calvin *in Amos c.6.5.*

"oblectatione provocent iram Dei, & suam obstinationem prodant; "cùm tamen David applicarit instrumenta musica ad pietatis exercitium "ut mentem suam ad Deum attolleret. David certè cùm esset quietus, "postquam defunctus erat omnibus periculis, potuit etiam se oblecta-"re; atqui in alium usum transtulit musica instrumenta, ut scilicet re-"sonarent laudes Dei in Templo, ut indè una cum aliis piis sese erige-"ret ad pietatis studium. Apta sunt igitur Organa musica, *Calvino* judice, ad Dei laudes in Templis resonandas, ad fidelium mentes ad Deum attollendas, atque ad pietatis studium erigendas, quandoquidem ad eos usus Sanctus Propheta David illa applicavit. Quidni itaque in eos usus etiamnum adhiberentur? Nam Dei laudes resonare, mentes ad Deum attollere, fideles ad pietatis studium erigere ad legis Pædagogiam pertinuisse nemo in Theologia vel mediocriter doctus affirmaverit. Hanc disputationem absolvere lubet narraticuculâ quâ Exercitationem suam de eodem Argumento claudere Clarissimo *Schookio* visum est. "Bremæ, *inquit*, agnitus fuit Pastorum Senior Johannes Ca-"pito, vir cæteroquin Doctus, Zelotes & pius. Brugis in Flandria "Ecclesiam Orthodoxam paverat eo ipso tempore, quo Caninam suam "eloquentiam celebratissimi nominis Franciscanus, Cornelius Adriani, "domo Dordracenus, exercebat. Hic ipse autem Capito, cum in suo "Templo, Martino Sacrato (in quo ordinario docebat) Organum non "haberet, quotidiano Convitio illud solitus erat incessere, usque adeò "ut vocaret Utriculariam fistulam diaboli. At cùm munificentia Se-"natus in eo quoque Templo Organum esset constitutum, ipse non inve-"nire condigna elogia; vocare modò melodiam Angelicam, promul-"sidem gaudii Cœlestis, & quæ non alia? *Quibus addit*; Ita vari-"ant sæpè hominum judicia pro temporis varietate. *Deinde pergens*; "nec tamen eum in finem hoc propono, *inquit*, quasi mihi volupe sit "Venerandi senis manes inquietare: sed quod Narrationem hanc, "quam scio Verissimam esse, à scopo alienam haud fore existimarem. Quam ego quoque hìc apposui non malevolo in R. *Capitonem* animo, sed ut siqui reperiantur ex paucarum earum Ecclesiarum Reformatarum Scriptoribus, in quibus Organa Musica non audiuntur, qui iis minus favere videantur, id eorum aut contrariæ consuetudini, aut meræ Organi illius ἀπειρίᾳ tribuatur.

CAPUT. XXVIII.

An ſemper à prima Reformatione Epiſcoporum Ordinem Jure Divino Preſbyteris Superiorem eſſe tenuerit Eccleſia Anglicana.

Vindicatur Ordinationis Formula adverſus Apologiſtæ Objectiones. Ex 4. Concilio Cartaginenſi *deſumpta eſt. Epiſcopatum jure Divino niti à prima Reformatione, ſemper tenuit Eccleſia Anglicana. Id patet* Primò *ex Præfatione Formulæ Ordinationis præfixâ à primis Reformationibus ſub* Edvardo *ſexto. Excutitur* Cranmeri *locus ex Libro Manuſcripto qui penes eſt* Cl. Stillingfleetum. *Refutantur quæ allegat Apologiſta ex Ordinationis Formula qualis fuit ante poſtremam illius recenſionem, ad probandum Epiſcopum & Presbyterum, non Ordine ſed gradu tantùm differre. Diſcordant à ſe invicem Puritanorum Apologiſtæ.* Secundò, *ex eo quòd Annis* 1562. *&* 1571. *Regnante* Elizabethâ, *Ordinationis Formula cum Præfatione ab utrinſque Provinciæ* Cantuarienſis *&* Eboracenſis *Synodis unanimi conſenſu fuerit approbata.* Tertiò, *ex* Whitgifti *ſub* Elizabetha *&* Jacobo Cantuarienſis *Archiepiſcopi Libro adverſus* Carwrightum. Quartò, *ex ea ipſa* Franciſci Knollii *Epiſtola quam laudat Apologiſta.* Quintò, *ex libris* Sutlivii *Eccleſiæ* Exonienſis *Decani &* Hadriani Saraviæ *Præbendarii* Cantuarienſis *adverſus* Theodorum Bezam, *circa annum* 1590. Sextò, *ex* Th. Bilſoni Wintonienſis *Epiſcopi libro,* De perpetua Eccleſiæ Chriſti Gubernatione, *quem* Jacobo *Regi nuncupavit. Vindicatur* R. Laudus Cantuarienſis *adverſus ea quæ ipſi à* Hollando *objecta affirmat Apologiſta.* Septimò,

timò, *ex* Downamo, Andreâ *Wintoniensi aliisque*. Georgius Hornius, Honorius Reggus, Mo[illegible]m Scoticorum *Scriptor*, Salmonetus *notantur*. Octavò, *ex* Bancrofti *concione*. *Respondetur ad ea quæ ex* Rainoldo, Juello, Pilkingtono, Fulcone, Humphredo *allegantur in contrariam sententiam, nullum novum jugum à* Laudo *&* *Co-episcopis Ecclesiæ Anglicanæ cervicibus impositum. Eandem ipsam Hierarchiam ejurarunt, &, quantum in ipsis fuit, everterunt Presbyteriani, quæ sub* Edvardo *sexto, &* Elizabetha *obtinuit. Neque penes Rebellans Parlamentum, neque penes* Westmonasteriensem *Theologorum Conventum fuit in Politia Ecclesiastica quicquam immutare. Nihil ad rem quæ ex* Colemanno *&* Gatakero *affert Apologista. Quis* Colemannus. *Ecclesiarum Germanicarum* Inspectores *ac* Superintendentes *Presbyterianis improbantur. Regia Majestas vindicatur adversus iniquam Apologistæ accusationem. Sive Ordine sive Gradu differre dicantur Episcopi à Presbyteris, perinde est. Quid sit Jus illud Divinum quo Episcopatum niti contendimus.*

IN Ecclesiæ Anglicanæ Politiam impetum facturus Apologista, nequid intactum prætermittat, ipsam *Ordinationis Formulam* statim adoritur. *Quod ad librum de Ordinandis Diaconis, Sacerdotibus,* *Apol.p.143.* *Episcopis non erat olim*, inquit, *cur ei subscribere multùm detrectaremus*. Ei tamen isti perinde ac cæteris, quibus subscribere Superiorum jussu, tenentur omnes Ecclesiæ Anglicanæ Ministri, præfractè (quæ est istorum hominum docilitas & ad obsequendum propensio) semper detrectarunt. Sed pergentem audiamus. "Nihil enim, *inquit*, in eo "erat quod distinctionem inter Presbyterum & Episcopum ullo Jure "Divino niti innueret: imò multa erant è quibus concluderemus Episcopum & Presbyterum differre, non Ordine, sed gradu tantum. Dicebatur Episcopus non Ordinari, sed, consecrari. Legebatur etiam "in Ordinatione Presbyteri æque ac in Consecratione Episcopi Tertium Caput primæ ad Timotheum Epistolæ. Imò eadem Verborum "formula usurpata est in creando Presbytero quæ in creando Episcopo. "Et hæc opinio tam altè apud nos radices egerat, ut cum *Laudus* pro "gradu Doctoratus defenderet, *Episcopatum esse Ordinem distinctum*; "*Hollandus*, qui tunc temporis Cathedram ornabat professoriam, ei "Schisma & animum ad Papismum propensum, publicè impingeret,

Deinde

Deinde addit ex Libro Manuscripto qui penes est præstantissimum *Stillingfleetum*, quem merito vocat, "Stupendæ eruditionis Theologum, primos Reformatores nostros ad unum omnes agnovisse, Presbyterum & Episcopum ἀπ' ἀρχῆς fuisse ejusdem Ordinis & Officii; "Et in Regis arbitrio situm esse Ecclesias suas vel per meros Presbyteros, vel per Presbyteros cum Episcopo regere. *Quibus subjungit*, "eamdem fuisse celebriorum Theologorum sententiam regnante Elizabethâ; quamquam non negat, Bancrofto semel ea pro concione "excidisse, quæ jus Divinum ὑπεροχῆς Episcopalis viderentur adstruere. Sed quantum ab eâ sententiâ abhorruerint alii ex prolixâ Johannis Rainoldi ad Knollium Epistolâ, *quæ sex integras implet paginas*, *Apol. p. 144. Et deinceps usque ad pag. 153.* "Lectorem vult discere; quam videat apud Apologistam qui velit. Ad quæ omnia sic respondemus.

§ Ordinationis Formula quæ apud nos à primâ Reformatione obtinuit, magna ex parte ex Quarto *Concilio Carthaginensi*, cui *B. Augustinus* interfuit, desumpta est, atque eâ prudentiâ, eâ pietate, eoque judicio concinnata ut vix quicquam gravius, solidius aut quavis ex parte magis appositum excogitari queat. Neque alii ritus in Diaconorum, aut Presbyterorum aut ipsorum etiam Episcoporum Archiepiscoporumve Ordinatione atque Consecratione præter simplicem manuum impositionem & Sacrorum Bibliorum in manum Ordinati traditionem adhibentur; prout in ipsa Ordinandi Formulâ videre est. Placuit tamen censori nostro eam quâ potuit arrodere; scilicet inquit, ea nunc continet quibus Episcopos jure Divino Presbyteris præesse innuitur; cùm ante postremam illius recensionem, multa haberet ex quibus colligi posset Episcopum & Presbyterum non Ordine sed Gradu tantum differre. Quid differant Episcopus & Presbyter & quo jure nitatur supra istum, illius ὑπεροχῆ, a plurimis iisque viris longè doctissimis adeo abundè demonstratum est, ut si rem eamdem aggrediar, nihil aliud quam actum agere multis videri possim. Aliquid tamen de utraque quæstione posteà disserere, sed quam paucis potero, conabor. Neque enim jam in eo est Apologista, ut quærat num Ordine graduve differant Episcopus ac Presbyter, & an differentia illa jure Divino, an Ecclesiastico tantum nitatur; sed an Episcoporum & Presbyterorum Ordines Divinâ institutione diversos esse, ab initio emendatæ Religionis asseruerit Ecclesia Anglicana? an vero nuperum sit Reverendissimi *Laudi* Cantuariensis Archiepiscopi aliorumque recentiorum Prælatorum placitum, quæ istius calumnia est; quam jam sumus refutaturi.

§ *Primo*, in Præfatione quam Formulæ Ordinationis præfixerunt primi Ecclesiæ Anglicanæ Reformatores sub *Edvardo* Rege ejus nominis Sexto, disertè asseritur statim initio, *Constare non modò ex antiquorum*

rum Scriptorum monumentis sed ex ipsis etiam Scripturis Sacris, HOS *semper fuisse in Ecclesiâ ab ipsis Apostolororum temporibus, Ministrorum* ORDINES, EPISCOPOS, PRESBYTEROS, DIACONOS. Quibus Verbis *primò*, Episcoporum & Presbyterorum Ordines duo proindeque diversi statuuntur; Deinde ista Ordinum diversitas in ipsius Scripturæ Sacræ Authoritate proindeque in ipso Divino jure fundari affirmatur. Ut mira mihi, & quasi incredibilia de *Cranmero* Cantuariensi beatissimo illo Christi Martyre, aliisque sapientissimis *Cranmeri* in emendandâ Religione συνέργοις in Irenico suo narrare initio visus sit Doctissimus *Stillingfleetus*. Ea sane est viri illius præstantia, ut mihi dubium numquam fuerit, an sit penes ipsum liber Manuscriptus in quo habeantur quæ ex eo ait se transcripsisse. Sed primò cœpi ambigere an reverà *Cranmeri* aliorumque verè scripta sint, quorum nomina præ se fert istud Manuscriptum. Nam qui factum ut *Johannem Foxum* diligentissimum illum Actorum & Monumentorum *Cranmeri* aliorumque Martyrum compilatorem & Puritanorum factioni plus æquo addictum, aliosque non indiligentes Reformationis Ecclesiæ Anglicanæ Scriptores ea prorsus latuerint quæ habentur in isto manuscripto? Quî factum ut de iis *Carthwrightus* & alii Vetustiòres Puritani nihil audiverint? Nihil autem de iis audivisse isti credendi sunt, cum ne eorum quidem mentionem fecerint. Quî factum ut rei adeo memorabilis, qualis fuit illa tot virorum illustrium de rebus tantis Collatio, nullus illius temporis Historiographus meminerit? In ea enim (si Manuscripto fides) de multis iisque primariis Religionis Capitibus, ut & de jure Summarum Potestatum circa Sacra quæsitum est, & de iis omnibus inter Præsules amplissimos aliosque viros Doctos disceptatum. Præterea, cùm constet Ordinationis Formulam & Præfationem illi præfixam à *Cranmero* & Collegis conscriptas fuisse & publici juris factas eo ipso tempore & loco, nempe anno *Edvardi* Regis ejus nominis *Sexti*, primo, & in arce *Winsoriana*, quibus Manuscripta illa collatio habita esse supponitur, horum alterum consequi necesse est, scilicet, aut illos aliter privatim, aliter publicè sensisse ac docuisse, (quod Cardinalis *Perronius* alicubi antiquis Patribus imponit) quodque a veritate alienum credebant id toti Ecclesiæ imposuisse; & quod pejus longè foret, id Scripturis Sacris etiam acceptum retulisse. Quod *Cranmero* aliisque viris piis absit ut impingatur: Aut post communicatas invicem omnium sententias, in eam quæ in Formulæ Ordinandi Præfatione continetur, consensisse. Quod si verum est, prout verum esse suadent ratio & æquitas ut credamus, quid inde Puritanis Præsidii adversus Ecclesiam Anglicanam? Adde quod in eâ scheda quam *Cranmerus* subscripsisse creditur, multa continentur de jure summarum Potestatum circa Sacra, quæ Presbyterianis longè magis quam nobis adversantur.

adverſantur. In iis enim planè cum *Eraſto* ſentit *Cranmerus*. Hæc & ſimilia ſtatim occurrerunt quæ ad ea quæ nobis ex illo *Cranmeri* Manuſcripto objectantur reponerem, quæque ſatis eſſe ad ea diluenda nemo æquus non videt. Sed cum mihi probè notus eſſet Clariſſimus *Stillingfleetus*, placuit eum adire, rogareque uti mihi libri illius Manuſcripti copiam faceret; quod ab eo libenter factum eſt. Librum itaque inſpexi eumque qualem deſcripſerat, talem prorſus reperi. Verum cum neque diem neque annum exarati libri ullibi obſervarem, aliâ ratione in tempus quo facta eſt illa, de iis rebus diſquiſitio, inquirendum putavi; nempe ex tempore quo ii Præſules floruerunt, quorum nomina in eo libro leguntur. Qua in re operam ſuam ultro mihi præſtitit Cl. *Stillingfleetus*, petito ex Bibliotheca ſua *Goodwini* Herefordienſis Epiſcopi libro *de Præſulibus Anglicanis*; ex quo didicimus Diſceptationem quæ in eo Manuſcripto continetur, factam fuiſſe ante exactum annum milleſimum quingenteſimum quadrageſimum quartum, quo anno diem ſuum demum obiit *Edvardus Lee*, Eboracenſis Archiepiſcopus cujus nomen manu propriâ in eo libro, eodem tempore & eâdem occaſione cum cæteris Scriptum legitur. Unde errorem ſuum deprehendit ingenuéque agnovit Cl. *Stillingfleetus*, quod Diſputationem de quâ agitur regnum ineunte *Edvardo* Rege *ſexto* habitam crediderit; quæ triennio integro ante *Henrici octavi* obitum, inſtituta fuerat. Quod virum ſagaciſſimum in eum errorem induxit, hoc eſt; nempe teſtatur Reformatæ Eccleſiæ Anglicanæ Hiſtoria *Cranmerum* alióſque viros celebres in arcem *Windſorianam* Regis *Edvardi* juſſu ſtatim atque regnum adeptus eſt, conveniſſe ut in emendandæ Religionis opus incumberent. Cùm autem in eo libro Manuſcripto non modò *Cranmeri* nomen, ſed & aliorum multorum qui in opere Reformationis *Cranmero* tunc adjutores fuerunt, nomina legeret, neque coitionis illius quæ ſub *Henrico* Rege facta erat, ullus Hiſtoricus meminiſſet, nemini mirum eſſe debet ſi iſtam illam eſſe duxerit, maximè cùm in utroque conſeſſu de Religionis Capitibus Reformandiſque abuſibus actum ſit. His ita poſitis, reſpondeo. 1. *Cranmerum* eo tempore licet animum ad Reformationem propenſum haberet multis tamen adhuc erroribus circa ipſam doctrinam mancipatum fuiſſe; Unde nemo mirabitur ſi circa Eccleſiaſticum Regimen aliquid quoque erraverit. In illud tunc totis viribus *Cranmerus* aliique incumbebant, ut Romano Pontifici hactenus uſurpatum in Eccleſiam Anglicanam quemadmodum & in alias Occidentis Eccleſias, Primatum eriperent. Hinc factum pro more humano ἐκ τῆς ἁμίλλης ἀνθολκῆς, ut non Regi modò ſua, quæ Pontifex Romanus ad ſe rapuerat, ſed & quæ Eccleſiæ ipſius, Chriſtique Miniſtrorum erant, tribuerint, & ne primatum in cæteros Coepiſcopos Romano concederent, ipſorum etiam Epiſcoporum in Presbyteros ὑπεροχὴν con-

convellerent, eamque non Divino juri, sed Regiæ concessioni acceptam ferrent. Illis plurimi Pontificiorum errores jam tum perspecti erant, nondum tamen in omnibus clarè veritas illuxerat. In viâ errorum se diu ambulasse cognoscebant, sed rectam viam nondum repererant ad eam tantùm anheli properabant; huc illuc interea donec ad eam pervenirent incerti vagantes. Quod ingenuè agnoscit Reverendissimus *Cranmerus* his verbis, quæ à Cl. *Stillingfleeto* ex illius Manuscripto transcripta sunt. *Hac mea est, inquit, pro hoc tempore sententia. Id verò non temerè definio, sed rem totam Majestati tuæ submitto.* 2. Tantus fuit magni illius viri candor & tantus amor veritatis, ut cum affirmasset, 1. *Non modò penes Episcopum sed & penes Principem, imò penes ipsam plebem esse creare Presbyterum.* 2. *Eum qui sub* Evangelio *designatus est Episcopus aut Presbyter, nulla consecratione indigere, quod ad id satis sit electio atque designatio*; Contra verò sentiret *Leightonus* Doctor Theologus, cujus etiam circa easdem Quæstiones rogata est sententia, quam his verbis declaraverat; 1. *Suppono Episcopum juxta Scripturam habere potestatem à Deo, quatenus illius Ministrum, creandi Presbyterum. Quamquam non debet quemquam ad munus Presbyteri promovere, aut ad ullum Ministerium Ecclesiasticum admittere nisi impetratâ prius Principis Veniâ, in Republicâ Christianâ. Quod autem ullus alius juxta Scripturam habeat potestatem creandi Presbyterum neque, ego legi, neque ullo exemplo didici.* 2. *Suppono necessariam esse consecrationem, veluti per manuum impositionem. Sic enim docemur exemplo Apostolorum.* Tantus, inquam, fuit *Cranmeri* Candor & tantus amor veritatis ut in hanc *Leightoni* sententiam, propriâ mutatâ concedere non dubitaverit. Quod ex eodem Cl. *Stillingfleeti* Manuscripto libro manifestum est; in quo scilicet videas *Th. Cantuariensis* nomen manu propriâ ad calcem *Leightonianæ* sententiæ appositum, in signum approbationis. *Cranmerus* itaque non modo in Formulæ Ordinandi Præfatione, sed & in eo ipso qui penes est Cl. *Stillingfleetum* Manuscripto totus noster est. Nec si à nobis diversus tunc abiisset, inde sequeretur *Cranmerum* Ecclesiæ Anglicanæ Reformatorem primarium hac in parte aliter quam ipsum *Laudum*, sensisse; cum Reformationis opus, quod sub *Edvardo sexto* incepit ac tandem feliciter perfecit eo tempore, vix attigisset, licet jam tum ei non mediocriter faveret.

§ Sed in Ordinationis Formulâ, qualis à *Cranmero* & Collegis primum conscripta est, *multa fuisse*, ait Apologista, *ex quibus colligi possit Episcopum & Presbyterum, non Ordine sed Gradu tantum differre. Scilicet*, inquit, *primò dicebatur Episcopus, non Ordinari sed consecrari.* At vide, quæso, lector cordate, quæ sit Adversariorum nostrorum futilitas! Alter ille Puritanorum Apologiæ Gallicæ Scriptor, quem sæpius jam obiter perstrinximus, ex eo ipso quod *Consecrari* non *ordinari* dicebantur

dicebantur Episcopi, probari putat Episcopatum ab Ecclesia Anglicana haberi Ordinem diversum a Presbyteratu. "Quoniam volunt, *inquit*, "Episcopi Presbyterique distincta diversaque esse munera, diversis no-"menclationibus eorum vocationes significant. Presbyteri enim Or-"dinatio est; Consecrari verò dicuntur Episcopi. Quid facias istis hominibus, quo iis facias satis? Utinam convenirent, ut scire possemus quid illis placeat, quid displiceat! Aliis displicet quod Consecrari, aliis quod Ordinari dicantur Episcopi. In postremâ *Formula Ordinandi* editione dicuntur, tum Ordinari, tum Consecrari. Titulus enim nunc sic habet; *Formula Ordinandi seu Consecrandi Episcopos*; cum antea deesset Vox Ordinandi, quæ ideo inserta est, ut scirent isti morosuli per Episcopi Consecrationem, nihil aliud intelligi quàm ad Episcopatum Ordinationem. *Secundò legebatur etiam*, inquit noster, *in Ordinatione Presbyteri æquè ac in Consecratione Episcopi tertium caput prioris ad Timotheum Epistolæ.* Fuit quidem id, fateor, minùs appositum, ideoque alia Scripturæ Sacræ lectio, in istius locum substituta est in hac postrema Editione. Observandum tamen est Apologistam hìc, ut ubique malæ fidei manifestum teneri. Nam in Consecratione Episcopi prælegebantur tantum, quemadmodum nunc, septem priores capitis versiculi; in Ordinatione verò Presbyteri, reliqui omnes usque ad finem capitis. Præterea notandum, caput illud tertium prioris ad Timotheum Epistolæ, in Presbyterorum Ordinatione non solitum legi, nisi cum essent etiam qui eodem tempore Ordinarentur Diaconi. Unde pari jure concludas eumdem quoque esse Presbyteri & Diaconi, imò Diaconi & Episcopi Ordinem. Sed si ex eâ lectione rectè colligi possit Episcopi & Presbyteri eumdem esse Ordinem, quidni & eumdem esse utriusque gradum indè pariter inferas. Quàm verò sit in judicando aut imperitus aut iniquus Apologista, ex eo liquidum est, quod cùm disertis verbis affirmaverint Ordinandi Formulæ Authores, diversos esse Episcopi & Presbyteri Ordines, eos infirmis adeo rationibus, imò excogitato mendacio aliter sensisse, probare conetur. Nam falsum est quod tertio asserit, *eamdem verborum formulam usurpatam esse in creando Presbytero, quæ in creando Episcopo.* Formula Ordinandi Presbyterum sic habet. "Recipe Spiritum Sanctum. Quorum remiseris pec-"cata, remittuntur: Et quorum retinueris peccata, retinentur. Tu ve-"ro esto fidelis Verbi Dei & ejus Sacramentorum Dispensator, In nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti, Amen. *Et statim, cùm traditur ei in manus Sacra Biblia.* "Recipe authoritatem prædicandi "Verbum Dei & administrandi Sancta Sacramenta in eo cœtu in quo "id muneris tibi demandabitur. *Formula verò Consecrandi Episcopum sic*: "Recipe Spiritum Sanctum & memineris ut excites gratiam Dei "quæ in te est per manuum impositionem. Non enim Spiritum timoris

Apologie des Puritains Anglois. p. 35

"timoris nobis dedit Deus, sed virtutis, charitatis & sobrietatis. *Deinde, dum traduntur ei Sacra Biblia*; "Attende lectioni, exhortationi "& doctrinæ. Ea meditare, quæ in hoc libro continentur. Esto se- "dulus in iis, ut quæ inde capies incrementa, omnibus manifesta "fiant. Attende tibi & doctrinæ, & in iis præstandis sedulam dato "operam, &c.

§ 2. Cùm anno millesimo, quingentesimo, sexagesimo secundo (qui quartus erat initi ab *Elizabetha* imperii) recenserentur Religionis Articuli, Ordinationis Formula (in cujus Præfatione tres diversi Ministrorum Ecclesiæ Christi Ordines ab ipso Apostolorum ævo in Ecclesiâ fuisse dicuntur) expresse ab utriusque Provinciæ *Cantuariensis* atque *Eboracensis* Synodis, unanimi Patrum consensu approbata est. Deinde anno etiam 1571, quo iidem Articuli denuo confirmati sunt earumdem Synodorum authoritate, confirmata quoque est eadem Ordinationis Formula cum Præfatione.

§ 3. Anno 1573. *Johannes Whitgiftus* S. S. Th. Doctor, vir eruditissimus, primùm *Wigorniensis* Episcopus, deinde Archiepiscopus *Cantuariensis*, jus Divinum Episcopatus adversus *Thomam Carthwrightum* illius temporis Puritanorum Antesignanum, ex mente Ecclesiæ Anglicanæ propugnavit; quod vel ex eâ patet *D. Francisci Knollii ad Honoratissimum D. Robertum Cecilium Epistolâ*, quam laudat Apologista, & integram exhibet pagina 182. Hæc enim habet *Knollius*, Apologistâ interprete; "Quod verò dicit Dominatio vestra, Episcopos non *Apol.* p. 183.
"amplius vendicare sibi Dominium in Fratres jure Divino, illudque ac- "ceptum referre Regiæ Authoritati, hoc si verum sit, palinodiam ca- "nat oportet Archiepiscopus Cantuariensis, revocetque quod scripsit "in magno illo libro contra Carthwrightum. In eo enim disertis ver- "bis ait Superioritatem Episcoporum Divini Juris esse. Quæ cùm censor noster, non melioris homo memoriæ quam fidei aut judicii, ipse allegaverit, non veretur tamen asserere Episcoporum & Presbyterorum distinctos Ordines, Reverendissimum *Laudum* tanquam quid novum & antea in Ecclesiâ Anglicanâ inauditum, primum omnium defendisse.

§ 4. Quin ex iisdem *Knollii* Verbis liquidum est Episcopos, suam ὑπεροχὴν quam ille perperam atque odiosè vocat, *Dominium in Fratres*, ante illud tempus, adeoque à prima Reformatione Juri Divino acceptam vulgò retulisse, tantùm abest ut R. R. *Laudus* hujuscè sententiæ in Ecclesiâ Anglicanâ primus Author extiterit. Id enim hæc clarè significant. *Quod dicit Dominatio vestra, Episcopos non* AMPLIUS *vendicare sibi Dominium in Fratres jure Divino, &c.* Ista vero omnia gesta ac scripta sunt priusquam R. R. *Laudus* ex utero matris prodiisset.

§ 5. *Sutlivius*

§ 5. *Sutlivius* Exoniensis Ecclesiæ Decanus, itemque *Hadrianus Saravia*, gente Belga sed Ecclesiæ Cantuariensis Præbendarius, viri doctissimi circa idem tempus, hoc est, Paulo post annum 1590. Episcopalem προστασίαν tanquam ipsius Christi Domini beatissimorumque Apostolorum institutionem scriptis luculentis tutati sunt.

§ 6. *Thomas Bilsonus* Wintoniensis Episcopus, vir eruditissimus Paulò post Serenissimum JACOBUM Angliæ Regem inauguratum, Anglicè primùm, deinde etiam Latinè Scriptum luculentum edidit, *De perpetua Ecclesiæ Christi Gubernatione*, quam semper penes Episcoporum Ordinem, quorum administri fuere Presbyteri & Diaconi, fuisse contendit. Ut plane incredibile sit adeo deliravisse *Holandum* illum Oxoniensem Professorem, ut, quod ait Apologista, præstantissimo *Laudo*, *Schisma & animum ad Papismum propensum, ideo impegerit, quod Episcopatum ordinem esse à Presbyteratu distinctum asseruerit.* Illi enim omnes viri eximii, qui idem cum *Laudo* diu ante Scriptis publicis asseruerant, & fraternam cum omnibus Transmarinis Reformatorum Ecclesiis communionem coluerunt, & Pontificiorum errores cùm voce tum libris èditis suo quisque tempore, magno zelo confutarunt. Quod idem ipsum etiam R. *Laudum* egregiè præstitisse adversus *Fisherum Jesuitam*, novit universa Magna Britannnia, & sentiunt Pontificii qui ante quinquennium magno Præsuli respondere, sed frustra, conati sunt; prout à duobus, quos nactus est, ὑπερασπισταῖς fortissimis nempe eruditissimo *Merico Casaubono*, & eo ipso *Edvardo Stillingfleeto*, quem ego & Apologista supra uno ore laudavimus, demonstratum est. Quibus adde vulgarem esse, ut infra dicetur, Ecclesiæ Romanæ Theologorum sententiam, Episcoporum non esse Ordinem distinctum; adeo ut *Holandus* non *Laudus* cum Theologis Papistis sentiret.

§ 7. Possem & *Downamum* virum Doctissimum, & Celeberrimum *Andream* Wintoniensem Episcopum aliosque laudare, qui in eamdem sententiam scripserunt, cum vix *Laudi* nomen auditum fuisset. Ut satis mirari nequeam *Georgii Hornii*, de quo mox plura, ad mentiendum projectam licentiam, qui affirmare non erubscecit, idque in compendio Historiæ Ecclesiasticæ, *Prælatos nec sub Elizabethâ nec sub Jacobo, ausos esse Hierarchiam juris Divini facere. Rex Jacobus*, inquit, pergens in mendacio, *flagrantissimus Episcoporum pater non tamen unquam eo adigi potuit, ut Episcopos jus Divinum sibi arrogare permitteret.* Quod a vero adeo alienum est, ut non modo ferre non potuerit, *Gersonem Bucerum*, cui tantum fuit scribendi Cacoethes, ut adversus *Downami* Concionem Anglicam de jure Divino Episcopatus, Latinè, præter omnem rationem, scribere voluerit; sed ut *Petrum Molineum* Episcoporum προστασίαν, rem esse juris Divini simpliciter negantem, vix, nec nisi cum gravi increpatione, tulerit. *Tria sunt*, inquit Molineus, *quæ in meo*

G. Horn. *Hist. Eccles. Artic. 3. sect. 27.*

meo libro (de Munere Pastorali) *Regem* (Jacobum) *præcipuè offenderunt; Primum est illud quod dixi, in Novo Testamento Episcopi & Presbyteri nomina promiscuè pro iisdem accipi. Alterum est, quod assero unum eumdemque esse ordinem Presbyteri & Episcopi. Tertium est, idque gravissimum N. B. quod censeo Episcopalem προστασίαν non esse juris Divini.* Eidem Regi Serenissimo librum supra memoratum de *Perpetua Ecclesiæ Gubernatione* nuncupavit *Wilsonus.* En ut *Jacobus eo adigi non potuit quod ait iste, ut Episcopos jus Divinum sibi arrogare permitteret!* Innumera sunt ejusdem hominis Commenta falsissima in eâ Historiæ Ecclesiasticæ parte, in qua de rebus Ecclesiæ Regnique Anglicani disserit, quæ instituti nostri ratio non patitur ut hic indigetem. Præterquam quod Cordatis lectoribus hujusce unius manifestissimi mendacii detectio satis fuerit ad Cautelam, licet ei Scriptori pudor non sit promittere, " se traditurum tum ipsi visa & audita coram,

Ibid. sect. 10. " tum ex aliorum, qui fide digni sunt, monumentis deprompta, *id-* " *que, quo facilius ipsi credas,* quia multi vana ac falsa, partim ob igno- " rantiam, partim odio indulgentes ac partium studio, spargunt. Authores autem ex quorum monumentis deprompsit quæ fabulatur in Historiâ, sunt *Bastwicus,* aliique ejusdem farinæ homines, qui ob ea ipsa mendacia, quæ Historiæ suæ inseruit, calumniæ postulati ac rei peracti coram Magistratu, auriculis mulctati sunt. Ut quod ridiculè

Fulgentius in vita Pauli Sarpi. à quodam indocto fratre cœnobitâ, celeberrimo illi Veneto *Paulo Sarpi* ex Historia Argumentanti in publica disputatione responsum est, nempe, *Historia est, non vera Narratio,* de *Hornii* Historia Ecclesiasticâ jure dici possit. Omnino simile judicium ferri debet de illius Historia qui sub nomine *Honorii Reggi,* de rebus nostris scripsit, itemquè de *Historia motuum nuperorum in Scotia,* atque de alio rerum nostrarum Scriptore, Gallico idiomate, nempe *Salmoneto,* Scoto-Britanno. Is cùm ob patratum enorme scelus, saluti suæ fugâ consuluisset, mutato patriæ solo, religionem quoque mutavit factus Pontificius. An sit ejusmodi homini transfugæ & Apostatæ de rebus Ecclesiæ aut Reipublicæ quas deseruit, scribenti fides habenda, lector prudens judicabit. Id illi, ut & *Honorio Reggo, Hornio, Scoticorum* Motuum Scriptori, aliisque familiare est, ut Regis Ecclesiæque Anglicanæ hostium calumnias seu ex ignorantia, seu studio partium pro rebus certis & compertis tradant. Horum omnium qui hactenus de rebus apud nos nuper gestis scripserunt Latino idiomate, unus *Bateus* dignus est qui legatur; Quamquam etiam ab Anonymo scriptore propensi nimium in Puritanos animi nuper est accusatus. Sed in viam.

§ Concedit quidem Apologista, *Bancrofto,* qui *Whitgifto* in Archiepiscopatu Cantuariensi successit, *ea semel pro concione excidisse quæ jus divinum ὑπεροχῆς Episcopalis viderentur adstruere.* Quibus verbis hæc

duo

duo imperitis lectoribus imponit, scilicet R. *Bancroftum* qui regnante Elizabethâ celebrem illam in æde S. Pauli, concionem habuit, primum omnium eam sententiam in Ecclesia Anglicana publicè defendisse; nec tamen id sibi proposuisse, sed quasi imprudenti excidisse; cùm tamen id unum egerit totâ concione. Neque magis sincerus est cum ex *Johannis Rainoldi* Epistola probare satagit Ecclesiæ Anglicanæ Theologos, qui sub *Elizabetha* floruerunt, à *Bancrofti* sententia abhorruisse. Nam præterquam quod contrarium jam evicimus; licet *Johannes Rainoldus* vir simul doctissimus atque modestissimus quam longissimè abfuerit à Presbyterianorum hodiernorum moribus (qui Ecclesiam Anglicanam quantum in ipsis fuit funditus everterunt, eamque furentium instar undequaque etiamnum impetunt, cum quâ *Rainoldus* semper communionem coluit, ipsi in iis etiam quæ minus probabat, morem gerens, & in cujus sinu piam animam Deo reddidit) Puritanis tamen plus æquo favisse testatur vel unus *Hampton-curianus Consessus*. Ex illo itaque quid Ecclesia Anglicana hac in parte senserit cognosci nequit. Idem dici potest de *Humphredo* & *Fulcone*, quos *Rainoldus* quasi sibi ὁμοψήφους producit; de quibus vide ipsum Apologistam, pagina 72. Celeberrimum *Juellum* Sarisburiensem & *Pilkingtonum* Dunelmensem Episcopum quod spectat, præterquam quod Ordinationis Formulam & illius Præfationem de quibus supra, calculis suis in Synodo anno 1562, cui uterque interfuit, approbarunt, frustra ex eorum scriptis privatis quæritur Ecclesiæ Anglicanæ doctrina. Idem dictum esto de *Whitakero*. Sed neque negant Episcopos jure Divino esse Presbyteris superiores, sed nolunt *Aerium* hæreticum fuisse, ne alii tum veteres tum recentiores viri cætera eximii, qui ipsis cum *Aerio* sentire videntur, habeantur quoque Hæretici. Quid Exterorum Ecclesiæ Reformatæ, quas *Rainoldus* à suis partibus stare ait adversus *Bancroftum*, de Episcopali Regimine sentiant, & utris faveant, Schismaticis, an Ecclesiæ Anglicanæ, postea dicetur. Id verò ut melius dignoscatur commodum, hic excutienda veniunt, quæ *Rainoldi* Epistolæ subjungit Apologista, ut probet Presbyterianos nec a modestia recessisse, nec sine ratione insanivisse, cum Episcopos suos legitimos abjecerunt. "At cum "*Laudus*, inquit, ad dignitatem Cantuariensem evectus esset, eò crevit *Apol.p.153.*
"Prælatorum ambitio, ut omnem potestatem tum Ordinis, tum Jurisdictionis penes se solos statuerent; se solos Apostolorum Successores jactitarent, adeo ut Senatus Parlamentarius & Conventus "Theologorum, tandem jugum illud excuterent & ejurarent. Quod "illorum Consilium multi ideo arrodunt, quia nihil de eo intelligunt. "Vulgus non modò hominum sed & Theologorum omnem imparitatem Ecclesiasticam Fœdere solenni eliminari credit. Cùm tamen "Certum sit, eliminari illam solam Hierarchiam quæ tunc invaluit;

"scilicet,

" scilicet, Regimen Ecclesiæ per Archiepiscopos, Episcopos, Decanos, " Decanos & Capitula, Commissarios. Hoc professus est Colemannus in " ipsamet illa concione quam habuit *Sept.* 29. 1643. Coram variis Nobi-" libus, Equitibus, Generosis, Chiliarchis, Capitaneis, multisque The-" ologis Londini Commorantibus; & è Scotica gente non paucis, cum " Fœdus icerunt. Hanc Fœderis Expositionem, adeo non damnavit " Domus Communium, ut sequente die, actis ei per Chiliarchum Long " ob laborem quem exantlarat, gratiis, imprimendam curaret. Idem " de se multisque aliis testatur *Gataker* in Tractatu Apologetico con-" tra *Lilium, p.* 24, 25. illo Fœdere non obstante liberum esse Presby-" terianis recipere Præsides Presbyteriorum sive annuos, sive perpe-" tuos, non Principes Cleri. Et quidem in Declaratione de rebus Ec-" clesiasticis spem nobis fecerat Rex Serenissimus fore, ut Episcopatus " intra limites, quos ei præscripsit antiquitas, contineretur. At nunc " planè eâ de spe excidimus, & tales Episcopos Ecclesiæ Anglicanæ " obtrudi cernimus, quales sine perjurio, gravissimoque Ecclesiarum " omnium Reformatarum Scandalo non possumus recipere. Pergit in incœpta criminatione adversus R. *Laudum* & cæteros R. Episcopos qui unà cum ipso, postquam ad sedem Cantuariensem evectus est, Ecclesiam Anglicanam rexerunt; conaturque Lectoribus rerum nostrarum imperitis persuadere unam Præsulum ambitionem & novum in reliquum Clerum & plebem usurpatum imperium causam fuisse Episcopalis Ordinis à rebelli Puritanorum Parlamento penitus abrogati. Norunt autem quotquot Reformatam Ecclesiam Anglicanam norunt, qualis fuit sub *Edvardo* Rege Sexto & sub *Elizabetha*, nihil omnino in illius Politia, à Reverendissimo *Laudo* aliisve quibuscunque ejusdem temporis Co-episcopis fuisse immutatum. Non aliam illi sive Ordinis sive Jurisdictionis potestatem sibi attribuerunt, quam quæ à Decessoribus suis, Viris pientissimis & de Reformata Religione optimè meritis, usurpata est; non aliam sibi Apostolicam Successionem Vendicarunt, quam quæ ab iis asserta est; Ecclesias curæ suæ demandatas non pro libidine, sed juxta Normam Ecclesiasticæ Disciplinæ communi totius Cleri consensu in Synodo Londinensi anno 1604. quæ *Jacobo* regnante, celebrata est, præscriptam, rexerunt; Quin ipsi potiùs de jure suo nonnihil remiserunt, ut ex Canonibus Synodi anno 1640. habitæ, cui præfuit R. *Laudus*, videre est. Sed cùm ferociùs & impudentiùs quàm unquam anteà in Ecclesiæ authoritatem insurgerent Puritani, Disciplinamque contemptim haberent atque aperte violarent, & cùm libris editis tum etiam pro concione passim insectarentur, & facinus in Regem & Ecclesiam quod tàndem perpetrarunt, incœptarent sedente in Cathedra Cantuariensi Rev. *Laudo*, istorum moliminibus pro virili obsistere suum esse duxit; sed irritis conatibus. Nam altiores jam tum radices egerat

improba

improba factio, quam ut evelli possent. Hinc illud adversus virum eximium *Puritanorum* omnis generis, plusquam Vatinianum odium, atque uti vel ex hac illorum Apologia patet, nullis modis, nec extremo quidem supplicio, quo eum immerentem per summum nefas affecerunt, expiabile. Calumnia igitur mera est, jugum novum à Cantuariensi & Co-episcopis, Ecclesiæ Anglicanæ impositum, quod unum Senatus Parlamentarius & Conventus Theologorum (Westmonasteriensem illum intelligit de quo *cap.* 2.) excusserint & ejuraverint. Hoc idem tamen affirmare non verecundatur jam supra notatus *Georgius Hornius.* "Sub CAROLO, inquit, omnia in pejus non ire, sed ruere; maximè postquam ad Archiepiscopatum Cantuariensem emersit Gulielmus Laud, *quem, homo ad mentiendum atque calumniandum conductus,* ambitiosissimum, turbulentum, crudelemque *dicit*, cujus præcipuum opus fuerit, novas introducere parum à Papismo discrepantes Ceremonias, persequi illos qui eis se conformare nolebant; Denique Ecclesiam Anglicanam, Scoticam & Hibernicam, (*Hic Puritani Schismatici Ecclesia sunt*) miris modis affligere, opprimere ac perturbare. Nempe Ecclesias Britannicas affligere & opprimere est, earum antiquam Politiam adversus Novatores atque Schismaticos tueri. Oblitterarunt & ejurarunt eam ipsam Politiam Ecclesiasticam Presbyteriani, quæ *Edvardo* Sexto & *Elizabetha* regnantibus in Ecclesia Anglicana obtinuerat, & quæ à *Crannero, Ridleio, Hoppero*, aliisque multis pietate & doctrinâ Viris Illustribus, qui Religionem apud nos à fœdis Papismi corruptelis repurgarunt, & repurgatæ veritatem fuso sanguine obsignarunt, constituta & administrata est. Quod vel ex iis Apologistæ verbis, quibus contrarium probare nititur, manifestum est.. Ait enim, *eam Fœdere solenni eliminari Hierarchiam quæ tum invaluit, scil. Regimen Ecclesiæ per Archiepiscopos, Episcopos, Decanos, Decanos & Capitula, Commissarios*, &c. Quasi vero Regimen illud Cantuariensis & Reliquorum illius Coepiscoporum ambitione fuerit in Ecclesiam Anglicanam introductum, & non semper idem à prima Reformatione apud nos obtinuerit, non modò Synodica authoritate, sed Ordinum etiam Decreto à Majestate Regiâ sancito, constitutum. Certè non magis penes Senatum Parlamentarium & Westmonasteriensium Theologorum Conventum fuit Regimen Ecclesiasticum ea authoritate stabilitum & firmatum excutere & novum introducere, quam penes Conventum Ordinum Galliæ Parisiis, dum ibi regnabat Henotica factio, habitum, *Henricum Navarrenum* abdicare & *Borbonium* Cardinalem, Regem creare; aut penes Tridentinum Conciliabulum universæ Ecclesiæ Christi leges ferre. Nempe *Tridentinos* Ecclesiæ Universalis Concilium, ac Westmonasterienses Anglicanæ Synodum constituisse, jure pari dixeris.

G. Hornii *compend. Hist. Eccles. Part 3. Art. 3. sect. 17.*

9 "Sed professus est Colemannus, *inquit*, an. 1643. Coram variis

"Nobilibus

" Nobilibus, Equitibus, Generosis, Chiliarchis, Capitaneis, &c. (*qui* " *scilicet in procinctu erant ad deturbandum de solio Regem & de Ca-* " *thedra Episcopos,*) fœdere solenni non eliminari omnem imparitatem " Ecclesiasticam, sed tantum Hierarchiam. Quam Fœderis expositi- " nem non damnavit Domus Communium. Gatakerus etiam pro se " aliisque testatur, illo fœdere non obstante liberum esse Presbyteria- " nis recipere Præsides Presbyteriorum sive annuos sive perpetuos, non " Principes Cleri. At *primò*, quid hoc ad probandum Senatus Parlamentarii Theologorumque Westmonasteriensium propositum, *quod multi arrodunt quia de illo nihil intelligunt*, fuisse tantum, ut nova Prælatorum audaciæ incrementa excuterent? *Secundò*, de eo non querimur, quod *omnem*, sed quod ullam imparitatem Ministrorum Christi, duo isti Perduellium atque Schismaticorum Conventus, ab Ecclesia eliminaverint, cùm nulla apud nos non legitima obtinuerit; cumque, etiamsi eâ in re aliquid reformari debuerit, nihilo plus hac in parte potestatis habuerint, quam Perduelles Parisienses in creando Galliarum Rege, aut Tridentini in novis Fidei Articulis procudendis, prout primo & secundo capitibus demonstratum & jam à nobis observatum est. *Tertiò*, ut scias quo Authore utatur Apologista, ut ostendat quid de regimine Ecclesiæ sentiant Presbyteriani, adi *Georgii Hornii* (hominis Presbyterianorum factioni ita mancipati ut ab illis pretio fuisse conductum meritò suspiceris) *Historiæ Ecclesiasticæ compendium*, unde discas, quis sit *Colemannus* iste, qualisque fuerit illius concio, quam allegat hic noster. " Quidam Colemannus Pastor Londinensis, *inquit Hornius*, videns paratos Novaturientibus sectatores & instinctu Politico- " rum, tertiam viam regiminis Ecclesiastici aperuit, ex Erasti lacunis " haustam. Is Vana prurigine motus sparsit in concione ad Parlamen- " tum habita, prima semina Erastianismi, & regimen Ecclesiæ Ma- " gistratui dedit, qui per Intermisticos Commissarios Ecclesiam guber- " naret. Scotorum legatos criminabatur, quod causa sine dissidiorum " in Synodo, & Nationalem determinationem secum attulerint. Ex quibus magis magisque Apologistæ ingenium nosce. Conscius quam sit alienum ab Exterorum Reformatorum sententia, ut Episcopatus quasi intolerabile malum ab Ecclesia eliminetur, aliquem Ecclesiæ Anglicanæ Adversarium producendum censuit, qui ad Transmarinorum fratrum moderationem aliquantum accedere videretur. Qui cùm inter veri nominis (ut ipse loquitur) Presbyterianos non occurreret, hominem laudavit illi Independentium Sectæ addictum quæ *Erasti* vestigiis insistit. Perinde ac si ex eo quod *Ludovicus Molinæus* Doctor ille Medicus, ejusdem Sectæ homo, pro restituendis Episcopis scripsit, cùm Parricida *Cromwellus* rerum potiretur, quia tum è re Tyranni esse putabatur, ut restituerentur, inde quis inferret, Presbyterianos Episcoporum regimen

Vide in collectione Epistolarum Molin. aliorumque ab Ægidio Duræo Gallice edita.

regimen nec abrogasse, nec abrogandum censuisse, imò restitutum voluisse.

Quartò, non quod *Gatakero*, aut aliis aliquot moderatioribus Presbyterianis de Ministrorum gradibus visum sit, sed quid ab universa factione actum fuerit, spectandum est. Quamquam & in ipso *Gatakero* modestiam & veritatem quis jure desideret, qui istâ suâ distinctione innuere videtur inferiori Clero Dominari Ecclesiæ Anglicanæ Episcopos; à quo quàm longè absint postea palam fiet. Denique ex ipso Apologistâ manifestum est, omnes conjuratos isto solenni Fœdere sese adstrinxisse ad omnem Ministrorum imparitatem ab Ecclesiâ Anglicanâ eliminandam. Jurarunt enim se Ecclesiam Anglicanam *juxta optimè Reformatas exterorum Ecclesias, Reformaturos.* Atqui Apologistæ & iis quorum causam agit, Ecclesiæ illæ optimè Reformatæ videntur, à quibus exulat omnis inter Ministros imparitas. "Ecclesia Palatina fruatur, *inquit*, quod per Presbyte- "rianos licebit, suo Regimine; quæ tamen si omnimodâ æqua- "litate gauderet; firmiùs muniretur contra molimina ambitionis "& typhi secularis. Ex quibus patet istos, dum quiritantur, se "eâ spe, quam illis fecerat Rex Serenissimus, fore scilicet ut "Episcopatus intra limites, quos ei præscripserat antiquitas, con- "tineretur, planè excidisse, & lectoribus imponere, atque id "tantùm nunc commemorare ad invidiam Serenissimo Regi cre- "andam, quasi promissis non stetisset. Nam si quævis inter Christi Ministros inæqualitas eorum judicio malum sit; à quo cavere debet Ecclesia; si ideo non satis munita adversus ambitionis & typhi sæcularis molimina in Archi-palatinatu ipsis videatur, quod ibi subsit *Superintendentium* seu *Inspectorum* quos vocant, regimini; Si denique eæ Ecclesiæ, ad quarum Normam, Anglicanam effingere jurejurando sese adstrinxerant, omnimodâ inter Ministros æqualitate gaudeant, quis non videt nullos prorsus Episcopos quibuscunque limitibus circumscriptos, ab iis sine perjurio ferri posse, si perjurium est, prout eis videtur, ab iniquo illo juramento recedere? Ideoque perinde fuisse, sive coarctaretur Episcoporum auctoritas, sive consueto jure frui & gaudere sinerentur. Quod postremum cùm Parlamento, non mutilo; non coacto & ad paucorum factiosorum & rebellis exercitus nutum suffragia ferenti, (quale fuit illud de quo Apologista) sed pleno, & ab omni vi & coactione liberrimo, cujus sapientibus consiliis sese totum in eo Negotio permisit Rex

Apol. p. 185.

X x Serenissimus

Serenissimus, magis è re visum fuerit, liberata est coram Deo atque hominibus (prout ab ipso Parlamento unanimi consensu ante aliquot annos declaratum est) Regiæ Majestatis fides, si quam dedit. Id verò quicquid est juris, en tale sit, ut Episcopi eo uti, frui, & gaudere in Ecclesia Anglicana non possint, *sine gravissimo Ecclesiarum omnium Reformatarum scandalo*, quod temerarius Apologista nec jussus nec rogatus audet affirmare, suo loco videbimus.

§ Priusquam huic capiti finem impono, operæ pretium futurum mihi videtur ad elucidandam totam hanc de Ecclesiastica Politia Disputationem, duo hic explicare. Prius est, quod si Episcopos à Presbyteris gradu differre concedant adversarii, quod innuit Apologista, cum ait, "non fuisse olim cur Ordinationis Formulæ "subscribere multum detrectarent; Quin in ea multa fuisse, è "quibus concluderent, Episcopum & Presbyterum differre non "Ordine, sed gradu tantùm, si inquam, id concedant adversarii; non esse, meâ quidem sententiâ, cur ultra invicem hic digladiemur. Satis enim futurum videtur ad Episcopalem ὑπεροχὴν asserendam, si eorum Gradui tantum tribuatur, quantum ad eorum Ordinem pertinere contendimus. Nam quamquam viri subtiles ita distinguunt inter Ordinem & Gradum, ut Ordo sit potestas ad actum specialem, Gradus vero superior in eodem Ordine dignitas atque præeminentia, quæ potest esse sine speciali potestate, qualis est Archiepiscopi præ Co-episcopis; Gradus tamen dicuntur Diaconatus, in ipsa Scriptura Sacra, & Presbyteratus apud antiquos Patres, ut vel ex celebri illo Calcedonensis Concilii Canone liquet, in quo pronunciat Synodus ἱεροσυλίαν τὸ ἐπίσκοπον εἰς πρεσβυτέρου κατάγειν βαθμόν. Diaconatus autem & Presbyteratus omnium consensu duo sunt distincti Ordines. Quamquam itaque unus eorum Ordo rectè dici nequit, quorum eadem non sunt munera, quorumque non est una eademque Ordinatio; modò tamen specialis potestas, Ordinandi puta, quam ad Episcopum pertinere ipse Hieronymus agnoscit, Episcopis tribuatur, eorum non Ordo, sed Gradus, per me licet, dicatur. Certè *Hadriano Saravia*, cum Episcopalis προστασίας Jus Divinum adversus *Theodorum Bezam* defenderet, licet sæpius ab adversario ea questio mota sit, an Ordine, aut verò, Gradu tantùm differant Episcopus & Presbyter, in eâ immorari non visum est operæ prætium. Dicenti *Bezæ*, Ordinem cum Gradu *Saravianus*

Apol. p. 143.

1 Tim. 3. 13.

ravianus

raviam confudisse, sic reponit vir doctissimus; "Ordo mihi Gradum significat ——— In Ecclesia sua si dicam Christum diversos constituisse Ordines, vel diversos Ministrorum Gradus, idem significavero. Nec enim diversi Ordines dici possunt nisi respectu graduum diversorum. Et gradus dicitur respectu inferioris & Superioris. Hominum dignitas & honoris locus, Gradus & Ordo vocatur ab iis quos Latinè loqui B. *Beza* non docebit. Apud Romanæ eloquentiæ Principes lego, *Senatorum Gradum & Senatorum Ordinem*, idem significare. Sed Hieronymus de hac eadem re differens, de qua inter nos controvertitur, Ordinem & Gradum pro eodem accipit, adversus *Jovinianum*. Non dicitur, *inquit*, siquis Episcopatum, desiderat, Gradum, sed bonum opus desiderat, quòd in majori Ordine constitutus possit, si velit, occasionem exercendarum habere virtutum. *Hadrian. Sarav. de diversis Ministr. Gradibus. p. 253.*

§ Posterius illud quod hic explicandum duxi, majoris est momenti ad hujusce Controversiarum nostrarum Capitis intelligentiam, nempe quid sit *jus* illud *Divinum*, quo stare Episcoporum seu Ordinem seu Gradum affirmamus. Jure Divino aliquid esse, duobus præsertim modis dici potest. 1. Cùm Præceptum Divinum de eo extat, hoc est, si Deus Verbo suo expressè mandaverit, ut semper & ubique aliquid obtineat & servetur. 2. Cùm Christi, Beatorumve Christi Apostolorum instituto, exemplo atque approbatione aliquid nititur, licet expressum de eo præceptum in Scriptura nuspiam extet. Priore modo omnibus Christi Ministris incumbit Evangelium prædicare & Sacramenta administrare. Ad ista duo enim vocantur & obligantur hisce Christi Domini præceptis. *Ite docete omnes gentes, baptizantes, &c. Hoc facite, &c.* Posteriore modo Diei Dominicæ observatio Juris est Divini. Quamquam enim de ea nihil præceperunt Apostoli, eam tamen & ipsi observarunt & ab Ecclesiis Christi antequam in Cœlum migrarent, observari viderunt & approbarunt. Episcoporum supra Presbyteros Προστασία si posteriore modo Juris Divini esse affirmetur, id vix quisquam negaverit, qui ea, quæ in Scriptura Sacra & Veterum monumentis de Politia Ecclesiastica habentur, animo sedato & præjudiciis vacuo attentè perlegerit. Quod si concedatur, id satis fuerit, ad tuendam Ecclesiæ Anglicanæ Politiam, illiusque, quandoquidem id nobis divinitus concessum est, contra Schismaticos Anglicanos,

nos, qui regimen ab ipso Christo & Apostolis institutum vi & armis, sed & omni contumeliarum & Sycophantiarum genere evertere & extra Ecclesiam eliminare conati sunt, retinendæ necessitatem adstruendam. Quid de Ecclesiarum extra Angliam Reformatarum Pastoribus sentiamus, & quantum a Sacri Ministerii apud nos usurpatoribus differre existimemus, Capite VII. declaratum est.

C A P.

CAPUT. XXIX.

Gulielmus Laudus R. R. Cantuariensis Archiepiscopus ὁ μακαρίτης adversus Irenæi Philadelphi, hoc est, Lud. Molinei Medici, in Epistola ad Renatum Verdæum, calumnias iniquissimas Vindicatur.

Cur R. R. LAUDI *Cantuariensis liber contra* Fisherum *Jesuitam, hic adversus* Ludovici Molinæi *calumnias Vindicetur.* Mericus Casaubonus & Edvardus Stillingfleetus *eruditissimi Theologi eum librum à Pontificiis acriter impugnatum, ne Protestantium rebus deessent defendendum duxerunt; at* Ludovicus Molinæus *Doctor Medicus Protestantium causam eo ipso libro Pontificiis proditam contendit.* 1. Quòd Cantuariensis Disputatio adversus *Fisherum* propior sit amicæ Collationi inter duos fratres in paucis dissidentes, quam disceptationi inter duos adversarios, 2. Quòd spoliet Scripturam Sacram authoritate Judicis. 3. Quòd Traditiones Ecclesiæ extollat supra divinam legem, 4. Quòd summum Controversiarum judicium asserat pertinere ad Ecclesiam Romanam. 5. Quòd Ecclesiam Anglicanam Romanæ membrum faciat. 6. Quòd Ecclesiæ Romanæ errores extenuet & eam offendere vereatur. 7. Quòd Purgatorium, Transubstantiationem & exemptionem à Calice esse dogmata improbabilia, tantùm, dicat. 8. Quòd Reformatorum cœtus extra Angliam indignos esse affirmet qui Ecclesiæ Catholicæ membra censeantur.

9. Quòd

9. Quòd Reformationem à *Luthero* in cœptam vocet deplorandum Schisma. 10. Quòd Reformatorum Principilos proscindat & *Calvinum* appellaverit nebulonem. 11. Quòd Pontificiorum distinctionem Verbi Dei in Scriptum, & non Scriptum, approbat & asserat. *Quæ omnia falsò & per summam calumniam Reverendissimo Archi-præsuli imposita esse demonstratur.*

CUm celebrem illam GULIELMI LAUDI Reverendissimi Cantuariensis Archiepiscopi τοῦ μακαρίτου Disputationem adversus *Fisherum* Jesuitam in his Vindiciis non semel laudaverim, ut virum magnum ostenderem Religionem Reformatam sincero animo coluisse; Et ea ipsa Disputatio excellentissimo pientissimoque Principi CAROLO I. talis visa fuerit, ut in cœlum migraturus, illius assiduam lectionem liberis suis commendaverit, quo meliùs ab Ecclesiæ Romanæ erroribus sibi caverent; Ausus sit tamen Pseudo *Irenæus Philadelphus*, vero nomine, *Ludovicus Molinæus*, Doctor Medicus, is ipse qui ab eruditissimo celeberrimoque *Dallæo*, *Jatropolitico Theologus*, vocatur, Reverendissimum Antistitem (quod jam à me superius observatum est) proditæ in eâ Disputatione Adversariis Protestantium causæ insimulare; nihil alienum à proposito facturus mihi videor si ipsum, hoc capite quasi intra parenthesin conclusο, à fœda illâ calumniâ vindicavero. Nam & eum non alio animo adortus est *Ludovicus*, nisi ut per illius latus (quod ipse satis apertè innuit) Ecclesiam Anglicanam confoderet. Scio varia esse sæpenumero de re eâdem hominum judicia. Haud itaque mihi mirum foret R. R. Cantuerienfis Disputationem, quâ, meâ quidem sententiâ, acutissimè, doctissiméque Ecclesiarum Reformatarum causam agit adversus Pontificios, crassâ adeo Minervâ (quod aiunt) exaratam *Ludovico Molinæo* videri, ut ne legi quidem mereatur. At hoc illud est quod quis jure miretur, si cujus causæ patrocinium suscepisse profitetur R. Cantuariensis, eam non tantum deseruit sed Adversariis etiam prodidit (quæ est istius criminatio) qui factum ut tum ipsis Pontificiis, tum viris inter Reformatos doctissimis, adeo seriò egisse visus sit, ut illi totis viribus eum sæpius adorti sint; isti verò illorum impetus studiosè repulerint & contra omnes Jesuitarum exceptiones, ne Protestantium rebus deessent, librum ejus vindicaverint. Certe *Merico Casaubono* S. T. D. Cantuariensi Præbendario magni illius *Isaaci* filio & eruditionis ex asse hæredi, subacti judicii viro, & de Ecclesia Dei optimè merito; Et *Edvardo Stillingfleeto*, quem ipse Puritanorum Apologistæ

Dal'æi vindiciæ adversus Epicritam.

jure

jure vocat, *stupendæ eruditionis Theologum*, R. R. Cantuariensis Disputatio visa est adeo docta, acuta, orthodoxa ut illius defensionem adversus Pontificios in se suscipiendam judicaverint; quod & egregiè ab utroque præstitum est. *Ludovicus* verò *Molineus*, qui ab Ecclesiis Reformatis Gallicanis ad Presbyterianos Anglicanos transiit, à quibus ad Independentes evolavit, ab his ad Anabaptistas aut alios Fanaticos, ni Deus illius misereatur, quod ex animo precor, mox transiturus; cui omnis Jurisdictio Ecclesiastica, maximè ea quæ in Excommunicatione versatur, Antichristianismus est; cui Camero levis armaturæ miles & *Lancelotus Andreas* vir Mediocris literaturæ videtur, eamdem Disputationem indignam quæ à quoquam legatur, nisi ab eo qui operam perdere voluerit, & qualiscunque tandem sit, non in Protestantium, sed ipsius Papæ Romani & Jesuitarum gratiam, quos *Cantuariensis* mentitur adversarios, institutam quasi de tripode pronunciat. Utri credatis lectores?

§ Hoc primum in eâ Disputatione reprehendit Medicinæ Doctor, *quòd propior sit amicæ velitationi & collationi inter duos fratres in paucis dissidentes, quam disceptationi inter duos sententia & religione ex adverso pugnantes.* Vellet homo ferox nos cum Pontificiis perinde agere atque cum Mahumetanis, eosque pro Christianis non habere, ne Pontificii habeamur. Nos verò non sic didicimus, neque sic didicerat Christum Cantuariensis Archiepiscopus. Scilicet gravis ac venerandus Antistes Verborum S. Petri memor, quibus fideles hortatur, *ut semper parati sint ad satisfactionem cum modestiâ & timore, omni poscenti eos rationem de eâ quæ in ipsis est spe & fide*; à convitiis totâ disputatione licet à Jesuitâ non semel nec leviter lacessitus, sedulo abstinuit. Magnum crimen! à quo censor ut caveret, ne ipse quoque cum Archiepiscopo ex compacto agere videretur, tota plaustra convitiorum, nullâ dignitatis, nullâ humanitatis ratione habitâ, quasi in caput totius orbis vilissimum ore usque ad aures diducto evomuit. Verum licet ab omni convitiorum genere abstineat Cantuariensis neque tamen, aut ipsum Romanum Pontificem, aut ipsam Ecclesiam Romanam, aut ipsum Jesuitam & sodales adeo amicè tractat & blandè alloquitur, ut eos debitis elogiis condecorare non audeat. Hæc enim & similia passim in ea Disputatione occurrunt. ‘ Ubi, ut illud obiter “ annotem, *inquit*, aut erravere Pelagius & S. Gregorius Romani “ Pontifices circa momentosum hoc negotium de Oecumenico Episco- “ po; aut si non erravere Bonifacius & cæteri, qui post eum titulum “ illum usurparunt vel judicibus ipsorum antecessoribus Antichristiani “ sunt; *pag.* 178. Indigent quidem Pontificii alio controversiarum ju- “ dice, præter Scripturam, eoque propitio, ut exsculpet potentiorem “ Papæ Principalitatem ex his Christi Verbis, pasce oves, *p.* 198. Li-

Irenæus Phil. in Ep. ad Renat. Verd. p. 20.

1 Petr. 3. 15.

cet

"cet Pontificis Romani cor scrutari nequeamus, si tamen veræ sint "istæ similesve præsumptiones, magnum est Argumentum Tridenti- "num conciliabulum corruptius ac studiis partium apertius fuisse quam "ut ei interesse voluerit Spiritus Sanctus, *p.* 218. *Pagina vero* 296. *& alibi passim*, Errores Ecclesiæ Romanæ dicit esse tales ut damna- "tionem mereantur ac inferant. *Ibidem asserit*, Eum, qui in Ecclesiæ "Romanæ communione vivit, & ea omnia credit, quæ ipsa credere "profitetur, eorum omnium peccatorum, quæ ex Ecclesiæ Ro- "manæ dogmatibus & corrupta fide manant, reum existere. Af- firmanti Jesuitæ ab Archiepiscopo concessum, nullum damnationis pe- riculum ei imminere, qui vivit in Ecclesiæ Romanæ communione, re- spondet, "pellucidum illud esse mendacium, à quo vir ingenuus abhor- "ruisset, *pag.* 301. Omnes Protestantes uno ore asserunt ingens ei "damnationis imminere periculum, qui in Pontificiorum fide vivit ac "moritur. Nec potes vel unum producere qui contra docuerit. Itaq; "manifestissima calumnia est, cum ais eos qui asserunt periculum il- "lud damnationis Pontificiis imminere, alios Protestantes ipsis doctio- "res, hâc in parte adversarios habere, *p.* 302. Video virum bonum, "Jesuitam, perturbatum, & modò antrorsum, modo retrorsum ferri, "*p.* 356. Multum doli, nec minus improbitatis his Jesuitæ verbis "inest. Sed ex hujusce vespæ caudâ aculeum facile extraham, *p.* 373. "En sanè multum infallibilitatis, sed & simul multum erroris. Cer- "tum est Jesuitas jam à longo tempore infallibilitatem illam ambire. "Et quamquam A. C. *hoc est Jesuita*, non nisi ad legitimos Ecclesiæ "Pastores eam extendit, quin tamen ab eo Jesuitarum Societati præ- "cipuè destinetur; minime dubium est. Ita enim Apologista cui "respondet Casaubonus. Jungantur in unum, *ait*, dies cum nocte, "tenebræ cum luce, calidum cum frigido, sanitas cum morbo, vita "cum morte; & erit tum spes aliqua posse in Caput Jesuitæ hæresin "Cadere, *p.* 94. *An hoc sit*, eo modo impugnare Jesuitam, quo Diabolus "Diabolum ex corpore humano expellit, non animo infenso, sed ex com- "pacto, & occulto Syncretismo conspirans cum eo quem mentitur ad- "versarium, quod quasi ex *Rabelesii* Cathedra pronunciat Doctor Medicus, ex his quorum alia sexcenta similia apud *Cantuariensem* repe- rias facile est judicium. Sed satis imposturæ cavisse, ne deprehende- retur, sibi visus est homo astutus quod Lectores, ne scilicet operam per- derent, ab eo libro evolvendo dehortatus sit, *ut quem audiverit fi- dum esse custodem Officinæ Bibliopolarum.* Quod credas, Lector, si eum fide dignum reperereris.

Isaac Casaub. ad Front. Ducæum Londin. 1611.

Iren. Philadelph. p. 22.

Ibid. p. 21.

§ "Spoliat (quod Pontificii faciunt) *inquit censor*, Scripturam Sa- "cram authoritate judicis; Traditiones Ecclesiæ extollit supra divi- "nam legem; & summum Controversiarum judicium, in eis quæ

Ibid. p. 22.

explicatione

" explicatione egent, aſſerit pertinere ad Eccleſiam; nomine autem
" Eccleſiæ planum eſt eum intelligere Eccleſiam Romanam, cujus
" Anglicana ſit membrum, in fundamentalibus fidei Articulis cum
" Eccleſiâ Romana conſentiens, utcunque in quibuſdam dogmatibus
" quæ fundamentalia non ſunt, à Romano diſcrepet; Sic enim lo-
" quitur Schola Cantuarienſis. Quot verba tot mendacia putidiſſi-
ma. Nihil enim prius habet totâ illâ Diſputatione Antiſtes veneran-
dus, quam ut Scripturæ Sacræ in Controverſiis authoritatem ſum-
mam aſſerat, & eam Traditionibus, eam Eccleſiæ Romanæ, jam ip-
ſis etiam Conciliis Oecumenicis, ut pote errori obnoxiis, adimat.
Eccleſiam Romanam in cenſu particularium Eccleſiarum, quarum
ſcilicet Soror ſit, non Mater, eſſe affirmat probatque; Et adeo uſque
abeſt ut concedat illius membrum eſſe Eccleſiam Anglicanam, ut di-
ſertis verbis aſſerat Eccleſias Britannicas *quaſi Patriarchatum jam* Pag. 171.
*olim ante Concilium Nicenum, à Patriarcha Romano independentem
conſtituiſſe*; Quin in hâc ſe profitetur eſſe ſententiâ, authoritatem
quam Eccleſia Romana in alias Eccleſias, quæ ipſi adhuc ſubſunt,
uſurpavit, præcipuam cauſam eſſe cur errores & corruptelas quibus
religio fœdatur, quemadmodum Anglicana & cæteræ Reformatio-
nem amplexæ, non profligaverint. " Nullam aliam, *inquit*, divinæ
" & infallibilis veritatis, adeoque fidei Regulam Ordinariam præ-
" terquam Scripturam admitto. *p.* 330. In judicandis Controver-
" ſiis eam ſibi aſſumpſerunt authoritatem Pontifex & Eccleſia Ro-
" mana quam neque Chriſtus, neque Eccleſia Catholica Chriſti eis
" conceſſit. *p.* 379. Scire avet Jeſuita, qua ratione componi poſ-
" ſint diſſidia Eccleſiæ circa dogmata fidei, in partes ſciſſæ, quoties
" ad hoc Concilium Generale cogi nequit. *Chriſtus Dominus*, in-
" quit, *aliquam Regulam, aliquem judicem conſtituit, rebus ſic ſtan-
" tibus, ad unitatem & certitudinem fidei procurandam.* Id ego
" quoque credo. Nam Scripturam infallibilem Regulam reliquit,
" Ea autem in locis planis quæ diſputatione aut externo judice non
" egent, ſufficit ad unitatem & certitudinem fidei, in iis quæ ad ſa-
" lutem neceſſaria ſunt, conſtituendam. In non neceſſariis verò, nul-
" la debet eſſe contentio, unde ſequatur Seceſſio. *pag.* 196. Verum
" eſt etiam nunquam dari poſſe juſtam cauſam Secedendi ab univerſali
" Eccleſiâ Chriſti & Schiſma in ea faciendi. Sed in hoc verſatur Je-
" ſuitæ dolus. Illi Romana & quæ Romano Pontifici obſequuntur
" Eccleſiæ, ſunt univerſalis Eccleſia Chriſti. Cæteræ omnes ei
" ſunt Schiſmaticæ & Hæreticæ. Sed bona verba. Alia Eccleſia à
" Romanâ poteſt ſecedere ſi Romanæ à Chriſto ſecedere libuerit.
" Et quantum ab eo & à fide receſſerit tantum alia Ecclefia ab ea

Y y " poteſt

"potest secedere *pag.* 140. Luce clarius est, si Ecclesia Romana neque Reformari, neque Reformationem pati velit, cuilibet alii Ecclesiæ particulari fas esse seipsam emendare. *pag.* 156. Ait Jesuita, *Romanum Pontificem ita universam Ecclesiam recturum, ut nulla Secessionis causa justa futura sit.* "Id verò ipsum est, cujus eum "Protestantes postulant, nempe eum, si non universam Ecclesiam, "at tot illius partes quot imperio suo subjicere valuit, ita rexisse, ut "justam Secessionis causam præbuerit. Et quemadmodum Ecclesiæ "Romanæ corruptelæ in doctrina fidei primò secedendi justam causam præbuere, ita continuatæ ad hodiernum usque diem Secessionis "in causâ sunt. Ego vero præterea in eâ sum sententiâ, errores in "doctrinâ fidei, quorum universa Ecclesia, qua saltem in his Europæ "partibus Romanæ jurisdictioni subjecta fuit, postulatur, hinc ortum "habuisse, hincque etiamnum obtinere, quod ea Ecclesiæ universalis pars (quam illi totam putant) suæ libertatis oblita sit, & Ecclesiæ Episcopoque Romano sese subjecerit, quo factum ut quodammodo coacta sit eas omnes corruptelas admittere quas particularis Ecclesia Romana contraxit. Jam verò cùm non possit Romanæ illi jurisdictioni collum suum subducere, cogitur etiamnum "easdem corruptelas retinere. Ad Protestantes quod attinet, ab "Ecclesiâ universali propriè sic dictâ Secessionem non fecerunt, (ab "eâ enim, uti rectè dixit Jesuita, secedendi Papæ administratio nullam justam causam potest præbere) sed tantum à particulari Ecclesiâ Romana & iis Ecclesiis quæ cum ipsi adhæreant, in eodem discrimine versantur, & falso nomine se pro Ecclesiâ Catholicâ venditant. Nec hic etiam Protestantes ab Ecclesiâ Romana secessere, "quoad illius Essentiam, sed quoad errores; non quoad ea quæ "constituunt Ecclesiam, sed quoad abusus & corruptelas quæ ruinam & dissolutionem Ecclesiæ minitantur. *pag.* 191. Vult Jesuita Romanam, esse Ecclesiam illam unam Sanctam Ecclesiam Catholicam. Hoc vero concedi nequit, quocunque sensu accipiatur "Ecclesia Romana & quacunque ratione spectatur seu in urbe, seu "in Diœcesi, seu quà patet illius Communio; idque multis probat; "*pagina* 130. Quærenti Jesuitæ an non Ecclesia Romana quondam ante Lutherum fuerit, atq; adeo etiamnum sit, Orthodoxa illa Ecclesia, sic respondet; "Romana est, fuitq; particularis Ecclesia, eaq; modo orthodoxa, modo corrupta, in quibusdam orthodoxa, in quibusdam corrupta. Sed Orthodoxa seu vera illa Ecclesia Catholica nunquam fuit, "neq; unquam esse potest. Unde nec fuisse sequitur, antequam Lutherus & alii ab ea secessissent, aut ex eâ pulsi fuissent. Fuit particularis Ecclesia. Immediatè ante Lutherum Ecclesia Romana cor-

"rupta.

" rupta fœdataque fuit, tantum abeſt ut Orthodoxa fuerit, *pag* 131,
" 132. Similiter dixi ſi Eccleſia Generalis aut non poſſit aut nolit
" errores periculoſos in doctrinâ, reformare; tum fas eſſe particula-
" ribus Eccleſiis, ſeipſas emendare, ſimulque addidi Eccleſiam Ge-
" neralem, non univerſalem, qualis fuit in occidente, in eos errores
" incidiſſe, Eccleſiæ Romanæ, cui maximam partem ſuberat, nimiâ
" ac prævalente potentiâ. Intelligunt enim cordati omnes quàm
" ſæpè quàmque facile prævalens ac potentius membrum cæteris do-
" minetur in omni corpore naturali, politico, aut Eccleſiaſtico. *p.*159.
His omnibus unum amplius locum tantum addam, quem ſcio Lecto-
ri Reformato non ingratum fore, præterquam quod ad rem vel
maximè facit, ut liquidius conſtet de injuriâ à *Ludovico Molineo*
R. R. *Cantuarienſi* factâ, ubi affirmat, *ſummum Controverſiarum
judicium ad Eccleſiam Romanam, cujus Anglicana ſit membrum,* ex
illius ſententiâ, *pertinere.* " Eccleſia Romana, *inquit,* & Eccleſia
" Anglicana, duo Eccleſiæ Catholicæ, quæ per totum terrarum or-
" bem diffuſa eſt, diſtincta membra ſunt. Undè ſequitur Romam
" non eſſe domum in qua habitet Eccleſia; Sed Romanam, ſicuti
" alias Particulares Eccleſias in ampliſſimis illis atque Oecumenicis
" ædibus habitare, niſi velis, ut olim intra Africam Donatiſtæ, ſic intra
" Romæ pomæria Eccleſiam includere. Romana aliæque Nationales
" Eccleſiæ ſunt in his Oecumenicis ædibus veluti tot filiæ, quarum Cu-
" ræ ſub Chriſto, ædes à Deo Patre & Eccleſiâ Catholicâ omnium
" Chriſtianorum Matre, commiſſæ ſunt. Eccleſiæ Romanæ tan-
" quam uni è Sororibus natu majoribus, non maximæ (non *Hiero-
" ſolymitana* & *Antiochena,* & forte etiam *Britannica,* uti ex *Gildâ*
" videre eſt, ante *Romanam,* Chriſto nomen dedere) & ipſius Epiſ-
" copi Curæ à primò Eccleſiæ tempore multùm mandatum eſt. Ho-
" die vero (ut alia ſuperiorum temporum jurgia prætermittam) An-
" glicana & aliæ Sorores à Romanâ diſſident. Quid inde? An ideo
" futurum putas ut Pater & Mater, Deus & Eccleſia eos domo ejici-
" ant, quod Romana Soror illis ſuccenſeat? Ecquando illud juris
" uni alicui è Sororibus natu Grandioribus à Chriſto conceſſum eſt,
" ut quam velit Sororum domo pellat, licet ipſa præbitæ toti fami-
" liæ offenſionis meritò poſtuletur? An non potius utrumque Pa-
" rentem iratum habitura eſt, quod tum protervè ſe geſſerit erga
" Sorores natu quidem minores, ſed tum Patri tum Matri filias
" Chariſſimas. An non ea ratione illos eò tandem adegerit ut ipſam
" abjiciant & domo expellant? Benè eſt omnibus Chriſtianis tum
" hominibus tum Eccleſiis, quod Parentes non tam duros atque in
" humanos quam quidam vellent, experiantur. Non eſt cur ulla

"obsequens filia metuat ne aut salute excidat, aut domo pellatur ideo "quod Sororis hujus Majoris natu errores toti familiæ patefcant, "quodque propterea morosa facta sit. Vobis idem usu venit quod "parvulis cum primum è somno expergiscuntur: morosi esse "solent. Siquis vos vel adeat, vel alloquatur, statim cum eo rixa-"mini. *pag*. 310.

§ "Sed ait Cantuariensis schola, *inquit censor*, Ecclesiam Angli-"canam in fundamentalibus cum Ecclesiâ Romanâ consentire; ut-"cunque in quibusdam dogmatibus, quæ fundamentalia non sunt, à "Romanâ discrepet. Et subinde inculcat tamdiu manere Ecclesiam "quamdiu retinet fundamentum fidei & à Christo non deficit. Quis verò inter Reformatos præter unum hunc, aut fortè nonnullos alios ejusdam farinæ homines, qui nihil quod nolunt, sciunt, quique Reformationem Religionis, ex præconceptis opinationibus & privatis suis phantasmatibus metiuntur, atque nihil præterea rectum putant, quis, inquam, inter Reformatos ignorat, eam esse communem omnium Protestantium sententiam, quam R. R. *Cantuariensis* singularem esse fingit; Certè negari nequit, nec à quoquam negatur, quod sciam, Symbolum Apostolorum, quo fidei fundamenta continentur, ab Ecclesiâ Romanâ retineri, atque eâ ratione cum Ecclesiis Reformatis in fundamentalibus fidei Articulis consentire, & Ecclesiam eatenus rectè dici posse & reverà esse. Sed opere prætium fuerit videre quomodo Symbolum ab Ecclesiâ Romanâ retineri agnoscat R. R. Cantuariensis, & qualem Ecclesiam eam esse censeat. "Potest aliqua "Ecclesia, *inquit*, fundamenta fidei quoad litteram retinere & quam-"diu iis adhæret, eatenus nulli esse criminationi obnoxia. Nihil-"ominus vero fieri potest ut CRASSE, PERICULOSE, "imò DAMNABILITER erret in eorum expositione. "Quæ est Ecclesiæ Romanæ conditio. Nam verissimum est eam "omni ævo fidem, quoad ipsam litteram Articulorum, immutatam "retinuisse; Sed in expositione tum Symboli, tum Conciliorum, "sensum eorum in quibusdam prorsus immutavit atque pervertit: "Itaque licet illius doctrina eadem esse videatur, in multis tamen "quoad fidem & mores immutata est. Hoc verò illud est "quod mortalibus imponit. Quoniam cortex idem, sibi persuadent "plerique veterem putremque arborem, æque solidam ac vegetem "esse atque olim fuit nihilque ab injuria temporum passam. Jam "ubi à forma nihil differre fucum, mihi probatum feceris, tum ego "Ecclesiam Romanam non modò sanam, sed formosam quoque esse "credam. *pag*. 320. Ecclesia illa, nostro idiomate significare potest, "solam illam veram Ecclesiam, & forte (prout quidam vestrum eam

"videntur

" videntur intelligere) radicem & fundamentum Ecclesiæ Catholicæ.
" Ego vero id de Ecclesiâ Romanâ numquam concessi, neque animus
" est unquam concedere. Ecclesia autem simpliciter, potest nihil aliud
" significare, quam membrum Ecclesiæ Catholicæ; quod nun-
" quam negavi neque umquam negaturus sum de Ecclesia Romanâ,
" nisi absolutè à Christo defecerit. Veram quoque Ecclesiam esse
" concessi. Sed Rectam (quod mihi imponis) nunquam dixi. Ens
" enim & verum convertuntur. Rectum vero refertur non ad Es-
" sentiæ veritatem, sed ad qualitatum perfectionem. Homo Scelera-
" tissimus non desinit esse homo verus, veritate essentiæ, sed non est
" homo Rectus (probus.) Smiliter Ecclesia moribus & doctrinâ cor-
" ruptissima, ita ut opprobrium sit Ecclesiarum, manet tamen vera
" Ecclesia quoad Essentiæ veritatem, quatenus Ecclesia est societas
" hominum fidem in Christum profitentium, & in nomen illius bap-
" tizatorum. Sed non ideo Ecclesia Recta (proba) est, seu doctri-
" nam seu mores spectes. Eo fortè consilio vocem illam, RECTAM
" Vafrè injecisti, ut eam nec opinans Orthodoxam esse concederem.
" Sed non tam facile fuit me in eas insidias deducere. Probe enim
" noveram, Christianos Orthodoxos, juxta Augustinum, *esse inte-*
" *gritatis custodes & recta factantes.* Quod cum dici nequeat de ho-
" diernâ Ecclesiâ Romanâ, ut quæ nec integritatem servet, nec recta
" sectetur, ipsa nec recta nec Orthodoxa est, pag. 128.

§ *Sic solemne est illi extenuare errores Ecclesiæ Romanæ,* sic pergit in accusando *Ludovicus, ut cæcus sit, qui non videat eum vereri offendere* " *Ecclesiam cui nomen dedit.* Jam supra vidimus vel ex iis, quæ ex " Archiepiscopi disputationis paginis 198, 218, 296, 301, 320. allegavimus, in quibus, 1. Probat ex *Gregorio* Romano & *Pelagio*, *eum Antichristianum esse Episcopum*, qui se dicat *Oecumenicum.* 2. Negat *Spiritum Sanctum Tridentino Conciliabulo interfuisse.* 3. *Ecclesiæ Romanæ errores* affirmat *ejusmodi esse, ut damnationem mereantur & afferant.* Et 4. *Ingens ei damnationis periculum im-minere qui in Ecclesiæ Romanæ fide vivit & moritur*; Vel ex his inquam vidimus, quam solemne sit Cantuariensi, Ecclesiæ Romanæ errores extenuare, & quam vereatur eam Ecclesiam offendere, ut cui nomen dederit, prout iste calumniatur. Cætera quæ hactenus produximus, ex eâdem Disputatione, Reverendissimum Antistitem ab objecto crimine perinde purgant, & prorsus immunem demonstrant. Sed en & alia ex abundanti. Jesuitæ affirmanti Ecclesiam Romanam *esse unam illam Sanctam Ecclesiam Catholicam*, sic respondet pagina 363. " Hic satis titulorum Ecclesiæ Romanæ tribuitur; " atque utinam iis omnibus ac singulis digna foret. Tunc enim Pag. 23.

" pacem

"pacem cum eâ coleremus. At longè aliter se res habet. Una quidem est, ut Ecclesia particularis, sed non una illa; Sancta haberi vellet; At vident quotquot sponte non cæcutiunt, quanti sanctitas fiat apud aulam Romani Pontificis, & in eâ gente cui dominatur. Catholica non est, quocunque sensu sumatur vox ista, Catholica. Universalis enim non est, adeoque neque Catholica quoad diffusionem & extensionem. Neque sana est quoad doctrinam, in iis etiam quæ propè ad fundamentum accedunt; sicque in fide, Catholica non est. Neque prima parens est Christianorum, sed Ecclesiâ Hierosolymitana; sicque Catholica non est tanquam fons & origo seu caput & radix Christianorum. *Et pagina* 148. Esse apud Ecclesiam Romanam errores quoad doctrinam, quorum nonnullis hominum salus in manifestissimum discrimen adducitur, cuivis non sponte cæcutienti liquet —— non est probatu difficile errasse Ecclesiam Romanam in doctrinâ fidei, idque periculosissimè. *Et pagina* 151. Sedem Romanam consuli debere priusquam fiat Reformatio, *primò* certissimum est à Capello probari non posse. Deinde, *secundò*, si id probatum foret, & ita fieret, æque certum est, nullam unquam Reformationem futuram. Quamdiutissimè differretur Ecclesiæ Sanatio, si ab ea Sede ipsi expectanda foret, unde morbus. *Et pag.* 152. Primò certum est, Concilium universale, liberum atque plenum, optimum remedium futurum fuisse, & Gangrænæ quæ tam longè latéque serpserat & ulcus adeo profundum in Christianâ Religione effecerat, curandæ aptissimum. Quid verò? An expectandum fuit usquedum fœda illa Gangræna vitam ipsam impeteret, potiusquàm tempestivè à Medico scientiæ & peritiæ minoris pristinæ saluti restitueremus. Secundò, jam manifestum est quale nobis, si ullum omnino, Concilium futurum erat, si longiore patientia usi fuissemus. Tridentinum enim neque universale fuit, neque liberum. Præterea errores Ecclesiæ Romanæ ab eo confirmati sunt, non Reformati. *Et pag.* 18. Si possem hanc Bellarmini sententiam deglutire, scilicet, Romani Pontificis judicium esse infallibile; ego confestim cederem, nec amplius reluctarer. Id verò à me ipso nunquam impetravero, nisi tamdiu vivam, donec præ senio delirem, quod nunquam, Deo favente, futurum spero. En ut Ecclesiæ Romanæ nomen dederit, & ut eam offendere vereatur.

§ Sed instat Censor ut probet *Cantuariensi solenne esse errores Ecclesiæ Romanæ extenuare. Dicit enim,* inquit, *Purgatorium, Transubstantiationem & exemptionem à Calice esse dogmata improbabilia.* An velles eum dixisse esse probabilia? An non sunt im probabilia? Sed

Vox

Vox *improbabilia* mollior eſt. Certè duriore uti potuit & alibi utitur. Nam vidimus ſupra quid de Eccleſiæ Romanæ erroribus in genere ſentiat. Et quamquam de Generalibus quæſtionibus tota Diſputatio ferè inſtituta eſt, vixque ullam particularem Controverſiam attingit, niſi ὡς ἐν παρόδῳ καὶ ὡς πάρεργον paginâ tamen 275. *Tranſubſtantiationem affirmat cum fundamentis Chriſtianæ Religionis non poſſe conſiſtere.* Et pagina 276. Ait, *in Miſſali Romano reperiri Orationes in quibus Deus rogatur per merita Sanctorum non ſine magno ſcandalo Chriſti & Chriſtianæ religionis.* Et de adoratione imaginum verba faciens, poſtquam & populorum praxin & Doctorum, nominatim verò cujuſdam *Hieronymi Lamas* ſententiam, hac in parte retulit, Jeſuitam ſic affatur: " Jam verò tu judica, *inquit*, " an non hæc propoſitio (*Hieronymi Lamas*, Sum. p. 3. c. 3.) doceat " idololatriam? Et an non hodierna Eccleſia Romana hîc ad Paganos " propius quam par eſſet, accedat? Sed advertat Lector velim Calicis Euchariſtici ademptionem à Cenſore *exemptionem à Calice* hic vocari. Quod ſi feciſſet *Cantuarienſis*, non extenuati ſed adoptati Pontificiorum erroris Graviſſimi, ſtatim eum accuſaſſet. Nam cùm omnis exemptio immunitatem ab aliquo onere denotet, pro magno beneficio & privilegio ſingulari ab eo haberi videtur grande illud Pontificum Romanorum Sacrilegium, a quo exemptio dicitur.

§ " Quid quod p.62. (*ſic pergit Ludovicus*) definit Eccleſiam Societa" tem Chriſtianorum, de eâque vult agi in Symbolo. Cœtus verò Re" formatorum extra Angliam non obſcurè in Epiſtola ad Regem, di" cit indignos eſſe, qui Eccleſiæ Catholicæ membra cenſeantur. " Quin Reformationem à Luthero incœptam vocat deplorandum " Schiſma, *pag.* 123. & 125. Cranmerum verò & Ridleium, & " reliquos temporibus Mariæ Reginæ Angliæ ſtrenuos Eccleſiæ Ro" manæ Oppugnatores, veritatiſque propugnatores, quique San" guinem pro eâ tuendâ profuderunt, non vocat Martyres, ſed zelo" tas, pari vecordiâ qua os impudens, auſus eſt ante aliquot annos in " Comitiis Lambethanis magnum Eccleſiæ decus Calvinum appel" lare nebulonem. Sane ut paululum digrediar, ferreus ſit qui hu" juſmodi contumelias concoquat, aut ferat hominem nihili, terræ " filium, fungum, & quid non? tam ſuperbè inſultantem in Clariſ" ſima Eccleſiæ Chriſti lumina, & de eis tam contemptim loquen" tem. Non potuit meliùs prodere odium ſuum in Religionem " Reformatam quam Reformatorum Primipilos proſcindendo? In " oratione habitâ in Camera ſtellata vocat inſtitutionem Seniorum " laicorum, novitiolum Calvini Commentum. Ad ſingula reſpondeo. Primo, *definit Eccleſiam*, inquit Cenſor, *ſocietatem Chriſtianorum*.

Quid

Quid igitur aliud est Ecclesia? Debuitne eam definire societatem Judæorum, Turcarum, aut Ethnicorum? Certè nihil aliud sonat vox ista, *Ecclesia*, ex quo Christus Dominus sibi colligere cœpit ex omni gente per Evangelii prædicationem, multitudinem hominum quos per fidem in sanguinem suum & resipiscentiam ab operibus mortuis salvos faceret; nihil inquam, aliud sonat Vox *Ecclesia*, quam Societatem Christianorum, seu Christi Discipulorum. Sed de eâ vult agi in Symbolo. Quidni velit? Id sanè volunt non solum antiqui Patres plerique, sed & inter Reformatos viri longè doctissimi, qui Articulum Symboli, quo profitemur nos *credere Sanctam Ecclesiam Catholicam*, de ea societate hominum intelligunt quæ per totum terrarum orbem diffusa Christi fidem palam profitetur; licet alii eumdem Articulum de invisibili Electorum Ecclesia interpretentur. Nec solent qui hanc aut illam interpretationem amplectuntur ea propter inter se digladiari, cum nullus extet Scripturæ locus aut ratio certa & evidens qua demonstretur utra sit verior interpretatio, & rectè possit utraque consistere, cùm non sint contrariæ. Sed hinc videre est quam imperitum, atque iniquum Censorem nactus sit R. R. *Cantuariensis*; quod ut clariùs Lectori appareat, locum ipsum unde ea verba desumpta sunt, hic apponam integrum. "Quamquam simu-"lant, *inquit*, Pontificii se concedere fidem habendam esse Patribus "& antiquæ Ecclesiæ, nolunt tamen ut ex Patrum Scriptis & Con-"ciliorum Decretis eorum doctrinam eruamus, cum ex eorum lecti-"one, uti aiunt, percipere quid sibi voluerint, non possimus, sed tan-"tum ex infallibili hodiernæ Ecclesiæ Romanæ testimonio per Tra-"ditionem nos docentis. Unde hæc duo manifestò sequuntur. "*Prius*, eòs tantam (si non majorem) authoritatem tribuere parti "Ecclesiæ quantam universæ quam profitemur in Symbolo nos cre-"dere, quæque est omnium Christianorum Societas. Absurdum "autem esse ut pars dignitate, potestate, authoritate cum toto æque-"tur, natura, ratio, omnia denique demonstrant. *Posterius*, eos "iniquissimè nobiscum agere in eo controversiarum Capite in quo "agitur de infallibilitate quam Ecclesiæ suæ tribuunt. Quippe si "quæras ab iis quare credant doctrinam quam profitentur, per om-"nia esse solam illam veram fidem Catholicam? Hoc eorum respon-"sum est, quoniam concordat cum Verbo Dei & cum antiquæ Eccle-"siæ doctrinâ ac Traditione. Si quæras unde norint id ita se habere? "Testimonia ex Scripturis, Patribus & Conciliis producunt. Sed si "quæras tertiò, unde certò sciant ea testimonia pro ipsis facere & "pro causâ quam tuentur? Tum nec textum ipsum Scripturæ nec "Patrum interpretationes, aut phrasin & idiotismos linguarum

Acta Disputationis cum Fiskero. p. 62.

quibus

" quibus primùm exarata sunt, adibunt & considerabunt, aut scopum " Authoris & dictorum causas pensitabunt; aut cum locis parallelis " & cum antecedentibus ac consequentibus ea conferent; aut quæ " ambigua & obscura in nonnullis Scripturæ locis dicta videntur, per " ea quæ alibi certa & indubitata sunt, declarabunt; aut alias Scrip-" turam interpretandi Regulas, quæ plurimæ apud Augustinum pas-" sim occurrunt, adhibebunt. Ab his enim atque similibus auxiliis " abhorrent; Quippe quibus, *privato spiritui* locus datur aut saltem " via sternitur. Sed postrema eorum responsio hæc est, se scire ita " rem se habere quoniam ita testatur ex Traditione hodierna Ecclesia " Romana. Ut huc redeat quicquid ab iis hac in parte dicitur: Hodierna Ecclesia Romana & qui eam sequuntur ipsius doctrinam ac traditionem veram atque Catholicam esse credunt quoniam Ecclesia Romana eam talem esse profitetur. " Quod quid aliud sit, quam idem " per idem probare, fateor me non capere.

§ Sed longè gravius crimen impingit Antistiti venerando, quam sit Ecclesiam Catholicam definire societatem Christianorum; nempe, *Reformationem à Luthero incœptam ab eo vocari* DEPLORANDUM SCHISMA. Censoris frontem hic satis mirari nequeo, quæ quam sit perfricta Lectori constabit, statim atque sequentia oculis lustraverit. Jesuitæ affirmanti in Actis Disputationis quæ evulgaverat, " Ad- Pag. 133. " versarium concessisse Protestantes à verâ illâ Ecclesiâ Schisma fe- " cisse; *sic respondet Archiepiscopus*. Fateor me hic vehementissimè " posse commoveri, nisi apud me ratum fixumque foret, dum de Re- " ligione disputo, atramento uti ab omni felle puro. Numquam " enim à me concessum est, *Ecclesiam Romanam aut esse aut fuisse* " *veram illam Ecclesiam.* Nimis quidem verum est, Schisma de- " plorandum esse in Ecclesiâ, neque ego dubito quin quo quisque " melior est, eo vehementiùs illum hanc Ecclesiæ vicem dolere. Cer- " tè is Christianus non est qui unitatem respuerit, modo unitate cum " veritate frui liceat. Ego vero neque dixi, neque sensi umquam " Schisma illud a Protestantibus factum. Vos (*Pontificios affatur*) " Schismati causam præbuistis. Nos enim abegistis & à vobis pro- " cul amovistis, quoniam veritatem poscebamus cum abusuum emen- " datione. Eorum autem est Schisma, qui Schismati causam præbent. " Væ illud Christi Matth. 18. 7 *Ei denunciatur qui scandalum præ-* " *bet non cui præbetur.* Sed alio etiam loco Doctissimus atque pientissimus Archipræsul, *Schisma*, quo Ecclesia Christiana in partes scinditur, *deplorandum* vocat, quem hic quoque apponam quo magis ac magis Censoris fides lectori innotescat. " Ad rem jam ut propius Pag. 125. " accedamus, *inquit*, Tempus fuit ante deplorandum illud Ecclesiæ

" Christianæ Schisma (quod nemo verè Christianus, meâ quidem " sententia, cernere ac considerare potest absque summo animi dolore) " cùm eramus nos & vos unius fidei. Ea fides tractu atque injuria " temporum penitissimè corrupta est. Factum est Schisma; ita ta- " men, ut pars utraque, Symbolum atque alia communia fidei fun- " damenta retinuerit. Quorum fundamentorum hoc vel præcipuis " annumerandum, *Scripturam esse Verbum Dei.* Ei enim innititur " fides qua credimus omnia quæ in Scripturis continentur. Ex quo " facta est in partes discessio, nihil à nobis commissum est, quo hujus " axiomatis authoritati vel minimum derogetur. Quin ei omnimo- " dam reverentiam & sufficientiam majorem detulimus, asserentes " scilicet, *Scripturis omnia ad salutem necessaria contineri*, imò *ea quæ* " *ipsis continentur, satis superque esse ad salutem consequendam.* Quod " a vobis neque factum est, neque etiamnum fit.

§ Quæ de *Cranmero, Ridleio* aliisque viris Dei, qui Marianis temporibus propter Christi veritatem vivicomburium passi sunt, ab Archiepiscopo dicta affirmat Doctor. Medicus, ea responsione non egent. Nam prærterquam quod suspectum jure merito nobis esse debet, quicquid absque idoneis testibus profert; quis non videt Sanctissimos Dei Martyres, *Zelotas*, hoc est, viros Zelo Dei ardentes, absque injuriâ dici posse. Aut quis inferat (nisi qui quicquid cadit in buccam, id protinus temere effutiat) Cantuariensi eos non esse Christi Martyres, quos Zelotas dixerit?

§ Sed penè sum oblitus refutare calumniam quam hac potissimùm de causâ excogitavit, nempe ut invidiam apud Fratres Transmarinos, Reverendissimo Antistiti crearet, ubi affirmare non erubescit, *eum in Epistolâ ad Regem cœtus Reformatorum extra Angliam non obscurè dicere indignos esse qui Ecclesiæ Catholicæ membra censeantur.* Ego semel iterumque perlegi Regi inscriptam Epistolam, in quâ, nisi planè cœcutiam, ne verbum in cœtus exterorum Reformatorum, imò, nisi quæ lego, ea non intelligo, ne ulla quidem earum Ecclesiarum mentio legenti occurrit: tantum abest ut eas excludat ab Ecclesiæ Catholicæ communione. In ipso autem opere omnium Reformatorum, quos uno nomine omnes, seu Calvinistæ seu Lutherani ab aliis dicantur, Protestantes vocat, causam communem adversus Ecclesiam Romanam agit. Quod vel ex his verbis quæ supra citavimus videre est; *Ad Protestantes quod attinet, ab Ecclesiâ Universali propriè sic dicta secessionem non fecerunt, sed tantum à particulari Ecclesiâ Romanâ & iis Ecclesiis quæ cum ipsi adhæreant in eodem versantur discrimine & falso nomine se pro Ecclesiâ Catholicâ venditant*; quæ habentur apud Cantuariensem paginâ 191. Sed clarius adhuc atque

Cap. 1. p. 8.

expressius

expressius ex iis quæ attulimus ex pag. 310. Ubi Ecclesiam Anglicanam & alias Reformatas sorores esse dicit in iisdem ædibus Catholicis habitantes, quarum partem singulis Curandam Deus commisit. At hunc ipsum Censorem vidimus Ecclesiarum Reformatarum extra Angliam quæ Episcopis destituuntur, Pastores Papalis tyrannidis in Ecclesiam invehendæ, propositi, si vires desint, accusantem. *V. de cap. 1. p. 8.*

§ Ex his cordatus Lector judicabit, num Censori in tot mendaciis manifestissimis deprehenso fides sit habenda circa ea quæ de Comitiis Lambethanis refert, etiamsi iis ipse interfuisset. Ego quidem nihil contra charitatem, nihil contra æquitatem, nihil contra humanitatem peccare mihi videbor, si qui Reverendissimi Viri Scriptis tot calumnias putidissimas affingere non erubuit, cum falsi tam facilè convinci potuit, eum pari inverecundiâ in ejusdem Verba, quæ semel prolata in auras evanuerunt, aut saltem auditorum memoriæ quæ labilis incertaque esse solet, mandata sunt, grassatum fuisse affirmavero. Quid quod hic idem Censor in suâ Parænesi ipsum *Calvinum* cujus causâ hic tam impotentèr in Cantuariensem debacchatur, novæ in Ecclesiam invectæ Disciplinæ quæ Regibus & Rerum publicarum moderatoribus metuenda sit, reum pronunciat. *Nec ex quo*, inquit, *Cessarunt dona extraordinaria cuiquam ἀπ[illegible]ωσίαν promisit Deus, quamque non dedit viris Sanctissimis*, (sic enim solet coronare victimas) *nostro & Superiori seculo; non* Luthero *Consubstantiationem, non* Calvino *Excommunicationem in Orbem Christianum introducentibus.* Imò omnes illos Heroas in genere, qui primi emendandæ Religioni incubuerunt, quique ideo Primi Reformatores vulgò dicuntur, corroborati iniquitatis mysterii ob retentam Excommunicationis Disciplinam, non veretur accusare. In ea quidem Oratione quam habuit *Cantuariensis* in *Camerâ Stellatâ*, quam vocant, Seniorum Laicorum institutum *novum Calvini inventum esse*, dixit. Sed an non idem censent *Tigurina* aliæque non paucæ Reformatorum Ecclesiæ apud quas Seniorum Laicorum nec vola nec vestigium? Quin ipse Censor quoque in eâdem est sententiâ, nec metuit affirmare, *Gravissimum fuisse Calvini paroramæ (quo tandem animo & obtentu) Excommunicationem* (quæ à Laicis Senioribus ac Ministris dispensatur) *unà cum Reformatione Doctrina in Ecclesiam introducere & jugum Christianis imponere quod non est Christi.* Imò quæ Calvinus habet in Epistolarum libro p. 419, & 420. de Potestate Spirituali Consistorialium & excommunicationis disciplina, & quæ absurda inde sequi putat, non dubitat vocare, *ægrorum somnia.* Hic autem advertat lector, rogo; hujusce hominis iniquitatem. *Acta Disputationis,* quam

Ludovic. Mol. Parænes. c. 14. Pag. 387.

Ludovic. Mol. Parænes. c. 15. pag. 406.

Ibid. p. 417.

quam habuit Reverendissimus Archi-præsul cum *Fishero* Jesuitâ, discutit ac ventilat, ut ex iis ostendat quomodo fuerit erga Reformatam Religionem & ipsos Reformatores animatus. Mox autem Disputationis Actis relictis ad alia illius scripta dictave excurrit ad conflandam ei invidiam, ex eo quod in quibusdam à *Calvino* diversus abeat, (à quo ipse toto Coelo discrepat, non modò circa Disciplinam Ecclesiasticam, sed & circa Cœnam Domini) cùm librum haberet ob oculos in quo *Calvinus* à *Cantuariensi* sæpius laudatur, Reformatorum Proceribus accensetur, atque adversus Pontificios strenuè defenditur.

Vide Paraenes. c. 13. p. 321.

9. Sed deinceps nobis meliora pollicetur; Videamus quâ fide sit promissa præstiturus. "Nequis putet, *inquit*, me Archiepiscopo "imponere, exscribam ex ejus libro contra Piscatorem aliquot loca. "*Pagina* 17. Veluti Scriptura, quando est plana, debet Ecclesiam "regere, sic pertinet ad Ecclesiam Scripturam exponere in dubiis & "obscuris quæ interpretatione egent. *Locus integer sic se habet.* "Dum autem factionum altera, Ecclesiam extollit supra Scripturam, "altera Scripturam magnificat cum contemptu Ecclesiæ, quam Scri-"ptura docet ab hominibus reverenter esse audiendam, eo tandem "deventum est, ut cùm fides, quæ Scripturæ debetur, tùm autho-"ritas, quam par est Ecclesiam obtinere, adeo periclitentur, ut neu-"tri suum à multis tribuatur. Cum juxta Christi institutionem, "Scriptura, ubi plana est, Ecclesiam regere, Ecclesia autem in du-"biis & difficilibus Scripturam exponere deberet. Quibus verbis quid quæso, inest à recepta Ecclesiarum Reformatarum Doctrinâ ac praxi alienum? Hic Pontificiorum Sectariorumque contrarias factiones intelligit ac perstringit, quarum altera nimis, altera non satis Ecclesiæ tribuit. Utraque ab Ecclesiis Reformatis improbatur. *Ecclesiam*, inquit R. R. Cantuariensis, *Scriptura, ubi plana est, debet regere.* In hoc nihil, credo, heterodoxi inest. Verum ait quoque, *Ecclesiæ esse Scripturam, ubi obscura est & difficilis, exponere.* Ait; nec id magis erroneum, si ex illius mente, prout eam ipse nobis declarat, intelligatur. Quin loca dubia & difficilia occurrant Scripturam legentibus, nemini dubium esse potest; Quin autem quæ dubia sunt & obscura, explicari debeant, nemo inficiatur. Quis verò aptior interpres ad ea declaranda quam ipsa Ecclesia, hoc est Concilium, *seu Provinciale*, si de hominum privatorum dubiis agatur; seu *Universale*, si exoriatur inter totas Ecclesias de alicujus loci Scripturarum interpretatione, Controversia; Sed ita ut Scripturam ex Scripturâ interpretetur. Ea fuit olim primi ævi Christianorum; ea hodie est constans omnium per Europam Ecclesiarum Reformatarum praxis.

praxis. Porro R. R. Cantuariensem non alio sensu, nec aliâ quam dixi, ratione, velle, ut Ecclesia Scripturæ Sacræ loca dubia & difficilia interpretetur, hæc ipsius verba quæ habentur, *p.* 157. manifestum faciunt, Dixerat Jesuita minimè æquum esse ut Protestantes in sua ipsorum causâ adversus Ecclesiam Romanam judices sedeant ac sententiam ferant; ad quæ sic respondet *Cantuariensis.* "An non "idem de Ecclesia Romana contra Protestantium Ecclesiam dici de-"bet? Jam si utriusque ex æquo causa agitur, quod certum est, neu-"tra judex esse debet. Si neutra judex esse debet, tum ab aliquo ter-"tio, qui sit a studio vacuus, quique ad utramvis indifferenter se "habeat, cujusmodi Scriptura est, ambas judicari oportet. Si "autem exoriantur dubia circa Scripturæ sensum, aut recurrere de-"bebunt ad expositionem Ecclesiæ Primitivæ, eique acquiescere; aut "ex compacto ab utraque convocandum erit Concilium Universale, "eique obtemperandum. In quo quidem Concilio legitimè Convo-"cato, libera ferantur suffragia, neutri parti addicta. Debebit "autem ejusmodi Concilium sententiam ferre juxta Scripturam, "quam illius, perinde atque privati cujusvis, Regulam esse o-"portet.

§ Sed hæc quoque apud Cantuariensem habentur, *p.* 66. *Verbum Dei aliud est Scriptum, aliud non Scriptum;* & à Censore citantur ut ostendat se Archiepiscopo non imposuisse, cùm affirmavit, *eum esse dogmatum papalium fautorem ac vindicem.* Id verò quâ fide, judicet lector æquus ex loco integro in quo habentur verba allegata. *A me,* inquit Cantuariensis, *conceditur necesse esse ut Scripturam esse Scripturam nobis constet, idque sufficienti, infallibili ac divino aliquo fundamento. Conceditur quoque nullum aliud dari ejusmodi fundamentum præter verbum Dei. Quin etiam à me conceditur verbum Dei Scriptum & non Scriptum esse posse. Verè enim à Bellarmino dicitur,* Verbum Dei non ideo esse tale, nec ideo habere ullam authoritatem quia Scriptum est in membranis, sed quia à Deo profectum est. *Jam illud Verbum Dei hominibus revelatum est, vel im*mediatè *ab ipso Deo, Patre, Filio, & Spiritu Sancto; quomodo revelatum est Prophetis & Apostolis,* vel mediatè, *idque vel per Angelos, quibus Deus antea loquutus fuerat. Quo modo lex ordinata est.* Gal. 3. *et incarnationem Verbi Beatæ Virgini annunciatam legimus; vel per Prophetas & Apostolos, quo modo Scriptura tradita est Ecclesiæ. Sed nulla Verbo Dei conciliata est authoritas, ad ipsum quidem Verbum quod attinet, ideo quia litteris consignatum fuit. Scriptum, aut non Scriptum perinde est Verbum Dei. Sed Scriptis ideo mandatum est, ut meliùs integrum servaretur traderetur que in usum Ecclesiæ,*

atque

atque firmiùs memoriæ nostræ inhæreret. Sæpius autem vobis concessum est (si veritatis, non partium, studium apud vos prævaleret) quod si ejusmodi Verbum Dei non Scriptum *à Prophetis & Apostolis traditum nobis exhibeatur, pro Divino & infallibili nos illud habituros. Scriptum enim seu non Scriptum nihil moramur, modò constet esse Verbum Dei. Sed* A. C. (Jesuitam intelligit) *ne sibi persuadeat velim, quicquid pro Verbo Dei non scripto obtrusurus est, id statim tale nobis esse futurum. Scio librum integrum à* Bellarmino *compositum,* de Verbo Dei non scripto, *in quo Controversiam de Traditionibus tractat. In eo autem versatur dolus, quod incautis lectoribus conetur persuadere, ea omnia quæ ab ipso & cæteris Pontificiis vocantur traditiones, recipi ac honorari debere perinde ac ipsum Dei Verbum non Scriptum. Cum facile cognosci possit Verbum Dei non Scriptum & Traditionem, non esse terminos convertibiles. Multa enim sunt Dei Verba, non scripta, quæ nunquam Ecclesiæ tradita fuere, quantum quidem nobis scire concessum est. Contra verò multa sunt Traditiones (quas saltem pro talibus vendicat Ecclesia Romana) quæ in nullo unquam Verbo Dei scripto fundata sunt. Primo, planum est multa esse Verba Dei, non Scripta quæ Ecclesiæ numquam tradita sunt. Quando enim aut ubi ei primum tradita sunt Verba quæ Apostolis loquutus est Christus per eos quadraginta dies quibus cum ipsis versatus est postquam à mortuis resurrexisset? a Si neque ipse Christus neque Apostoli, neque Evangelistæ ea Ecclesiæ tradiderunt, neque ea fidelibus tradere debet Ecclesia. Aut si tradat sibi non traditum, tum infidelis est erga Deum, nec servat depositum. Fideles autem, ubi id compertum habent, non tenentur illius Traditionem admittere contra Verbum Patris Cœlestis. Nam ubicunque silet Christus,* aut illius Verba non sunt Scriptis consignata, ego cum *b* S. Augustino sentio, *temere facere quisquis illa aut ista, eà esse audeat affirmare.* Et Paulo post, *ostendat nobis Jesuita hanc aut aliam quamvis Traditionem, quam obtrudit Ecclesia Romana, esse Verbum Dei licet non Scriptum; confectum fuerit negotium, nec erit cur amplius desceptemus.* Et alio loco pagina 194. *Negamus ullum extare Christi Testamentum præterquam illud quod sciptum est.*

a Annunciare aliquid Christianis Catholicis, præter id quod acceperunt, numquam licuit, nusquam licet, numquam licebit. *Vincent. Lirin. c.* 14. 1 Tim. 6. 20. & 2 Tim. 14. 1.

b S. August. Tom. 9. *in S. Johan. in illa verba.* Multa habeo dicere sed non potestis portare modo.

§ Verba paginarum 83, & 84. quæ à Censore producuntur, sed corrupta & truncata, ut ostendat *Traditiones Ecclesiæ* à Cantuariensi *supra divinam legem extolli*, à me hic integra exscribentur ut demonstrem Reverendissimum Antistitem à tam fœdo errore immane quantum abfuisse. Sic citantur ab isto; "Non priùs candela Scripturæ "est lux quam accensa fuerit per admotionem luminis Ecclesiasticæ "Traditionis, quæ operante gratiâ Dei, viam complanat ad plenio-

rem

" rem cognitionem Scripturæ, & mentem ante illustrat quam Scrip-
" turæ fides adhibeatur; *Ibidem*, Postquam Traditio Ecclesiæ do-
" cuit & imbuit, tum vox Scripturæ distinctè auditur. *Sic autem*
" *reverà habent*, Hodiernæ Ecclesiæ authoritate tamquam medio
" primùm indicante, impellente, ac suadente, quis probabiliter in-
" ducitur ut credat Scripturam esse Verbum Dei. Ubi vero hocce
" verbum meditatus est & attentè pensitavit, ac illud tum cum seipso,
" tum cum aliis scriptis contulit, adjuvante Dei gratiâ, atque animo
" post auditam Ecclesiæ vocem, morali ac rationi consentaneâ per-
" suasione imbuto, jam majora cur sibi fides adhibeatur, argumenta
" præbet ipsa Scriptura quam sola Traditio. Et qui Scripturam di-
" vinâ authoritate niti credit, ultimum ac plenum assensum suum resol-
" vit in ea argumenta quæ Scripturæ innata sunt & in eâ continen-
" tur, quamquam non nisi extrà quidem, Traditione, intrà verò auxi-
" liante ac dirigente Dei gratiâ, eruuntur. Probè autem fundata re-
" solutio non auxiliis sed divino illo lumine quod indubiè ipsi Scriptu-
" ræ inest, licet non nisi admotis auxiliis accendatur, niti atque susten-
" tari debet. *Verbum tuum lumen*, inquit David. Est itaque æque
" sui atque alterius manifestativum: Sed non nisi postquam præviâ
" institutione edocti sumus, quod genus lumen sit. Solent pueri so-
" lem ac lunam vocare candelas, Dei candelas. Lumen cernunt perin-
" de atque viri ipsi; at non discernunt, donec aliquâ traditione atque
" educatione fuerint instituti. Ipse quoque homo animalis lumen
" aliquod ac consilium morale in Scripturis cernit; Sed gloriosus ille
" splendor ipsi nihil aliud est quam candelæ lumen; nec valet solem à
" candelis distinguere, donec Ecclesiæ Traditio, & huic addita
" Dei gratia, illius mentem illustraverint. Itaque Traditio Ecclesiæ
" primum est motivum morale ad credendum; Sed fides quâ credi-
" mus Scripturam esse Verbum Dei, Scripturæ ipsi innititur, ubi
" comperimus eam per omnia respondere imò excellere (ut posteà
" patebit) testimonio quod ei præbuit Ecclesia. Et quemadmodum
" primitivæ & Apostolicæ Ecclesiæ Voci inerat simpliciter divina
" authoritas quâ Scriptura tamquam Verbum Dei tradebatur; ita
" postquam hodiernæ Ecclesiæ Traditio mentem docuit & imbuit,
" Vox Dei in ipsâ Scripturâ distinctè auditur. Duplici itaque au-
" thoritate, quæ utraque divina est, constat Scripturam esse Verbum
" Dei, scilicet ipsorum Apostolorum immediatâ Traditione & in-
" natis ipsius Scripturæ argumentis, menti hodiernæ Ecclesiæ testi-
" monio & Dei gratiâ præparatæ obviis. *Ait quidem* Cantuarien-
" sis *pagina* 80. *quod etiam ab isto objectatur*, innatum Scripturæ lu-
" men per se non esse satis splendidum, nec posse testimonium suffi-

ciens

"ciens sibi ipsi præbere, hoc est, ut credatur à legentibus divina esse & à Deo profecta, nisi eorum mens internâ Spiritus Sancti gratiâ illustretur. Ita enim id à se intelligi, loco jam allegato apertè testatur. Quod quid aliud est quam quod nos docet Regius Propheta, *Psal.* 119. hisce verbis, *Aperi oculos meos & videbo mirabilia legis tua*; quibus agnoscit inesse quidem divinæ legi mirabilia, sed tantam esse humanæ mentis Caliginem, ut ea percipere nequeat, nisi prius ab eâ tenebræ ope divinâ dispellantur. Unde alio loco pagina 89. *Hookerum* laudat dicentem, *humanam authoritatem* (sic vocat Ecclesiæ Traditionem circa originem Scripturæ) *esse Clavem quæ aperit januam & ingressum in Scriptura* cognitionem; eumque sic defendit. *Jam quæro*, inquit, *postquam quis in aliquas ædes ingressus est, easque perlustravit, ac perlustratas probavit, & probatas sibi delegit ut in iis habitet, quæro*, inquit, *an hoc illius propositum, Clavi quæ aperuit ostium, innitatur? minime verò. Sed ipsarum ædium solida commodaque structura.* Et pagina 100. tritum illud Samaritanorum, qui audito Christo ipso mulieri dixerunt, *non propter loquelam tuam credimus, ipsi enim audivimus*; Traditioni Scripturam indicanti, & ipsi Scripturæ lectæ & intellectæ adaptat. Et tandem paginâ 102. ad illud Hookeri jam memoratum alludens, *Traditio Ecclesiæ Clavis est*, inquit, *quæ hominem introducit in Scripturas & earum cognitionem, nempe quòd sint Verbum Dei; at postquam ingressi sunt, audiunt Christum ipsum in Sacrâ Scripturâ immediatè loquentem fidelibus. Porro Christi oves illius vocem non audiunt modò, sed norunt etiam.*

S. Johan. 4. 42.

§ Pagina 103. Adversariis quædam Patrum loca pro Traditione objicientibus, his verbis respondet Archiepiscopus. *Cùm sic loquuntur antiqui Patres*, ᵃ Scripturas habemus ex Traditione. ᵇ Multa quæ non inveniuntur in litteris Apostolorum, &c. non nisi ab illis tradita "& commendata creduntur, & similia; aut ipsorum Apostolorum "Traditionem, hoc est, quæ ab ipsis Apostolis immediatè tradita sunt, "intelligunt. Huic autem Traditioni, si de eâ certo nobis constet, "inniti fides nostra tutò potest; Aut si de suorum temporum Ecclesiâ loquuntur, tum nihil aliud volunt, nisi ex illius traditione, "quatenus cum primævâ illâ, quæ ipsorum Apostolorum fuit, concordat, fideles primùm Scripturas accepisse. Quoniam verò Traditio illa simpliciter divina non est, fides nostra in eam resolvi, aut "ei inniti nequit, donec ea ipsa in primitivam illam ipsorum Apostolorum Traditionem, aut Scripturam ipsam, aut utramque resolvatur; quo loco unà cum eâ consistimus. Tunc vero potes (Jesuitam alloquitur) aut quisquam è tuo sodalitio, nobis exhibere vel

a *Cyril. Hierosol. Catech.* 4.
b *S. August. l.* 2. *de Baptis. c.* 7. *Contra Donatist.*

"unum

"unum ex antiquis Ecclesiæ Patribus Græcis aut Latinis, qui um-
"quam dixerit, fidem, quâ creditur Scripturam esse Verbum Dei
"Ecclesiæ posteriorum temporum Traditioni inniti debere? Cum
"verò iidem Patres aiunt nos debere solâ Scripturâ niti, id cum ex-
"clusione Traditionis neutiquam intelligendum est, in quibuscunque
"rebus haberi potest: Non quod Scriptura sibi ad omnia satis super-
"que non sufficiat, sed quod sit recondita, & possit in varios sensus
"trahi, sicque malè intelligi, siquis suis ipsius viribus fidat, & for-
"sim ab Ecclesiâ solus recedere præsumat. Certè si sibi ad omnia
"satis superque sufficiat, prout affirmat *Lirinensis*, tum etiam ad
"sui probationem, saltem postquam Traditio nos ad eam recipi-
"endam præparavit. Ex quo loco hæc duo excerpsit Censor.
"1. Quando Patres dicunt se inniti Scripturæ, non excludunt Tra-
"ditionem. 2. Quia Scriptura est recondita & obscura & potest
"in diversos sensus trahi nemo propriis viribus absque Ecclesiâ fidat.
Id verò quâ fide & quo animo, tu lector Christiane judica.

Vincent. lirin. Contr. Heref. c. 2.

§ His omnibus duo tantum loca addam, ut quæ vel sola satis sunt ad demonstrandum, quantum Reverendissimus Antistes ab eo absit quem fuisse fingit ejus κατήγορος iniquissimus. Affirmanti Jesuitæ Episcopo Romano & illius Clero divinam fidem deberi propter gratiam infallibilitatis, quam sibi vendicant; "Deus bone! *inquit*, p 91. "Quo sunt isti evasuri! Certè sapiunt in suâ generatione, sed nihilo-"magis sunt propterea Filii lucis. Id si semel ab hominibus impe-"trent (qua in re prosperiorem successum quam oportuit jam ha-"buerunt) quid non effectum dabunt? Quomodo dominabuntur "fidei Christianorum, contra præceptum S. Petri? cujus, hac sal-"tem in parte, Successores non sunt. At dic amabo, si ista homi-"num societas, infallibile Dei auxilium semper experiatur, qui fit "ut tam periculosè erràverint non modò in aliis capitibus, sed in hoc "ipso, cum Ecclesiæ Traditionem Verbo Dei Scripto æquarunt. Quod dogma fuit Ecclesiæ Primitivæ incognitum. En ut *Cantuariensis* Traditionem extollit supra divinam legem! En ut Ecclesiæ Romanæ nomen dedit! En ut eam veretur offendere! Quam verò putida sit calumnia, cum per Ecclesiam, Romanam intelligere cujus Anglicana sit membrum; quod iste planum esse affirmat, vel ex sequentibus lectori æquo patebit. In Epistolâ Regi inscriptâ de *Pontificiis* & *Sectariis* Anglicanis verba faciens, hæc habet, "Nemini salus contingeret extra illorum Communionem aut istorum "Conventicula, si id in ipsorum arbitrio positum foret; quasi al-"terutri ii soli forent (prout olim de se præsumebant Donatistæ) in "quibus filius hominis in postremo adventu fidem sit reperturus.

"Ego verò cum S. *Augustino*, Da veniam, inquam, non credimus. "Neque *Roma*, neque *Conventiculum* est Catholica Christi Ec-"clesia; Extra hanc facile concesserim salutem non contingere At "contingit tum extra Romam, tum extra Conventiculum. Salus "tam angusto conclavi nequaquam concluditur. Ego itaque sequen-"ti volumine patefacere conabor latiores illas portas Ecclesiæ Catho-"tholicæ, nulli seu seculo, seu tempori, seu loco adstrictæ, neque il-"lis limitibus, præterquam fidei illius quæ semel, semel inquam, san-"ctis tradita est, circumscriptæ.

§ Lectorem hic diutius non morabor, nec tam diu detinuissem, nisi mihi compertum foret, quantum *Ludovicus Molineus* non modò viri præstantissimi famæ, sed ipsi etiam Ecclesiæ Anglicanæ, quam præsertim per illius latus petierat, calumniis suis teterrimis apud exteros nocuerit. Nam cùm Ecclesiam ipsam ex eo æstimarent, cujus in eâ gubernandâ partes erant præcipuæ; cumque virum eum iste puri puti papismi accusasset, imò &, si accusatori fides, reum peregisset, fieri non potuit quin de iis omnibus qui Ecclesiæ Anglicanæ adhærebant, quique ab Archiepiscopi cognomine, Schismaticis *Laudenses* dicebantur, pessimè sentirent, eosque non pro aliis quam Pontificiis meris haberent. Itaque operæ pretium duxi, cùm ut exteros errore liberarem, tum ut à R. R. *Cantuariensi*, adeoque ab ipsâ Ecclesiâ Anglicanâ tam fœdam labem abstergerem, loca ipsa, quæ convitiator nequissimè corruperat, & alia nonnulla ad majorem mentis authoris elucidationem, integra transcribere; quo certiùs cùm *Rei* innocentia, tum *Accusatoris* iniquitas constaret. Et quamquam eâ ratione prolixiorem me esse oportuit, eâ tamen prolixitate ego & unà Lectores mei compendium fecimus. Nam cùm in tot manifestis mendaciis deprehensus fuerit *Lud. Molineus*, nihil opus est ut, aut R. *Montacutum* olim *Nordovicensem* aut R. *Cosinum* nunc *Dunelmensem* Episcopum meritissimum, aut cæteros quos eodem libello pari iniquitate Pontificiis accenset, ab eâ criminatione vindicare laborem. Scilicet homo malus semper præsumitur esse malus in eodem genere mali; eamque mendaciorum suorum mercedem reportare solent mendaces ut ne vera quidem dicentibus, si eos aliquando vera dicere contigerit, quod ab isto aliisq; pacis Ecclesiæ Dei adversariis expectandum non est, fides habeatur. Ut non eas tantùm quibus Reverendissimum *Cantuariens.* oneravit, sed alias omnes calumnias quibus Reverendorum Ecclesiæ Anglicanæ Antistitum aliorumque famam passim lacerare & ipsius Ecclesiæ Doctrinam, Politiam, atque Ritus traducere solet, hoc uno capite refutaverim. Deinde nullus dubito quin cordati probique omnes, quibus de *Molinæi* Medici imposturâ constiterit,

ſtiterit, hoc eſt, quotquot attentè hoc unum Eccleſiæ Anglicanæ *Vindiciarum* caput perlegerint, ejuſmodi calumniatoribus qui Diabolum illum τῶν ἀδελφῶν ἡμῶν κατήγορον falſis ſuis criminationibus & mendaciis putidis imitantes, id unum agunt, ut cæteras Reformatorum Eccleſias ab hac noſtrâ, & hanc viciſſim ab illis diſſocient, aurem in poſterum occludant; Et de nobis, quantumvis ſpecioſæ ſint adverſariorum noſtrorum (quorum jam artes norunt) accuſationes, antè ſententiam non ferant, (quæ fuit nimis multorum iniqua temeritas) quàm nos pro nobis dicentes audiverint.

CAPUT. XXX.

De Jure Divino Episcopatus.

Quid per Episcopatum intelligatur. Episcopatum seu Ministrorum Sacris peragendis Subordinationem in Ecclesia Judaica Deus ipse instituit. Eam imparitatem Christus Christique Apostoli, adeo non culparunt, ut approbasse & imitati fuisse videantur. Solvitur Adversariorum objectio ex Christi Verbis, S. Matth. 20. 26. Quicunque voluerit inter vos magnus fieri, &c. *petita. Christus Dominus in terris degens duos Ministrorum Gradus dignitate atque potestate impares, Apostolos scilicet & Septuaginta Discipulos, ad Colligendam Ecclesiam constituit; Et in Cælo triumphans* dedit alios quidem Apostolos; alios vero Prophetas, *&c.* S. Hieronymus Calvinusque *laudantur. Apostoli, quam Episcoporum esse dicimus, potestatem in reliquos Evangelii Ministros habuere. Eam quibusdam,* Timotheo *puta* Titoque *atque aliis, non omnibus promiscuè & indiscriminatim commiserunt. Refellitur exceptio Adversariorum, qui eos non quà Episcopos, sed quà Evangelistas cæteris Ministris præfuisse volunt. Laudatur* Petrus Molineus. Jacobus *ab ipsis Apostolis* Hierosolymorum *constitutus est Episcopus. Is non Apostolus ex* Duodecim, *sed Discipulus fuit. Multi Apostoli dicti qui non fuerunt primarii è numero Duodecim sed Secundarii duntaxat Apostoli. Angeli Septem Ecclesiarum* Asiæ *earumdem Episcopi. Refelluntur tum qui de Angelis propriè dictis eo loco agi volunt, tum qui nomen Angeli collectivè sumendum censent, ita ut personam singulärem non denotet. Laudantur* Paræus, Beza,

Beza, Marloratus, Rainoldus, Bullingerus. *Ex Historia Ecclesiasticâ aliisque veterum, eorum etiam qui cum Apostolorum Auditoribus conversati sunt, monumentis liquet* Jacobum Hierosolymitanæ, Timotheum Ephesinæ, Polycarpum Smyrnensis, *aliosque aliarum Ecclesiarum ab ipsis Apostolis constitutos Episcopos, & eorum fuisse in* Episcopatu *successores. Successiones Episcoporum ab ipsis Apostolis deductas adversus Hæreticos allegant Secundæ Centuriæ Scriptores.* Hieronymus, Eusebius, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Irenæus, Dionysius Corinthiacus, Hegesippus *laudantur. Refelluntur quorumdam exceptiones adversus allegata Veterum testimonia pro instituto ab ipsis Apostolis Episcopatu,* 1. *Quòd Episcoporum Successiones enumerent ad probandam doctrinæ successionem.* 2. *Quòd non disertè doceant qualisnam fuerit eorum Episcoporum* προεδρία. 3. *Quòd licet fuerint apud Athenienses novem* Ἄρχοντες *æqualis inter se potestatis, unus tamen fuerit* Ἄρχων ἐπώνυμος. 4. *Quòd non conveniant inter se veteres de primis Apostolorum in Ecclesiæ Romanæ atque* Antiochenæ *successoribus. Argumentum postremum instituti ab ipsis Apostolis Episcopatus, ex Adversariorum confessione desumitur, scilicet, re & nomine Episcopos ubique in Ecclesia obtinuisse statim post Apostolos rebus humanis exemptos, nempe ante dimidium seculi Apostolorum proximi. Quod Argumentum ipsi* Baxtero *insolubile videtur. Refelluntur aliæ Adversariorum objectiones, partim ex Scripturis, partim ex Patribus desumptæ.* 1. *Quòd Episcopi Presbyterique iidem dicantur,* Act. 20. & Epist. ad Titum c. 1. *Apostoli primùm dicebantur, quos postea vocarunt Episcopos.* 2. *Quòd Episcopos plures unius Civitatis* Philipporum *in Epistola ad* Philippenses *salutet Apostolus.* 3. Ex Augustini *Epistola ad* Hieronymum. 4. Ex Hieronymo, *variis locis.*

Quid

Quid per illud *Jus Divinum*, quo Episcopatum niti impræsentiarum contendimus, intelligendum sit, XXXVIII. capite declaratum est. Nempe illud nobis Divini Juris est, quod à Christo Christive Apostolis in Ecclesia institutum est; idque ab ipso *Theodora Beza* in hac ipsa Controversia conceditur. *Certè*, inquit, *si ab ipsis Apostolis esset profecta* (Episcoporum institutio) *non vererer illam, ut cæteras Apostolicas Ordinationes, divina in solidum dispositioni tribuere.* Jam verò cùm, quibus rationibus & argumentis inducti eo jure Episcopatum niti nobis persuasum est, hoc capite dicturi simus, ante omnia aperiendum est, quid per Episcopatum intelligamus. Is nobis igitur Episcopus est ac dicitur, cui non modò plebis Christianæ Verbo & Sacramentis pascendæ, salutarique Disciplinâ in pietate & virtute continendæ, sed cæterorum etiam Verbi ac Sacramentorum Domini Administrorum tum Ordinandorum, tum Dirigendorum, Corrigendorumque, ubi opus est, juxta Ecclesiæ Canones, peculiaris cura commissa est. Quâ definitione duo, quæ ad Episcoporum sive Ordinem sive Gradum ac ὑπεροχὴν semper spectarunt, *Ordinationem* scilicet, atque *Jurisdictionem* comprehendi volumus. Addimus verò, utramque juxta Ecclesiæ Canones administrandam; quia Episcoporum potestas arbitraria non est, nec umquam fuit, sed semper Christi Sanctorumque Apostolorum præceptis atque Ecclesiasticis Synodorum, seu Oecumenicarum seu Provincialium constitutionibus circumscripta est, & politicis etiam Principum, ex quo ad Christum accesserunt, legibus, quoad exercitium, variè pro varia regionum ac temporum ratione limitata. Itaque ubicunque inter Ministros Christi imparitas & *Subordinatio*, ut hac utar voce, aut umquam obtinuit, aut etiamnum obtinet, cum utraque tum Ordinandi tum dirigendi, corrigendique Inferiores delinquentes potestate, quibuscunque limitibus circumscribatur, ibi Episcopatum obtinuisse obtinereque affirmamus.

Beza, *de diversis Ministrorum Gradibus adversus Saraviam. cap.* 23.

§ Quamquam hic de Ecclesiæ Christianæ tantum Ministrorum gradibus sermo fit, non abs re tamen fuerit obiter annotare Deum ipsum varios in Ecclesia Judaica Sacris peragendis constituisse Ministrorum Ordines, nempe summum Pontificem, Sacerdotes, & Levitas cum utrorumque Principibus. Licet enim ex eo quod Ecclesia Judaica universa, ipsique adeo Sacerdotes & Levitæ atque omnes eorum Principes, uni Pontifici summo tamquam capiti subjecti fuerint, malè inferant Pontificii totum quà patet, orbem Christianum Romano Episcopo subjiciendum; cùm alia Ecclesiæ quæ non extra unam Judæorum gentem porrecta fuit, alia Ecclesiæ quæ per infinitorum

torum prope populorum regiones diffunditur, longè ratiò sit; Et Judæorum Pontifex Christi Domini insigni quodam modo typus extiterit; rectè tamen ab ipso *Hieronymo* aliisque observatum, *Traditiones Apostolicas sumptas de veteri Testamento; Et quod Aaron & filii ejus atque Levitæ in Templo fuerunt, hoc sibi Episcopos, Presbyteros & Diaconos vendicare in Ecclesia.* Neque quisquam prudens pro nihilo in hac Controversia habendum dixerit, Ministrorum imparitatem in Ecclesia Judaica ad ipsum sapientissimum Deum Authorem referri. Hinc enim illud saltem efficitur, Episcopatum in genere, hoc est, unius Sacrorum Ministri præ aliis præeminentiam & in illos authoritatem, in Ecclesia jure Divino constitutum fuisse. Quo posito, lubens ex Adversariis quærerem, cum certò constet Sapientissimo Deo visum fuisse, ut Ecclesia ante adventum Christi à Ministris regeretur dignitate & authoritate inter se disparibus, si neque Christus neque Christi Apostoli eam Ecclesiæ gubernandæ formam dictis factisve improbaverint, aut in posterum mutandam declaraverint, annon Sacro Sancti Evangelii Ministrorum imparitas ac Subordinatio Sapientiæ Dei in Scripturis revelatæ magis consentanea dicenda sit, quam eorum omnium ac singulorum ἰσοτιμία atque omnimoda æqualitas? Itemque, si Christus aut beati illius Apostoli nullam inter Evangelii Ministros imparitatem obtinere voluissent, an non id eos disertis verbis prohibere oportuit? An non Apostoli summoperè Cavere debuerunt, ne quid committerent dum fundarent Ecclesias, aut ad eas jam fundatas atque constitutas scriberent, unde colligi posset ipsis non displicere ut politia veteri illi quæ Deum ipsum authorem habuit, similis apud illas obtineret, ne Ecclesiæ tanto exemplo ductæ eam ubique unanimes admitterent? Atqui Christus Christive Apostoli neque dictis neque factis Ecclesiæ Judaicæ εὐταξίαν usquam improbarunt. Nam si improbarint, cedo quo loco, quo tempore, quibus verbis, quibusve factis? Adeo autem abfuerunt à prohibendo ne ulla esset inter Ecclesiæ Ministros imparitas, aut ab ea committendo ac scribendò unde pateret ejusmodi εὐταξίαν, (in qua aliquis ex Evangelii Ministris præemineat reliquis) à se damnari; ut potius varios Ministrorum Gradus (non jam dicam constituerint, ne dicar principium petere, sed quod jam satis mihi est) constituisse videantur, eaque egisse ac scripsisse, ex quibus facilè inferas ipsis propositum ut à Politia Judaicæ Ecclesiæ in Christiana nihil fermè discederetur. Certè unum Diaconorum Apostolis authoribus institutum satis arguit Ministeriorum Ecclesiæ æqualitatem, neque a Christo imperatam esse (ejus enim dicto audientès in omnibus fuerunt) neque ab illis constitutam.

Hieronym. ad Evagrium. Tertul.

§ Sed.

§ Sed cùm soleant paritatis inter Evangelii Ministros propugnatores his Christi Verbis, quæ habentur St. *Matth.* 20. 26. scilicet, *Quicunque voluerit inter vos magnus fieri*, aut (ut S. *Marcus c.* 10) *primus esse, sit vester minister*, abuti & imperitis negotium facessere, quasi iis Dominus omni præeminentiâ dignitate, & authoritate Ecclesiæ suæ Ministros in συλλειτούργους & comministros, interdicat; antequam progredimur, declarandus est horum Christi Domini Verborum genuinus intellectus, nequis præposterâ Adversariorum interpretatione decipiatur. Mater filiorum Zebedæi terrenum Messiæ regnum cum Judæis ferè omnibus somnians, à Domino, Rege scilicet, futuro petierat ut filii præcipua honoris ac dignitatis loca apud ipsum tenerent. Id reliqui Discipuli, qui in eodem errore de terreno Christi regno versabantur stomachati sunt & graviter admodum tulerunt. Et quamquam animi sui elationem aliquantisper celavere, efferbuit tamen ac tandem erupit ambitio quam omnes presserant sed qua laborabant singuli, adeo ut certamen inter eos exortum sit, non de primatu in Ecclesia (tum enim nihilminus quam Ecclesiam cogitabant) sed uter eorum in terreno illo Messiæ Regno, quod unum animo versabant, futurus esset maximus. Quòd cum Dominus perspectum haberet, ut eos errore circa naturam regni sui liberaret, & animi morbum ex errore natum penitus evelleret, his verbis; *Scitis. Reges gentium in eas Dominari & magnates potestatem exercere, verùm non ita erit inter vos; Sed quicunque voluerit inter vos magnus fieri, sit minister vester*; declaravit nec sibi terrenum principatum futurum esse, nec ipsis splendida munia cum imperandi potestate conjuncta, qualia Magnatum esse solent, expectanda. Deinde eos suo etiam exemplo docuit, quam procul amovenda sit illa dominandi libido, eodem loco, statim subjiciens; *Quemadmodum filius hominis non venit ut sibi ministraretur, sed ut ministraret, & vitam daret redemptionis pretium pro multis.* An non luce meridianâ clarius est nihil aliud iis Verbis Christo Domino propositum, quam ut errorem de regno terreno, &, quæ ex eo errore orta erat, ambitionem imperandi, Discipulorum animis eximeret; simulque doceret munus ad quod vocati erant, dominatum non esse, sed ministerium, cum nec ipse, *quem vocabant Magistrum & Dominum*, (idque rectè cùm sit omnium Magister & Dominus) ipsis ministraverit & in mundum venerit ut ministraret, non ut sibi ministraretur. Unde liquet, non magis ex iis Christi verbis sequi, omnes Evangelii Ministros ejusdem esse inter se dignitatis & authoritatis, nec quemquam eorum aliis Comministris præesse debere; quàm Christum ipsum Apostolis superiorem non fuisse, aut Apostolos in eos, quos Ecclesiis Pastores præficiebant,

præficiebant; authoritatem non habuisse, nec habere debuisse. Imo, quod viri docti annotarunt, cùm quod S. *Matthæus* & S. *Marcus* habent, *qui voluerit magnus fieri & primus esse*, apud S. *Lucam* sit, *qui maximus est inter vos*, &, *qui præest*, seu *ductor est*, ὁ ἡγούμενος, ex hoc loco rectius inferas, Christum imparitatem & Subordinationem inter Evangelii sui Ministros præsupposuisse & futuram prædixisse, & eâdem operâ eos monuisse qui ad gradum Superiorem eveherentur, ne præeminentiâ & authoritate illâ suâ abuterentur, *neve pascerent gregem Dominicum, quasi dominantes in clerum Domini*, prout habet S. *Petrus*, *sed tamquam gregis exemplaria*. Certè siquid ex iis Christi Domini verbis elici posset pro Evangelii Ministrorum ἰσοβαθμίᾳ id ad unum Apostolorum Collegium restringendum esset, nec ultra extendendum. *Fuerunt enim Apostoli omnes*, ut loquitur B. *Cyprianus pari consortio præditi honoris & potestatis*; *Et super eos Ecclesiæ soliditas ex æquo fundata est*, inquit *Hieronymus*. At distinctionem ac imparitatem omnem inter Ecclesiæ suæ Ministros hîc nequaquam vetuisse vel ex eo constat, quòd tam ipse, & in terris degens & in Cœlos evectus, quàm ipsius Apostoli, ad quos ea verba direxerat, varios Ministrorum gradus ad colligendas, pascendas regendasque Ecclesias constituerint. Quod jam imus demonstratum.

S. Petr. Ep. 1. 5.

Cyprian *de unitate Ecclesiæ.*

Hieron. adv. Jovinian. l. 1.

§ Testatur Historia Evangelica à Christo institutos, Evangelii Ministros duodecim Apostolos & Septuaginta Discipulos, dignitate atque potestate impares, qui Judæorum genti universæ regni Cœlorum adventum annunciarent. Testatur S. *Paulus Ephes.* 4. eum in Cœlo triumphantem post Ascensionem, *dedisse alios quidem Apostolos, alios verò Prophetas, alios Evangelistas, alios Pastores & Doctores, ad opus Ministerii.* Et ut scias hos non functionibus tantummodò sed gradibus etiam distinctos fuisse, eos idem Apostolus ordine recenset 1 *Cor.* 12. 28. inquiens; *Dedit Deus in Ecclesia primùm Apostolos, deindè Prophetas, tertio Doctores.* Quin Apostoli duplici illâ potestate in qua Episcopalem præeminentiam positam esse supra diximus, ab ipso Christo Domino præditi fuerint, nemo umquam dubitavit. At Septuaginta Discipulos quamquam fatentur Apostolis in rebus multis inferiores, iis tamen subordinatos fuisse quidam negant, ut qui Collegium ab Apostolico distinctum & prorsus independens ipsi seorsim constituerint. Quæ subtilitas ne ipsi quidem Hieronymo umquam in mentem venit. Eos enim vocat, *secundi ordinis præceptores & minoris gradus Discipulos. Hieronym. ad Fabiolam, de 42: mansionibus.* Septuaginta Discipulorum unus S. *Lucas* expressè meminit, Evangelii sui capite 10. ubi eorum tum Legationem, tum

Theo. Beza *de Diversis Ministrorum gradibus contra Saray. c. 1.*

Legationis successum narrat. Postea verò nulla eorum seu apud cæteros Evangelistas, seu apud ipsum Lucam expressa mentio occurrit. Sed cum ex ea, quam Evangelista instituit de Septuaginta Discipulis, narratione planè constet, eos Ecclesiæ ex populo Judæorum colligendæ Ministros à Christo constitutos, & operarios in Messem Evangelicam missos, quod ipsum fuit Sanctorum Apostolorum munus; cumque non minùs planum sit, eos Apostolis nec pares nec superiores fuisse, necesse est ut fuerint inferiores. Ab ipso quidem Christo Domino Ordinati sunt Evangelii Ministri & dotibus ac præceptis ad opus perficiendum idoneis instructi in Messem missi. Siquid deliquissent, præsto erat Dominus, qui eos ipse reprehenderet, in officio cessantes moneret, & si res ferret, munere moveret. Itaque nulla Apostolis occasio data fuit ullius in eos exercendæ potestatis quamdiu ipsius Christi sub oculis fuerunt, & eum ipsum inspectorem immediâtum verumque adeo Episcopum habuerunt. Sed postquam Christus in Cœlum ascendit, non minus Septuaginta Discipulis quos Dominus ἀμέσως ad Evangelii sui prædicationem designaverat, quam aliis Evangelii Ministris, quos vi Apostolatus sui ordinaverant, cum potestatis eminentiâ præfuisse, eosque omnes cujuscunque gradus & Ordinis, æquè rexisse extra controversiam est. Hanc vero potestatem cùm â Christo Domino acceperint, seu ea ante, seu post illius Ascensionem tantum, seu numquam omnino in Septuaginta Discipulos usi sint (quod postremum volunt qui eorum ministerium fuisse temporarium, & cum eo quo Christus intra Judæam functus est, desiisse statuunt) perindè est, cùm in alios, quos etiam ipse Christus dedit Ecclesiæ Ministros, quos loco citato Epistolæ ad Ephesios S. Paulus enumerat, eam exercuerint. Nam & eos ad Evangelizandum in varias orbis regiones emiserunt, & Ecclesiis præfecerunt, & qua ratione in Domo Dei versandum, quid ipsis faciendum, quid cavendum, quid in aliis reprehendendum ipsis præceperunt. Sed multi sunt, iique magni nominis Scriptores, tum veteres tum recentiores, qui Septuaginta Discipulorum Ministerium non πρόσκαιρον, sed perpetuum & non nisi cum ipsorum vita desiturum fuisse asserunt, eosque habent pro Evangelistis & secundariis Apostolis. Instar omnium erunt *Hieronymus* & *Calvinus*; ille inter veteres in hac præsertim Controversia, apud Adversarios præcipuæ authoritatis; iste, ut *Hugo Grotius* loquitur, *recentiorum omnium facilè princeps.* "Non "dubium, inquit *Hieronymus*, loco jam allegato, quin de duodecim "Apostolis sermo sit, de quorum fontibus derivatæ aquæ totius mun-"di siccitatem rigant. Juxta has aquas Septuaginta creverunt pal-"mæ, quas & ipsos secundi ordinis intelligimus præceptores; Lucâ "Evangelistâ

1 Tim. 1. & 3. & 5. 6. & Tit. 1. & 2. & 3.

Grotius de jure Summar. Potest. circa Sacra cap. 11. p. 358.

"Evangelistâ testante XII. fuisse Apostolos & LXX. Discipulos minoris gradus, quos & binos ante se Dominus emittebat. De quibus & Paulus refert, quod apparuerit Dominus primùm undecim, deinde Apostolis omnibus; alios volens intelligi primos, & alios secundos Christi Discipulos. De Evangelistis autem verba faciens *Calvinus*, per Evangelistas, *inquit*, eos intelligo qui cum dignitate essent Apostolis minores, officio tamen proximi erant, adeoque vices eorum gerebant. Quales fuerunt Lucas, Timotheus Titus, & reliqui similes: ac fortassis etiam Septuaginta Discipuli, quos secundo loco ab Apostolis Christus designavit. Hæc ille *Institut. l.4.c. — n.*—— dubitanter quidem? Sed Commentario in 1. *Ep. ad Corinthios*, ad illa verba v. 7. Deinde visus est *Jacobo*, post Apostolis omnibus; "Per Apostolos omnes, *inquit*, intelligo non solos duodecim, sed Discipulos etiam quibus Evangelii prædicandi munus injunxerat. Ii autem non alii fuerunt quam Septuaginta, quibus solis, scilicet præter Apostolos, Evangelium prædicandi munus à Christo injunctum est. Utut sit, ex his satis liquet ab ipsis Ecclesiæ Christianæ primordiis varios Ministrorum Gradus imparis inter se potestatis ab ipso Christo Domino fuisse institutos.

§ Nec minùs liquidum est tum ex ipsis Scripturis Sacris, tum ex veterum monumentis, Beatos Apostolos quam a Christo Domino acceperant potestatem Episcopalem in reliquos Evangelii Ministros non omnibus promiscuè, ita ut unus quisque non nisi omnium fratrum cœtui subjiciendus foret, sed quibusdam tantum συνεργοῖς Communicasse & ministerium variis ordinibus ac gradibus distinctum in Ecclesia constituisse; ita ut esset unus aliquis ad quem & novorum Ministrorum Ordinatio, & in jam Ordinatos inspectio peculiari modo pertineret, cum authoritate delinquentes & in officio cessantes pro delicti ratione, monendi atque corrigendi, ad Ecclesiæ ædificationem. Eam potestatem à Sancto Christi Apostolo *Paulo*, *Timotheum*, & *Titum* accepisse luculentius est quam ut negari queat, nisi ab eo qui adeo cæcutit ut ne ea quidem cernat qui ipsius oculis obversantur. Hæc enim legas in Epistolis quas ad eos scripsit Apostolus. a *Permane in eis quæ didicisti*, inquit Timotheo, *& quæ tibi concredita sunt, sciens à quo didiceris.* b *Et quæ audisti ex me inter multos testes, hæc committe fidelibus hominibus, qui idonei sint ad alios quoque docendos.* c *Manus citò ne cui imponito, ne cum alienis communices peccatis.* d *Hujus rei gratia reliqui te in Creta (sic Titum alloquitur) ut, quæ reliqua sunt, pergas corrigere; & constituas oppidatim Presbyteros, sicut ego tibi mandavi.* Ex quibus patet utrique ab Apostolo

a 2 Tim. 3.
b 2 Tim. 2.
c 1 Tim. 5.
d Tit. 1.

 commissam

commissam fuisse potestatem Ordinandi Ministros ad Evangelii prædicationem. Ostendunt autem sequentia, eos, quos, ad Sacrum Ministerium Ordinaverant, licet ipsorum in opere Evangelii συνεργοὶ fuerint, in inferiore gradu substitisse; adeo ut *Timotheo* & *Tito* potestas, sic præcipiente Apostolo, reservata fuerit eosdem monendi, judicandi, corripiendi, exauthorandi. e *Denuncia quibusdam ne diversam doctrinam doceant, nec attendant fabulis.* f *Adversus Presbyterum accusationem ne admittito, nisi sub duobus aut tribus testibus. Eos qui peccant, coram omnibus argue, ut reliqui timeant.* g *Sunt multi refractarii, & vaniloqui, & mentium deceptores, quibus oportet os obturari. Domos enim totas subvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri causâ. Hos severè redarguito, ut sani sint in fide, neque attendant Judaicis fabulis & mandatis hominum aversantium veritatem. Hæreticum hominem post unam aut alteram admonitionem rejice.* Ex iis quæ habentur in 1 *Tim.* 5. 19. & 22. de accusatione adversus Presbyterum non recipiendâ & de manibus nemini temerè imponendis, fateri cogitur Cl. *Beza* in Annotatis ad ea loca, *Timotheum in Ephesino Presbyterio tum fuisse Antistitem.* Quod autem hic vel maximè observandum, erant in Ephesiorum Ecclesia quod supponit *Beza*, plures Presbyteri, *Act.* 20. antequam *S. Paulus* illius Curam *Timotheo* committeret; quorum Collegio si concessa fuisset ab Apostolo potestas alios Presbyteros Ordinandi & in singulos jurisdictio, quid opus erat novo Inspectore Timotheo ad ea munia obeunda? Idem de Tito & Cretensibus Presbyteris quæri potest, cum verisimile non sit, quod quibusdam placet; in ea regione nullos ab Apostolo fuisse Evangelii Ministros Ordinatos, in qua tanta fuit fidelium multitudo ut in una quaque Civitate, κατὰ πόλιν, constitui debuerint Presbyteri; hoc est, in iis civitatibus in quibus non jam erant aliqui constituti.

e 1 Tim. 1.
f 1 Tim. 5.
g Tit. 1. & 2. & 3.

§ Quæ cùm adeo manifesta sint ut nequeant negari, ne tamen causæ suæ deesse videantur Adversarii; eam potestatem quam Episcopalem dicimus, *Tito* atque *Timotheo* non ut Ephesiorum ac Cretensium Episcopis, sed ut Evangelistis concessam volunt. Per Evangelistas autem intelligunt extraordinarios quosdam nascentis Ecclesiæ Christi Ministros Apostolis dignitate & authoritate proximos, quorum operâ Apostoli in Evangelio prædicando fundandisque Ecclesiis utebantur; in quo quidem munere Successores nec habuerint, nec habere debuerint. *Primò*, quodnam fuerit eorum munus quos S. *Paulus* à Christo Ecclesiæ Evangelistas datos esse testatur, neque ex Scripturâ, neque aliunde certo constat. Sed si *Pseudo-Ambrosio* æque in omnibus fidem habeant Adversarii, quod viros ingenuos deceret non

non infra Episcopatum modò, sed Presbyteratum quoq; subsidebat. *Evangelistæ* (inquit ad cap. 4. Epist. ad Ephes.) *Diaconi sunt sicut fuit Philippus. Quamvis non sint Sacerdotes Evangelizare tamen possunt sine Cathedra, quemadmodum & Stephanus & Philippus memoratus.* Quod si verum est, vides quàm nihil ad rem effugium illud de *Timotheo Titoque* Evangelistis. *Secundò*, non magis constat *Titum* ac *Timotheum* fuisse ex eorum Ministrorum numero. Nihil enim ex Scripturis afferri solet ad munus illud *Tito* asserendum. Et quæ verba de *Timotheo* in eam rem afferuntur, scilicet, ἔργον ποίησον εὐαγγελιστοῦ, 2 *Tim.* 4. 5. non magis evincunt eum fuisse Evangelistam non autem Episcopum, quam hæc ibidem immediatè sequentia τὴν διακονίαν σου πληροφόρησον eum probant fuisse Diaconum, non autem Presbyterum. *Tertio*, (quamquam vero similius est εὐαγγελιστοῦ quemadmodum διακονίας vocem hic generali significatu usurpari) demus non tantum Timotheum sed Titum quoque fuisse Evangelistas; Demus etiam eos Evangelistas fuisse quibus Apostoli utebantur ad Evangelium iis annunciandum ad quos nondum pervenerat & ad Ecclesias ex Gentibus ac Judæis congregandas, quorumque adeo munus πρόσκαιρον fuerit, non autem perpetuo post prædicatum per totum orbem Evangelium, & Congregatas ubivis Gentium, Christianorum Ecclesias, duraturum; quid Ecclesiæ Ephesinæ jam fidem Christi per Evangelii prædicationem amplexæ, jamque plurium Presbyterorum Ministerio gaudenti opus fuit *Timotheo* Evangelistâ, hoc est, eo Ministro cujus munus erat iis Evangelium annunciare qui de Christo nihil umquam audiverant? At Timothei Episcopi qui jam à Paulo Ordinatis Presbyteris consilio & authoritate præesset, qui in officio cessantes moneret, delinquentes corrigeret & novos pro Ecclesiæ necessitate ipse Ordinaret (quod meris Presbyteris non licuisse vel ex eo plusquam probabile est, quòd illi non istis, id muneris demandat Apostolus) non fuit inutilis opera. Quando quis umquam vel fando audivit Evangelistarum muneris fuisse Presbyteros Ordinare, monere, judicare, corripere, & jam constitutas Ecclesias integras regere. Ea omnia Apostolicæ præeminentiæ erant, & eorum tantum quibus similem potestatem Apostoli concessam voluerant; ut *Timothei, Titi*, & aliorum, non quà Evangelistarum, sed quà Episcoporum, hoc est, Apostolicæ illius præeminentiæ (quæ in Ecclesia perpetua esse debuit) successorum. Unde primos illos Episcopos sacris Apostolorum ipsorum manibus Ordinatos, *Apostolos* dictos apud veteres passim videre est. Vulgo notus est ille *Theodoreti* locus, Τοὺς νῦν καλουμένους ἐπισκόπους, Ἀποστόλους ὠνόμαζον. Ut Episcopi Apostolorum Successores κατ' ἐξοχὴν jure merito dici possint, non exclusis tamen

Vide Hammond. *Dissertat.* 4. *de Episcopat. c.* 3.

tamen in ea parte Apostolicæ successionis quæ versatur circa verbi & Sacramentorum Administrationem, Presbyteris. Ad Evangelistas autem quod attinet, si eorum officium, ex iis æstimetur quæ narrantur Actuum Apostolicorum capite 8. de *Philippo*, quem unum Sacræ Litteræ Evangelistam indigitant, ejusdem libri capite 21. 8. in hoc tantum situm fuit, ut iis fidem Christi prædicarent, quibus nondum innotuerat, & ut conversos ac credentes Sacri Baptismatis aquis abluerent. Nihil enim ultra sibi arrogasse Philippus legitur; advocatis Apostolis qui Samaritanis per illius prædicationem ad fidem conversis & ab eo Baptizatis, ipsi *manus imponerent*, seu ad eos omnes in fide confirmandos, seu ad aliquos ad Sacrum Ministerium Ordinandos. Quinto, licet Apostolus *Timothei Titique* ministerio usus sit ad Evangelistarum munus exequendum quando & ubi ad id eorum opera visa est utilis, ad propagationem Evangelii, palam est, vel ipsis Adversariis confitentibus, ex datis ad utrumque Epistolis aliam illis, Episcopalem scilicet ab eo demandatam provinciam, cùm istum Cretensium, illum Ephesiorum Ecclesiæ præficeret. Quod nobis satis est ad probandum Episcopatum esse Apostolicæ institutionis, proindeque juris Divini. *Denique quomodo cunque tu appellaveris Titum & Timotheum & Marcum*, inquit celeberrimus *Molinæus*, *seu Episcopos seu Evangelistas, constat eos habuisse Successores Episcopos, hæredes illius præeminentiæ.*

Petri Molin. Epist. 3. ad Wintoniensem inter Winton. Opuscula.

§ Sed ad alia, quibus hoc idem probetur ac confirmetur, pergamus. Uno ore testantur omnes veteres *Jacobum* ab Apostolis Hierosolymorum Episcopum fuisse constitutum, nec contradicit quod sciam, ullus recentiorum, quorum authoritas aliqua in Ecclesia Dei. Sed quis fuerit *Jacobus* ille, non ita certò constat. Alii enim eum duodecim Apostolis annumerant & *Alphæi* filium esse putant, cùm Jacobus Zebedæi frater Johannis ab Herode interfectus fuerit statim à resurrectione Domini. Alii verò tertium aliquem Jacobum fuisse arbitrantur, à quo Scripta est Epistola Catholica. In his author *Recognitionum* quæ *Clementi* tribuuntur; quo nomine librum illum falsò *Clementi* adscriptum vult *Bellarminus*, ut qui *Jacobum* Hierosolymitanæ Ecclesiæ primum Episcopum, Alphæi filium, unum ex duodecim Apostolis fuisse censeat. Sed *Hegesippus* vicinus Apostolicorum temporum, ut de eo loquitur *Hieronymus*, eum Apostolum non fuisse satis indicat his verbis, quæ habentur apud *Eusebium*; Διαδέχεται τὴν ἐκκλησίαν μετὰ τῶν Ἀποστόλων ὁ ἀδελφὸς τοῦ κυρίου Ἰάκωβος ὀνομασθεὶς ὑπὸ πάντων Δίκαιος. *Jacobus frater Domini ab omnibus Justus dictus Ecclesiam cum Apostolis suscipit.* Nam si eum habuit pro Apostolo; dicere debuit, cum cæteris Apostolis. Cùm *Eusebius* ad

Euseb. l. 2. Cap. 23.

ad illud S. *Pauli*, ὤφθη Ἰακώβῳ, εἶτα τοῖς Ἀποστόλοις πᾶσιν dicit plures fuisse eo sæculo Apostolos κατὰ μίμησιν τῶν δώδεκα, *ad exempla duodecim* satis indicat se eum pro Apostolo eminenter sic dicto, non habuisse. In Menologio Græcorum tres Jacobi commemorantur, Jacobus Alphæi, Octob IX. Jacobus Frater Domini, Octob. XXIII. Jacobus Zebedæi XXX April. Idem supponit atque innuit *Hieronymus* l. de Scriptoribus Ecclesiasticis. *Jacobus qui appellatur frater Domini, cognomento Justus, ut non nulli existimant, Josephi, ex alia uxore, ut autem mihi videtur*, inquit, *Mariæ sororis Matris Domini, cujus Johannes in libro suo meminit, filius, post passionem Domini ab Apostolis Hierosolymorum Episcopus ordinatus est.* Ab *Apostolis*, inquit, innuens eum non fuisse Apostolum è Duodecim. In quam sententiam multa annotavit in Caput. 1. Epistolæ ad Galatas. S. *Paulus* 1 Cor. XV. hunc eumdem Jacobum manifestò distinguit ab utroque Jacobo qui fuerunt è duodecim. Nam cum dixisset Dominum à mortuis suscitatum *apparuisse Cephæ & Duodecim*, è quorum numero fuit uterque Jacobus Apostolus, post pauca subdit ἔπειτα ὤφθη Ἰακώβῳ, εἶτα τοῖς Ἀποστόλοις πᾶσιν, hoc est, iis omnibus qui κατὰ μίμησιν τῶν δώδεκα, prout jam loquentem *Eusebium* audivimus, dicebantur Apostoli. Si Jacobus Alphæi idem esset cum Jacobo Hierosolymorum Episcopo primo, cùm in Evangelio, eo loco ubi duodecim Apostolorum nomina recensentur, dicatur Alphæi Filius, nec cognationis ullius quæ ipsi cum Domino intercesserit, mentio fiat, quî factum ut à S. Paulo, *Galat.* 1. 19. non Alphæi filius, sed *Domini frater* dictus sit? Ex Evangelio enim, quod fidelium omnium manibus terebatur, ex Alphæo patre, vulgò notus erat, non autem ex fratre seu cognato Domino. Unde sapientiam Apostoli decebat, ut illâ non istâ notâ eum distingueret, si revera Alphæi filius fuit. Quî factum etiam ut in Epistolâ Catholica, quam à Jacobo Hierosolymitano Episcopo scriptam melioris notæ, tum veteres tum etiam recentiores Scriptores existimant, se non Apostolum, si revera unus è duodecim fuit, sed *Dei & Domini Jesu Christi servum* tantummodò dixerit? cùm longè plus valuisset ad authoritatem Epistolæ quam ad fideles dabat, conciliandam, illius Apostolatus mentio, quam ullus alius titulus. Scio nonnullis haud probabile videri ut inter columnas numeretur & Petro atque Johanni æquetur & quodammodò supra cæteros etiam Apostolos efferatur unus è Discipulis. Sed primò non dicit Paulus eos esse, sed *visos* fuisse columnas; nempe iis adversus quos disputat Apostolus, qui cùm revera omnes Apostolos non minus quam Paulum contemnerent, tamen illorum nomina jactabant tanquam excellentium Christi Discipulorum, ut Paulum tanquam abortivum quempiam

Beza Annotat. ad v. 6. 9. cap. 1. Epist. ad Galat.

piam

piam opprimerent, quæ *Bezæ* observatio est. Secundo, si memineris quanta fuerit hujusce viri præstantia, haud miraberis eum ipsis Apostolis æquari & Columnis accenseri. Vulgo cognominabatur *Justus* ob virtutum excellentiam; *Et vir tantæ sanctitatis & rumoris fuit in populo, ut fimbriam vestimenti ejus certatim cuperent attingere*, inquit Hieronymus. Nec *Josephus* urbis excidium aliqua ex parte ipsius morti imputare dubitavit. Neminem autem movere debet quod à nonnullis allegatur ex *Galat.* 1. 19. Ἕτερον δὲ Ἀποστόλων οὐκ εἶδον εἰ μὴ Ἰάκωβον τὸν ἀδελφὸν τοῦ κυρίου, ut probent eum fuisse Apostolum è Duodecim. Nam planùm est *Barnabam*, *Silam* & alios in ipsa Scriptura Sacra dici Apostolos, qui non fuerunt ex illo reverâ Sacro Collegio. Sed demus per Apostolos hoc loco Duodecim illos intelligi, tantum ab est ut inde Jacobus ex eorum numero fuisse probetur; ut potiùs contrarium manifestissimè evincatur. Nam particula εἰ μὴ ex Novi Testamenti usu frequenti idem est quod *Sed*, ut vel ex ejusdem capitis v. 7. videre est. Ὃ οὐκ ἔστιν ἄλλο εἰ μὴ τινές εἰσιν οἱ ταράσσοντες ὑμᾶς *Quod non est aliud: Sed sunt, qui vos conturbant.* Estque non *exceptiva*, ut sic loquar, sed *discretiva*. Quod ex Apocalypsews 9. 4. Manifestum est. Καὶ ἐῤῥέθη αὐτοῖς ἵνα μὴ ἀδικήσωσι τὸν χόρτον τῆς γῆς οὐδὲ πᾶν χλωρὸν, οὐδὲ πᾶν δένδρον· εἰ μὴ τοὺς ἀνθρώπους. Ad quem locum *Beza* ineptos eos esse dicit & imperitos, cùm ne Grammaticam quidem vocum declarationem norint, qui nesciunt εἰ μὴ idem esse quod ἀλλὰ passim in Novo Testamento. Dicit itaque S. Paulus, cum venisset Hierusalem ad invisendum Petrum, se apud eum mansisse & ab eo hospitio exceptum per dies quindecim. Nullum autem alium Apostolum è duodecim reperisse Hierosolymis, quippe qui aliò se contulerant ad propagandum Evangelium. Sed reperisse *Jacobum*, non Alphæi, qui erat Apostolus, sed fratrem Domini, qui Hierosolymis continuo agebat, ut cui illius Ecclesiæ cura commissa fuit ab Apostolis. His aliisque ductus rationibus celeberrimus *Salmasius* in *Walone Messalino* pag. 20. *Certum est*, inquit, *non fuisse unum ex Duodecim.* In quam sententiam concedit quoque *Calvinus*, in Præfatione Commentarii ad Jacobi Epistolam. *Non nego*, inquit, *alium*, (non Apostolum; hoc enim negat) *fuisse Ecclesiæ Hierosolymitanæ præfectum: & quidem ex Discipulorum collegio. Nam Apostolos non oportuit certo loco alligari.* Quod si verum est, quis non videt & hunc ab ipsis Apostolis Ecclesiæ Hierosolymitanæ & illius Presbyterorum, quorum mentio fit Act XV. & XXI. fuisse constitutum Episcopum. Sed si demus, quod verisimile non est, eum fuisse unum ex Duodecim, aut ab iis ad Apostolatum evectum, quod viro cuidam doctissimo placere, & ex *Hegesippo* deduci posse videtur, non minùs

Hieronym. *in Epist. ad Galat. ad. cap* 1.

eo

eo probabitur quod volumus. Nam vel inde evincetur S. S. Apostolos unum potius ex suo Collegio Ecclesiæ Hierosolymitanæ illiusque Presbyteris Episcopum præficere, quam, eam turbis, factionibus & dissidiis *quæ ex æqualitate nasci solent*, ut rectè observat Calvinus, patere voluisse. Nulla certè Ecclesia eo tempore melius minoreque cum periculo potuit carere Episcopo, quàm Hierosolymitana, ut cui ferè semper præsto fuit aliquis Apostolorum ad eam regendam & Presbyteros exemplis & præceptis in Officio dirigendos. At noluerunt committere viri Divini ut Ecclesia, cui ipse Dominus Evangelium prædicaverat, & in cujus conspectu sanguinem suum pro humani generis redemptione profuderat, præstantissimâ Politiæ Ecclesiasticæ formâ destitueretur, ne tantum exemplum ad cæteras, ut fit, dimanaret. Jacobo igitur seu Discipulo & secundario duntaxat Apostolo, seu uni ex Duodecim (utrum voluerint eligant adversarii) illius Episcopatum commiserunt. Calvin. *Instit. l.* 4. *c.* 4. *sect.* 2.

§ Septem Ecclesiarum Asiaticarum Angeli ad quos ab ipso Domino scribuntur totidem Epistolæ Apocalypseως 2. & 3. aliud nobis argumentum præbent instituti ab ipsis Apostolis & ab ipso Christo approbati Episcopatus. Non sunt ii refutatione digni, qui de Angelis propriè dictis hic agi opinantur. Sæpius quidem Deus Angelorum ministerio apud homines usus est; at hominum calamo & scriptura apud Angelos usum, nusquam legimus. Conveniunt itaq; in hoc Veteres Recentioresque atque ipsi etiam Adversarii, si pauculos excipias, per Angelos non alios quàm Ecclesiarum Pastores esse intelligendos. Sed cùm probabile non sit singulis Ecclesiis, maximè in amplissimis illis Asiæ Civitatibus, singulos duntaxat fuisse Pastores; imo constet ex Act. Capite XX. Ecclesiam Ephesinam Presbyteros multos habuisse, ne qui unius cujusq; Ecclesiæ Angelus dicitur, cuique scribitur Epistola, cæterorum Episcopus habeatur, excogitatum à quibusdam Pastorum ἰσοβαθμίας Patronis σόφον φάρμακον ad vulnus curandum quod ab uno quolibet harum Ecclesiarum Angelo istorum causæ infligitur. Scilicet Angelum hic, non singularem aliquem Pastorem designare, sed vocem esse collectivam qua comprehenduntur omnes uniuscujusque Ecclesiæ ministri. Vah! quid non facit studium partium! Quo mortales non abducit! Angelus sunt Angeli. Imò potius quàm Angelus sit singularis Pastor, cui cæterorum, ut & totius Ecclesiæ peculiaris cura commissa sit, Angelus Ecclesiæ *Ephesinæ*, putà, est ipsa Ephesina Ecclesia. Angelum autem collectivè sumi ex eo probatum volunt, quod in Epistola ad *Smyrnensem*, item in Epistola ad *Thyatirensem* Dominus utatur plurali numero; ad *Smyrnensem*, his verbis; *Ecce futurum est ut conjiciat Diabo-*

lus aliquos ex vobis in Carcerem, &c. Quasi verò, siquis, cum Presbyteriani cœperunt Angliam turbare, ad Archiepiscopum Cantuariensem scribens ac mente præsagiens quæ factio ea in totum Episcoporum Ordinem & reliquum Ecclesiæ *Anglicanæ* Clerum patratura erat, dixisset, *Ecce futurum est ut conjiciat Diabolus aliquos ex vobis in carcerem* iisdem utens verbis; inde sequeretur *Cantuariensem* non esse singularem personam, sed vocem *Archiepiscopus*, esse collectivam. *Aliquos ex vobis*, id est, ex vobis Episcopis, aut aliis verbi Ministris; aut ex vobis nomen Christi profitentibus. Nec magis evincunt hæc ad *Thyatirensem*; *Vobis autem dico, & reliquis Thyatirensibus*, Angelum hìc collectivâ significatione usurpari. *Primò* enim si secundum Vulgatam Latinorum versionem legantur; *Vobis autem dico cæteris*, manifesta est sermonis conversio ab Angelo Ecclesiæ ad ipsam Ecclesiam, seu fideles *Thyatirenses* qui τὰ βάθη τοῦ Σατανᾶ non approbaverant. Eam autem lectionem sequitur Editio Complutensis, cui consentiunt, teste Cl. *Bezâ*, alii duo codices manuscripti, præter illum vetustissimum qui in Serenissimi Magnæ Britanniæ Regis Bibliotheca asservatur, prout Doctissimus *Hammondus* noster observavit. *Secundò*, Si legatur hic locus cum copula, *vobis autem dico & reliquis*, quid vetat quin illud *vobis*, de iisdem intelligatur ad quos sermo dirigitur Versu immediatè præcedente? Nempe ad omnes Ecclesias *Asiæ*. *Tertiò*, cur non illud καὶ, *etiam*, hoc loco, prout alibi sæpè, significabit? quasi dicat, non soli Angelo seu Episcopo, *sed vobis etiam reliquis Thyatirensibus dico, &c. Quartò*, ipse *Theodorus Beza*, qui copulam retinet & restituendam censet, sic locum interpretatur ὑμῖν δὲ, id est, *tibi Angele, sive nunc προεστῶτι, & collegarum tuorum cœtui.* Καὶ τοῖς λοιποῖς, *id est, reliquo gregi, sive reliquis ex Ecclesia qui in sana doctrina perstitistis:* de Angeli voce collectivè sumendâ nil quicquam somnians. *At tantum abest*, ait quidam eo somnio præ cæteris delectatus, *ut nomine Angeli unum Episcopum in urbe denotari putem, ut ne quidem credam per Angelum, solos, intelligi Presbyteros, sed totam Ecclesiam, puta Ephesi congregatam. Alioquin statuendum esset solum Angelum, seu Episcopum Ephesinum, vel solos Episcopos Ephesinos peccasse, & lampadem Ecclesiæ Ephesinæ, alio debuisse transferri, ob unius hominis vel aliquot Presbyterorum peccatum, ni resipuissent.* Pro nobis respondeat *David Pareus* Commentario in Apocalypsin ad hunc locum. "Hoc dubium *Ribera* dicit esse valde difficile, *inquit*, quia comminatio sit non "de movendo Episcopo, sed de movendo ipso candelabro. Propter "Episcopi autem impœnitentiam non videtur tota Ecclesia punienda. "Itaque existimat Candelabrum hic non notare ipsam Ecclesiam, sed

Pareus in cap. 2. Apoc. v. 5.

Officium

" Officium Eiscopale, seu dignitatem & locum eminentem, in quo " Episcopus pro lucerna positus erat. Candelabrum igitur de locò " movere, dicit esse, Episcopo dignitatem adimere Episcopalem, & " ea per quæ lucere solebat, ut verbum doctrinæ, exempla virtutum " & dona, quibus erat illustratus. Quæ interpretatio (sic pergit *Pa-* " *raeus*) non quidem est incommoda. Sed nihil attinet candelabri " significationem mutare: quandoquidem neque rarum, neque à " justitia alienum est, propter unius vel paucorum peccata, aliquando " totum cœtum malè audire & à Deo puniri: ut docet Apostolus " 1 Cor. 5. 6. & 11. 30. Cujus rei ratio, quia plerumque in vul- " gus manant exempla regentum. Qualis Rex, talis Grex: Qua- " lis Episcopus, talis Ecclesia. Est ergo probabile, Ecclesiam nihil " fuisse in charitate meliorem suo Episcopo. Proinde in ipsum ut " corruptionis authorem, & in cœtum corruptum simul dirigitur " comminatio. Hæc *Pareus*. Clarissimus autem *Grotius* Comminationem illam intelligit, ac si sic loqueretur Christus: *Efficiam ut plebs tua aliò diffugiat, nempe ad ea loca, ubi major habetur Cura pauperum.* Ex quibus apparet nodum illum non esse adeo insolubilem, ut solvi nequeat nisi ad eam interpretationem recurratur, quæ monstrosum loquutionis genus Spiritui Sancto adscribit, ut qui Ecclesias vocet Angelos Ecclesiarum; quemadmodum siquis Urbem Angelum Urbis, aut exercitum, Angelum exercitus, aut gentem aliquam, aut Collegium, gentis aut Collegii Angelum diceret, nullo planè sensu. At cur Episcopi Ecclesiarum suarum dicantur Angeli nemo non videt, ut qui sint ad illas de Dei voluntate certiores faciendas & adversus hostium insultus defendendas immediatè à Deo missi & peculiari potestate muniti. Unde & Judæorum Pontificem *Angelum Domini*, olim dictum legimus. Sed si neque Malach. 2. *Riberæ*, neque *Parei*, neque *Grotii* responsio placet, en tibi aliam. Planum est ex v. XX. cap. 1. per Candelabra aurea septem quæ *Johanni* Visa sunt ἐν πνεύματι, Septem Ecclesias *Asiæ* significari; sed nec minus est manifestum ex eodem versu, & ex primo Capitis II. differre qui dicuntur Angeli Ecclesiarum ab ipsis Ecclesiis, & Angelos Ecclesiarum & Ecclesias ipsas, ut sic loquar, duo esse. Οἱ ἑπτὰ ἀστέρες ἄγγελοι τῶν ἑπτὰ ἐκκλησιῶν εἰσί· καὶ αἱ ἑπτὰ λυχνίαι ἑπτὰ ἐκκλησίαι εἰσί. Τάδε λέγει ὁ κρατῶν τοὺς ἑπτὰ ἀστέρας ἐν τῇ δεξιᾷ αὐτοῦ, ὁ περιπατῶν ἐν μέσῳ τῶν ἑπτὰ λυχνιῶν τῶν χρυσῶν. Tenet enim Christus in dextra stellas qui sunt Angeli; & ambulat inter Candelabra, quæ Ecclesiæ sunt. Demus igitur adversus *Riberam* per Candelabrum Angeli Epphesini, ipsam Ephesinam Ecclesiam intelligi Cap. II. V. Demus etiam adversus *Pareum*, durum esse & â justitia alienum ut

propter unius Episcopi peccata atque impenitentiam tota Ecclesia dissipetur. Ἀτὰ κινῆσαι τὴν λυχνίαν ἀγγέλου τῆς ἐφεσίνης ἐκκλησίας, ἐκ τοῦ τόπου αὐτῆς, non est Ecclesiam Ephesinam dissipari, sed loco, hoc est, dignitate, *moveri*. Erat Ephesiorum Ecclesia Metropolitica, & Angelus illius Metropolitanus seu Archiepiscopus cui subjecti erant, Ordinis atque concordiæ causâ, aliarum minorum urbium Episcopi. Qua de re vide Dissertationem pereruditam Reverendissimi *Usserii* Hiberniæ Primatis, *de Episcoporum ac Metropolitanorum Origine*. Minatur itaque Christus Dominus, ni Episcopus resipiscat & se loco ad quem evectus est, dignum præbeat, Ecclesiæ Ephesinæ, cui præest, ipsique adeo Episcopo, Metropoliticam dignitatem & authoritatem ablaturum. Res est adeo manifesta, Christum Dominum per uniuscujusque Ecclesiæ Angelum, Episcopum, hoc est, non Ecclesiæ modo, sed Cleri quoque Inspectorem & Moderatorem, designare, ut ipse Clarissimuus *Beza*, in annotatis ad hunc locum, per Angelum Προεστῶτα intelligat τῷ ἀγγέλῳ, *id est*, προεστῶτι inquit, *quem nimirum oportuit in primis de his rebus admoneri, ac per eum cæteros Collegas, totamque adeo Ecclesiam*. Quod autem addit; *hinc statui Episcopalem gradum nec posse nec debere, imo nec perpetuum quidem istud προεστῶτος munus esse necessario oportere*; id nunc nihil moramur, cum aliundè satis probetur tum gradus Episcopalis, tum unius Episcopi, quamdiu vivit, & se ut Episcopum decet gerit perpetua προστασία; Et quicquid hic habet Cl. *Beza*, id totum profectum sit ex præconcepta opinatione (πρὸς τὸ τὴν θέσιν φυλάττειν) de hebdomadaria Pastorum inter se æqualium Præsidentiâ, quæ omni antiquorum testimonio & exemplo destituitur; imo *primatum illum per successionis vices*, quem adeo deperit, alio loco fateatur, *experientiâ compertum fuisse non satis virium, nec ad ambitiosos Pastores, nec ad auditores compescendos habuisse; communicata videlicet singulis pastoribus per vices hujus primatus dignitate*: Deniq; cùm satis nobis sit impræsentiarum, Ecclesiarum Angelos, ipsi esse Collegii Presbyterorum Προεστῶτας. Quippe quales fuerint isti Προεστῶτες mox ab aliis hac in parte fide dignioribus, edocebimur. *Paraum* supra audivimus Ecclesiæ Ephesinæ Angelum, Episcopum interpretantem. *Augustinus Marloratus* qui tantum operæ impendit in Sacris Primorum Reformatorum Expositionibus colligendis, rotundè Episcopum propriè dictum per Angelum hic significari declarat. *Non populum aggreditur, sed Clerum; nec quem libet de Clero nominatim compellat, sed Principem Cleri, utique Episcopum.* Nec aliter sentit *Rainoldus*, quem tamen adversus Ecclesiam Anglicanam tamquam à suis partibus stantem produxit Apologista. *In Ephesina Ecclesia*, inquit, *etsi plures essent ad ipsam*

Vide etiam Hammond. *de Episcopatu Dissert.4.c.5.*

Beza *adversus Sarav. in cap.* 23.

Marlorat. Exposit. Ecclesiast. in Apoc.c. 2. 1.

Rainold. Colloq. cum Harto *c.*8. *sect.*3.

ipsam administrandam Presbyteri & Pastores, tamen pluribus illis unus praeerat, quem Servator Angelum Ecclesiae appellat, atque ad illum ea scribit, quae ex illo caeteri discerent. *Bullingerus* in Epistolam ad *Smyrnensem*, non tantum Angelum interpretatur Episcopum, sed ex veterum Scriptorum fide, quis tum fuerit Ecclesiæ Smyrnensis Angelus seu Episcopus, edocet. "Destinatur Epistola Cœlestis, "*inquit*, Angelo Smyrnensis Ecclesiæ, i. Pastori. Téstantur autem "Historiæ Angelum sive Pastorem illum Smyrnensis Ecclesiæ Poly-"carpum fuisse Ordinatum ab Apostolis, ab ipso inquam Johanne "Episcopum, ac vixisse in Ministerio hujus Ecclesiæ annos LXXXVI. Eum autem ipsum, quem dicit *Bullingerus*, *Polycarpum* Smyrnensis Ecclesiæ eo tempore fuisse Episcopum luce clarius est ex his *Irenæi* verbis, qui non eos modo noverat qui ad illud usque tempus, quo scribebat, "*Polycarpo* in sede Episcopali successerant, prout affirmat, "sed ipsum etiam *Polycarpum* vidit & audivit. Polycarpus, *inquit*, "non solum ab Apostolis eruditus & conversatus cum multis ex iis, "qui Dominum nostrum viderant, sed etiam ab Apostolis in *Asia*, "in ea quæ est Smyrnæ Ecclesia, constitutus est Episcopus; quem "& nos vidimus in prima nostra ætate. Diu enim permansit, & "admodum senex gloriosè atque illustrissimè perpessus martyrium ex "vita excessit. Jam si cæteri aliarum Ecclesiarum Angeli ejusdem generis προστασίας, quâ *Polycarpus*, gavisi sunt, quod suadet ratio ut credamus; & si per easdem manus Ecclesiis suis sunt præfecti & in ministerio constituti, de quo non magis dubitandum videtur; cùm *Polycarpus* plures annos ultra eam periodum floruerit, quâ veri nominis & propriè dictos Episcopos extitisse agnoscit cum *Walone* ipse *Blondellus*; *habemus hic & Johannis alumnas Ecclesias*, ut *Tertulliani* verbis utar, ab Episcopis gubernatas; sicque *Ordo Episcoporum ad originem recensus, in Johannem stabit authorem*, ut loquitur idem *Tertullianus*. Imò cùm *Stella*, Apoc. 1. sint Ecclesiarum Angeli & Angeli earumdem Episcopi; Stellæ autem in ipsius Christi dextrà tamquam in firmamento fixæ, hinc quoque si non in ipsum Christum authorem, at approbatorem & Protectorem saltem stabit Sacer Ordo. Ad eos certè Epistolas non dedisset, si ipsi eorum munus non fuisset probatum; aut saltem, quandoquidem eos in multis reprehendit, usurpatæ in Collegas & Comministros προεδρίας coarguisset, utq; ex eo dignitatis atq; autoritatis loco ad quem ambitiosè ascendissent, illico descenderent ne eorum ambitionem approbare videretur, imperasset. Quod cùm non fecerit, ἐξουσίαν illam approbasse atque confirmasse jure merito dici potest.

Irenæus *adv. Haeres.l.3.c.3.*

Tertul. *advers. Marcion l.3.c.5.*

§ Jam verò, cùm nullus sit Commentarius melior in dicta, facta-

ve

ve S. S. Apostolorum, quàm perpetua atque universalis ab Apostolicis usque temporibus Ecclesiæ praxis, si à Sacris litteris ad Veterum Scriptorum monumenta in quibus Ecclesiæ Apostolicæ, Apostolicorumque temporum proximæ Status exhibetur, transeamus; siquæ sit Historiæ, siquæ viris eruditis, cordatis, rerum peritis, probis, Christianis fides, nullus de Apostolica Episcopalis πρoστασίας origine dubitandi locus futurus est reliquus. Ipse *Hieronymus* agnoscit *Jacobum Justum* fratrem Domini ab Apostolis Hierosolymorum, & *Polycarpum* à Johanne, *Episcopos Ordinatos. Papiam* etiam aliosq; præterea Apostolorum auditores commemorat ab ipsis institutos variarum Ecclesiarum Episcopos. Illud ipsum *Hieronymo* antiquior *Eusebius* testatur de *Jacobo*, *Cui*, inquit, πρὸς τῶν Ἀποστόλων ὁ τῆς ἐπισκοπῆς ἐγκεχείριστο θρόνος. *Polycarpum quoque* scribit *Smyrnensis Ecclesiæ Episcopatum ab illis accepisse qui Dominum ipsum viderant ministrique ipsius fuerant*, hoc est, ab Apostolis. *De Ignatio verò hæc habet, Ignatius quoque ad hodiernum usque diem apud quamplurimos celebris* τῆς κατ' Ἀντιόχειαν Πέτρου διαδοχῆς τὴν ἐπισκοπὴν κεκληρωμένος, *secundus in successione post Petrum Antiochiæ Episcopatum sortitus est.* De *Timotheo* autem & *Tito*, hæc. *Timotheus sane primus Ephesiæ Parœciæ* (hoc est, Diœceseos) *sicut & Titus Cretensium Ecclesiarum Episcopatum sortitus scribitur.* Possem *Linum*, Clementem aliosque multos Apostolorum auditores commemorare, quos scribit, aut ipsis Apostolis immediatè successisse, aut ab illis Episcopos Ordinatos. *Tertullianus* & *Irenæus Hieronymo* Eusebioque antiquiores successionem Episcoporum ab ipsis Apostolis institutorum & Ecclesiis quas fundaverant præpositorum, allegant adversus Hæreticos. "Edant, *inquit* Tertullianus, origines Ecclesiarum suarum; evolvant Ordinem Episcoporum suorum ita per successionem ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis aut Apostolicis viris habuerit authorem & antecessorem. Hoc modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt: Sicut Smyrnæorum Ecclesia habens *Polycarpum* ab Johanne conlocatum refert; sicut Romanorum Clementem à Petro Ordinatum edit, perinde utique & cæteræ exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatu constitutos Apostolici seminis traduces habent. Supra eundem *Tertullianum* audivimus dicentem; *habemus & Johannis alumnas Ecclesias. Nam etsi Apocalypsin ejus Marcion respuit, Ordo tamen Episcoporum ad Originem recensus, in Johannem stabit authorem. Sic & cæterarum generositas recognoscitur. Irenæus Tertulliano* aliquantum antiquior, eodem utens argumento, singulorum Ecclesiæ Romanæ successionem Episcoporum ad suum usque tempus refert; "Fundantes igitur & instruentes beati Apo-

"stoli

Hieronym. *de Scriptorib. Ecclesiast.*

Euseb. *l.* 2. *c.* 23.

Ibid. c. 23.

Idem. l. 3. *c.* 33.

Idem. l. 3. *c.* 4.

Ibid. & passim.

Tertul. *de Prescript. advers. hær. c.* 32.

Tertul. *advers. Marcion l.* 4. *c.* 5.

Irenæus adv. hæres. l. 3. *c.* 3.

"stoli Ecclesiam, *inquit*, *Lino* Episcopatum administrandæ Ecclesiæ "tradiderunt. Succedit ei *Anacletus*. Post eum tertiò loco ab "Apostolis Episcopatum sortitur *Clemens*, qui & vidit ipsos Aposto-"los & contulit cum eis; huic autem *Clementi* succedit *Euaristus*, "& *Euaristo Alexander*, ac deinceps Sextus ab Apostolis constitu-"tus est *Sixtus*, & ab hoc *Telesphorus*, ac deinceps *Higinus*; post "*Pius*; post quem *Anicetus*. Cùm autem successisset *Aniceto* "*Soter*, nunc duodecimo loco Episcopatum ab Apostolis habet *Eleu-*"*therius*. Nequis autem putet, Romonorum duntaxat Ecclesiam Episcoporum suorum originem ab Apostolis deducere potuisse, ait eodem loco *Irenæus* se in ea instare tantum ad exemplar, "quoniam "valdè longum esset omnium Ecclesiarum successiones enumerare. "Et alio loco hæc habet. Agnitio vera est, Apostolorum doctrina *Ibid. lib. 4. c. 6.* "& antiquus Ecclesiæ status in universo mundo secundum successiones "Episcoporum, quibus illi eam, quæ in uno quoque loco est, Eccle-"siam tradiderunt; ex quibus manifestum est Episcopos non tantum Ecclesiam Christi tum ubique rexisse, sed originem suam quoque ad Apostolos retulisse, perinde atque eos qui Romanorum Ecclesiæ præ-erant. Floruit autem *Irenæus* & Ecclesiæ Lugdunensi Episcopus præfuit sæculo ab Apostolis proximo, & cum eis conversatus est, ut ex iis patet, quæ supra de Polycarpo retulit, qui Apostolorum auditores fuerant, & per sacras eorum manus Episcopi Ordinati. *Dionysius* Corinthiorum Episcopus percelebris, ut ex *Eusebio* videre est, qui circa Irenæi tempus floruit, *Dionysium* Areopagitam, qui ab Apostolo Paulo post concionem quam ad Athenienses habuit, ad Christi fidem conversus est, primum Atheniensium Episcopum fuisse in scriptis reliquit, teste *Eusebio*. Meminit idem *Dionysius* eodem *Euseb. l. 3. c. 4.* loco, nempe in Epistola quadam ad *Athenienses*, & *Publii Atheni-* *& lib. 4. c. 22.* *ensium* etiam Fpiscopi post *Dionysium Areopagitam*, qui Martyrium propter Christi nomen perpessus est, & *Quadrati* Apostolorum Discipuli, *Publii* in Episcopatu Successoris. *Clemens Alexandrinus*, *Irenæo Dionysioque* æqualis narrat, *Johannem, cum ex insula Patmo* *Euseb. l. 2. c. 17.* *Ephesum reversus esset ad vicina gentium loca rogatum abiisse, ut partim constitueret Episcopos, partim Clerum ex his quos Spiritus Sanctus indicasset, sorte deligeret.* Ex iis *Hegesippi* verbis, quæ supra sunt à nobis allegata ut ostenderemus *Jacobum* Ecclesiæ Hierosolymitanæ primum Episcopum, non fuisse Apostolum è duodecim, manifestum est illum ab Apostolis illius Ecclesiæ Episcopum esse constitutum. Nec quid momenti habet adversum nos, quod à quibusdam video observatum, scilicet non dici ab *Hegesippo*, ὅτι διαδέχεται τὴν ἱεροσολύμων ἐκκλησίαν Ἰάκωβος ὑπὸ, sed μετὰ τῶν Ἀποστόλων, id est,

est, cum Apostolis, ut una cum eis eam regeret. *Primò*, enim *Janus Gruterus* legit πρὸς, quæ lectio si retineatur, evanescit observatio. *Secundò*, certum est *Hieronymum*, sive apud ipsum *Hegesippum*, si ipsius Commentaria *Hieronymi* ætate nondum interciderant, sive apud *Eusebium*, legisse μετὰ τοὺς Ἀποστόλους, sicque habetur in Græca Versione Catalogi ab *Hieronymo conscripti de Scriptoribus Ecclesiasticis.* *Tertiò*, quid prohibet quo minus μετὰ τῶν Ἀποστόλων, interpretemur *præter* Apostolos, quomodo illud *Thucididis* de *Theseo* μετὰ τοῦ ξυνετοῦ καὶ δυνατός, *præter prudentiam vir fortis*, ut sensus sit Hierosolymitanam Ecclesiam regendam suscepisse Jacobum præter Apostolos qui eam quoq; regebant, ubi præsentes aderant. Aut μετὰ τῶν Ἀποστόλων, id est, *suadentibus Apostolis*, quomodo dixit idem *Thucidides* οὐ μετὰ νόμων, *non legibus suadentibus.* *Quarto*, si sic intelligatur *Hegesippus* ac si dixisset, quod tamen non dicit, Jacobum Apostolum, Hierosolymorum Ecclesiam cum *cæteris* Apostolis juxta Christophorsoni versionem, regendam suscepisse, id causæ nostræ nihil oberit, ut supra manifestum fecimus. Nam & Petrum Apostolum per multos annos *Antiochenam* primùm, deinde etiam Romanam Ecclesiam Episcopatu suo rexisse, nec tamen Apostolatus dignitati ea ratione quicquam derogasse, omnes magno consensu credunt veteres. Sed ut scias quam nihili sit illa subtilitas, idem *Hegesippus* nobis author est, postquam Jacobus Justus Christum confessus piam animam efflavit, avunculum ejus, *Simonem Cleophæ Hierosolymorum constitutum esse Episcopum; quem ob id omnes prætulerunt, quod alter esset Domini Consobrinus.* Nam vel ex eo liquet *Jacobum* fuisse Hierosolymorum Episcopum, quod eo vita functo Simonem ejus loco Episcopum suffecerunt. Jam si fuit Episcopus, à quo, quæso, nisi ab ipsis Apostolis fuit ordinatus? *Hegesippus* autem iis omnibus quos laudavimus fuit antiquior. Nam Romam profectus est Ecclesiam regente *Pio*, hoc est, ante annum Christi 150. quo in Episcopatu *Pio* successit *Anicetus*, quem Episcopum vidit priusquam Româ discederet. Sed *Jacobum*, non Apostolum, at Discipulum uti diximus, ab Apostolis *Petro*, *Jacobo*, & *Johanne* Ecclesiæ Hierosolymitanæ Episcopum electum testatur etiam *Clemens Alexandrinus*. *Petrus & Jacobus & Johannes*, inquit *ille*, *post assumptionem Domini, quamvis summum dignitatis gradum à Domino adepti, inter se tamen de honore isto* (Ecclesiæ Hierosolymitanæ Episcopatu) *non contenderunt, sed Jacobum Justum Hierosolymorum Episcopum elegerunt.* Ne cui verò *Clemente* parum digna observatio videatur, Apostolos Ecclesiæ universalis Episcopos, de unius Ecclesiæ Episcopatu non contendisse, idque ab eo modestiæ adscribi, quasi urbs major orbe foret, & Episcopatus Apostolatu dignior, fortè illud,

Hieronym. de Scriptoribus Eccl. in Jacobo.

Apud Euseb. l.4.c.21.

Ibid.

Clemens *Hypotyp.6.apud Euseb.l.2.c.1.*

ὡς ἂν καὶ ὑπὸ τοῦ Κυρίου προτετιμημένους, rectiùs Interpreteris, *utpote à Domino ad summum dignitatis gradum evectos*, scilicet Apostolatum. Quamquam celeberrimæ Hierosolymorum Ecclesiæ Episcopatus ne ipsis quidem Apostolis indignus fuit. Ut ut sit, *Jacobum*, sive Discipulum, sive etiam Apostolum, testatur *Clemens*, ab ipsis Apostolis Hierosolymorum electum Episcopum. Imò, *fama est*, inquit Eusebius, *Apostolos & Discipulos Domini, quotquot adhuc in vivis erant,* Euseb. l. 3. c. 10. *post Jacobi Martyrium & Hierosolymorum excidium, unà cum illius consanguineis, ex omnibus locis in unum convenisse, consiliumque pariter iniisse, quis in Jacobi locum succedere dignus judicaretur; atque omnes uno consensu Simeonem Cleophæ idoneum existimasse.* Ubi adverte non Simeonis in Episcopatum successionem famæ ab *Eusebio* tribui, sed electionem ab Apostolis & Domini consanguineis. Nam *Jacobo Simeonem* successisse alio loco scribit, non ex incerto rumore, sed ex *Hegesippo* Scriptore authentico qui quinque libris Ecclesiasticam Historiam universam ab ipsis Apostolis ad suum usque tempus complexus est, prout jam annotavimus. Eusebius qui initio tertii post Apostolorum tempora seculi floruit, quique antecessorum monumenta quotquot tunc extabant, diligenter perscrutatus est, Episcoporum in Hierosolymitanorum, Antiochenorum, Romanorum Ecclesiis successiones, ab ipsis Apostolis deducit, & in Alexandrina à S. *Marco* Evangelista. Qui Primus & Secundus Hierosolymorum Episcopi fuerint, & à quibus constituti vidimus. Ille idem *Eusebius* Euseb. l. 2. c. 16. nobis author est *Linum*, primo loco, deinde *Anacletum*, quem alii *Cletum* vocant, tertio *Clementem* Romanæ Ecclesiæ post Petrum & Paulum Episcopatum obtinuisse; *Evodium* verò primum *Antiochiæ* fuisse Episcopum, *Ignatium* Secundum; *Anianum* denique quem Lib. 2. c. 23. & ibid. dicit fuisse *τὰ πάντα θαυμάσιον* primum Alexandrinorum Episcopum post Marcum constitutum, cui immediatè successit *Abilius*, & huic *Cerdo*. Qui omnes Ecclesiis suis præfuerunt dum adhuc in vivis esset S. Johannes Apostolus, ut qui in Cœlum ineunte seculo post Christum natum secundo, demum migraverit. Aliarum etiam Ecclesiarum multorum Episcoporum successiones recenset, primâ ab Apostolis aut Apostolicis viris deductâ origine; Easque fuisse vulgò notas supra ex *Irenæo* didicimus. Quæ cum ita sint, ex iis conclusum esto, si ii omnes qui sic scripserunt & tradiderunt de Episcoporum ab ipsis Apostolis in Ecclesiis constitutorum successione, aut posteros, ad quos ista transmiserunt, consultò non fefellerint, aut ipsi ab antecessoribus aut etiam à suis ipsorum oculis & auribus non falsi fuerint, conclusum, inquam, esto, Episcopatum ab ipsis Apostolis institutum.

§ Nec huic nostræ conclusioni quicquam officiunt quæ ideo à doctis qui-

quibusdam viris hic excipi scilicet, 1. *Irenæo Tertullianoque* (in iis enim instant) *propositum Doctrinæ non Personarum successionem ostendere.* Nam id quidem ego non inficior, cùm planum sit hoc illos sibi proponere. Sed non minus constat doctrinæ Successionem ex Personarum successione ab illis probari. *At ut concedatur*, inquiunt Secundo, *Personarum, imò Episcoporum successionem ab illis recenseri & probari, eo non probatur quem locum tenuerunt in Ecclesia illi Episcopi & quam authoritatem in Presbyteros habuerunt, nisi quatenus id monstrat in genere ipso vox Episcopi.* Sed si *Irenæus* & *Tertullianus* primos illos ab ipsis Apostolis Ecclesiarum Episcopos constitutos, ex sui temporis Episcopis æstimarunt, quod ultro concedunt ii adversus quos jam disputamus, habemus quod volumus. Nam Episcopos singulari potestate præditos supra Presbyteros, cùm *Irenæus Tertullianusque* floruerunt, in Ecclesiâ obtinuisse, non negant acerrimi doctissimique Juris Divini Episcopatus oppugnatores Walo *Messalinus* atque *Blondellus.* De veris itaque nomine & re Episcopis loquuntur, quos ab ipsis usque deducunt Apostolis. Quales fuisse primos illos Episcopos credidit *Irenæus*, ex his illius verbis liquet; *Si recondita mysteria*, inquit, *scissent Apostoli quæ seorsim & latenter ab reliquis perfectos docebant, his maximè traderent ea quibus etiam ipsas Ecclesias committebant. Valde enim perfectos & irreprehensibiles in omnibus eos esse volebant quos & Successores relinquebant, suum ipsorum locum magisterii tradentes.* Adversus eos disputat *Irenæus* qui ut sua figmenta pro doctrinis Apostolicis commendarent & Ecclesiis obtruderent, ea ab Apostolorum Traditione profecta affirmabant. Quos ut refellat, ait Episcopos quibus Ecclesias gubernandas tradiderunt, quosque Successores sibi instituerunt in ea Apostolatus parte quæ in Ecclesia perpetua esse debuit, nempe Ordinandi & de scandalis judicandi potestate, quod *illorum magisterii locum* vocat; nihil tale ab Apostolis accepisse, nihil tale Ecclesiis sibi commissis tradidisse; proindeque verosimile non esse, quicquam tale fuisse ab Apostolis traditum. Nam siquæ mysteria habuerunt Apostoli quæ privatim à cæteris, quibusdam Discipulis, committerent quos ea potiùs edoceri oportuit, quam Episcopos quibus præcipuam Ecclesiarum Curam committebant, quosq; sibi in una quaq; Ecclesia Successores jure peculiari deligebant? Quæ argumentatio malè procederet, si erant in qualibet Ecclesia Apostolorum tempore, multi Presbyteri cum ipso Episcopo dignitate atque authoritate æquales. Exempli causa, si Ecclesiæ Hierosolymitanæ aut Ephesinæ Presbyteri, quorum mentio fit in libro Actuum, dignitate ac potestate cum Jacobo & Timotheo pares fuerunt, & ex æquo Apostolorum Successores; si

iis pari jure cum Episcopo Ecclesiam regendam Apostoli commiserunt, poterant respondere Hæretici, dogmata de quibus agebatur, alicui è Collegio Presbyterorum ab Apostolis tradita ad se tandem pervenisse. Cur non enim Ecclesiarum Presbyteris æque ac Episcopis eas tradidissent Apostoli, cùm illi ab istis nullâ penè in re differrent, sed quodam tantùm Ordinis, ut vocant, primatu nullâ cum potestate in collegas Presbyteros conjuncto, & ad quemlibet collegii per successionis vices derivando? Certè aut *Irenæo* Episcopi sunt veri & re ipsa Episcopi, Presbyteris gradu ac potestate superiores, quibus peculiaris Ecclesiæ cura ab Apostolis demandata fuit, quales ab initio in Ecclesia Christi fuisse contendimus, aut planè nihil dicit. Hôc eodem *Irenæi* argumento diluitur σόφον illud φάρμακον περὶ Ἀρχόντων Ἀθηναίων ἐπωνύμων, cui similem cujuslibet Ecclesiæ Episcopum fuisse volunt. Erant apud Athenienses annui Magistratus Novem pari jure singuli, Ἄρχοντες dicti. Verum quia, quemadmodum apud Romanos anni distinguebantur eorum virorum nominibus qui consulatum, annuum quoque magistratum, gesserant, ita apud Athenienses etiam annorum supputatio fiebat ex istorum ἀρχῇ seu Principatu; importunum autem fuisset novem virorum nomina recensere quoties tempus, quo res aliqua accidit, notari oportuit, ideo unus semper ex iis elegebatur Ἄρχων ἐπώνυμος, ex cujus nomine annus designabatur. Jàm quis non videt quàm dilutum fuisset *Irenæi* adversus Hæreticos argumentum, si non aliâ ratione differebat Episcopus à Presbyteris, quam Atheniensium ἄρχων ἐπώνυμος à collegis, quibus civitas pari omnino jure & ex æquo cum ipso administranda committebatur. Præterea quamquam unius Ἄρχοντος nomen ad cujuslibet anni designationem sufficiebat, siquis tamen Atheniensium Magistratuum Historiam scribens Archontων ἐπωνύμων tantùm meminisset, cæteris omnibus prætermissis, quasi illi soli rem publicam administraverint cum imperio, quis non ejusmodi Historiam pro ineptâ & indignâ quæ à quoquam legeretur, haberet? Non minus inepti sunt *Hegesippus*, *Irenæus*, *Tertullianus*, *Clemens*, *Eusebius*, qui unius duntaxat in qualibet Ecclesia Episcopi, cui sit Ecclesiæ regendæ ab Apostolis demandata provincia, & unius in Episcopatu successoris, meminerunt, si collegas in eodem prorsus ministerio ab ipsis Apostolis constitutos habuerunt. Ineptus sit quisquis de Reformatæ Parisiensium Ecclesiæ Pastoribus qui multi sunt inter se æquales, scribens *Durantii*, *Molinæi*, *Mestrezatii*, *Albertini* utut virorum celeberrimorum, tantùm meminerit, cæterorum qui pari jure Ecclesiam illam rexerunt, pressis nominibus. Ineptus denique siquis eorum Catalogum pertexens qui in supremo Parisiensium Senatu à primâ illius

institutione, juri dicundo operam impenderunt, solorum Primorum Præsidum mentionem faceret, cùm cæteri Præsides, & ipsi etiam Senatores in eâdem curiâ pari cum judicandi potestate ipsis semper adsederint. Nec denique nostram conclusionem infirmat, quod postremo loco objiciunt, (ut & illi exceptioni satis faciamus) scilicet Scriptores antiquos, *Irenæum*, *Tertullianum*, *Eusebium*, *Hieronymum*, *Augustinum*, *Optatum*, inter se non convenire de primis post Apostolos Antiochensium atque Romanorum Episcopis; aliis scilicet primam successionem *Evodio*, aliis *Ignatio* in Ecclesia *Antiochena*; aliis *Lino*, aliis *Clementi*, aliis etiam *Anacleto* in Romana assignantibus. Sed *primò*, quid hoc adversus nostram sententiam? nisi si probetur ideo pluribus primam successionem tribui, quia plures simul atque jure pari eas Ecclesias rexerunt. Quod quidem à nonnullis video affirmatum, à nemine probatum video. *Secundò*, si locum habeat doctissimi *Hammondi* nostri τοῦ μακαρίτου conjectura (quæ quam sit probabilis apud ipsum vide) de duobus, multis locis, Christianorum distinctis cœtibus, altero *Judæorum*, altero *Græcorum* seu *Gentilium* ad fidem Christi conversorum, quorum cuique præfuerit singularis Episcopus, donec in unum coaluerint, facilis erit nodi solutio. Scilicet, *Petro* successit Antiochiæ in *Judæorum Evodius*; *Paulo* verò in *Græcorum* fidelium Ecclesia *Ignatius* (nam uterque Apostolus in eâ Civitate Christum prædicavit) utrisque tandem, *Evodio* rebus humanis exempto, dirutâque maceriâ, atque ambobus cœtibus in unum coalescentibus, solus *Ignatius*. Idem dictum esto de *Petri Paulique* primis in Ecclesiæ Romanæ Episcopatu Successoribus. Non enim ii sumus, qui *Petrum* Romæ commoratum fuisse negandum putemus, cùm id affirmet magno consensu veneranda antiquitas; nec si id concedatur, quid inde aut Ecclesiis Reformatis damni, aut Pontificiæ lucri sit emersurum videamus. *Petro* successit *Linus*, *Paulo Anacletus*, utrisque *Clemens*, *Lino*, *Anacletoque* Cœlo donatis. *Tertiò*, quis nescit Historiographos multos in Regum Galliæ, aliarumque regionum serie scribendâ ita variare inter se, ut alii hunc, alii illum anteponant & diverso ordine recenseant? At rideretur siquis ideo negaret earum regionum statum eo tempore non fuisse Monarchicum, sed a pluribus simul cum æquali imperandi potestate gubernatas affirmaret. *Quartò* in omnium aliarum Ecclesiarum Successionibus *Hierosolymitana*, *Ephesina*, *Alexandrina*, *&c.* uni tantùm non pluribus Episcopatus ab Apostolis aut viris Apostolicis traditus magno consensu scribitur; Et licet alii *Lino*, alii *Clementi*, in Ecclesiæ Romanæ, alii *Evodio*, alii *Ignatio* in Antiochenæ Episcopatu primum post Apostolos locum assignent, omnes tamen in hoc conveniunt, quòd

Hammond. *de Episcopatu Dissert.* 5. c. 1.

quòd unum aliquem sive *Linum*, sive *Clementem*, sive *Evodium*, sive *Ignatium*, non plures Apostolis immediatè successisse affirment. *Quintò*, ipse *Hieronymus* istam inter Historiæ Ecclesiasticæ Scriptores differentiam observavit, nec tamen indè plurium Pastorum in eadem Ecclesia æqualitatem elicuit. *Clemens*, inquit, *Quartus post Petrum Romæ Episcopus: siquidem Linus secundus fuit, Tertius Anacletus.* Ubi nota, cum *Linum* facit secundum, ipsi Petrum Romæ primum esse Episcopum; licet plerisque Romanorum Episcoporum Catalogus incipiat à *Petro* exclusivè. Ex quibus planum est nihil ex ea Scriptorum discrepantia elici posse, præter hoc scilicet, eorum aliquem (si Cl. *Hammondi* conjectura vera non est) in assignando Apostolorum in Romanæ atq; Antiochenæ Ecclesiæ Episcopatu Successore primo, erravisse; qui lapsus Historicis non est infrequens.

Hieronym. Catal. Scriptor. Ecclesiast.

§ Postremum argumentum ad probandum Episcopos in Christi Ecclesiis cum dignitatis ac potestatis præeminentia supra cæteros Evangelii ministros, ab ipsis Apostolis fuisse institutos, ex Adversariorum concessione deducitur. Non negant Episcoporum προστασίαν rem esse in Ecclesia antiquissimam. *Circa initium aut medium secundi sæculi, primus singularis Episcopatus supra Presbyteratum introductus fuit*, inquit *Walo*, & alio loco, *Trapezitici Fœnoris Scriptor, &c. numquam negarunt*, inquit, *antiqua etiam tempora discrimen illud inter Episcopos & Presbyteros agnovisse, qui sciunt rem esse antiquissimam, ut duo hi Ordines in Ecclesia fuerint distincti, si excipiantur Apostolica tempora.* Doctissimus autem *Blondellus*, qui pro sua in rerum omnium Chronologia Ecclesiasticarum præsertim peritiâ, non eventuum annos aut menses aut dies modò sed horas ac momenta solet adnotare, Episcopos supra Presbyteros χειροτονίας anno 135. Caput extulisse scribit, cùm antea communi Presbyterorum inter se ἰσοδυνάμων consilio regerentur (sic opinatur) ubivis terrarum Ecclesiæ Christi. *Nullum*, inquit, *illustrius momentum occurrit in quod insignis illa mutatio* (Presbyteralis regiminis in Episcopale) *commodè conferri posse videatur quam an. Ch.* 135. Quod dant, (quanquam non suut æquo liberaliores) accipimus. Episcopi Presbyteris superiores circa medium aut initium secundi seculi, anno 135. in Ecclesia obtinuerunt. Duo isti Ordines Episcoporum & Presbyterorum fuerunt distincti antiquissimis temporibus, si excipiantur Apostolica tempora. Ab eo tempore nulla Ecclesia caruit Episcopo Presbyteris superiore: Jam esto penes cordatos & æquos omnes rerum æstimatores judicium, si fuissent ab ipso Christo Domino & Sanctis Christi Apostolis in Ecclesiis quas fundarunt Ministri æqualis inter se dignitatis atque potestatis absque ullo graduum discrimine instituti, an

Walo Messal. p. 253.

Vid. p. 7.

verisimile

verisimile sit, omnes Ecclesias omnesque Ecclesiarum Rectores tam brevi temporis spatio adeo Christi beatorumq; Apostolorum suique adeo fuisse oblitos, ut Politiam tantis authoribus ubique institutam immutare non veriti sint; ut ne una quidem Ecclesia totò terrarum orbe reperta sit cui religio fuerit à Christi Domini Sanctorumque Apostolorum instituto recedere; ut omnes omnium Ecclesiarum Ministri, nemine obnitente, nemine primorum Episcopatus Usurpatorum locum ac dignitatem ambiente, nemine invidente, & Divinum Christi Apostolorumque institutum & exemplum, si non præceptum causante, ut mos consuetus servaretur, unanimi consensu in eam mutationem quæ penè omnes loco dejiciebat, conspirarint? Non solent homines tam facile jure suo cedere & aliis primum dignitatis ac potestatis locum concedere; aut si sunt aliqui ingenii adeo modesti dicamne, an abjecti, haud multos, haud omnes dubio procul, ita comparatos reperias. Sed nec pati debuerunt viri pii, vel propter unam Christi Domini ac Sanctorum Apostolorum reverentiam, ut quis eam regiminis formam quam in Ecclesiis constituerant, conculcaret, & imperium in fratres loco ac potestate pares, (sic Christo, sic Apostolis jubentibus) licet dotibus fortè impares, ambitiosè usurparet. Saltem reclamare oportuit, ne Ecclesias prodere viderentur, neve haberentur tanti facinoris participes. Qui norunt quantas turbas ciere soleant in Rebuspublicis quævis vel levissimæ regiminis mutationes haud facile sibi persuadebunt, tantam in Ecclesia per tot regiones dispersa absque ullo tumultu, imò vel levissimo cujusquam γογγυσμῷ fieri potuisse mutationem. Obtinet jam a seculo in quibusdam Ecclesiis Reformatis inter Pastores omnimoda ἰσοτιμία absque ullo graduum discrimine. Fac jam reperiri in quolibet earum districtu aliquos qui cæteris Comministris Episcopare velint. Nemo est rerum humanarum adeo imperitus, ut putet vel in una Diœcesi, nedum in singulis, rem ad exitum perduci posse nemine reclamante. An non alius Apostolorum institutum Sacrosanctum atque inviolabile nec à quoquam temerandum, alius vel ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω & majorum instituta servanda; alius periculosam omnem mutationem clamaret. Quantas tragœdias excitarunt Scoto Presbyteriani cum à Superintendentibus ad veros re & nomine Episcopos *Jacobo* Rege procurante, in Ecclesia Scoticana ventum est. Nondum integrum triennium elapsum est ex quo istorum progenies parentibus deterior, hodierni ejusdem gentis Presbyteriani, flagrante cum Belgis navali bello ad arma concurrerunt, militem conscripserunt, & cum Regio exercitu prælio decertarunt, ut Episcopos suos sedibus ac dignitate deturbarent juxta *fœdus solenne*. Ipse Apologista nobis author est, *cùm fortè in quadam*

Apol. p. 162.

dam Belgii Synodo mentio facta esset de Inspectoribus introducendis, Sibrandum Vomelium, Pastorem Frisium *Ordinem Inspectorum integro libello exagitasse.* Jam cùm nihil ejusmodi, non dicam bella aut tumultus (à quibus primævorum Christianorum mores abhorrebant) sed ne turbas ullas, aut levissimum dissidium accidisse legamus, quo tempore factam esse Politiæ Ecclesiasticæ mutationem & ab Apostolico instituto discessum volunt Adversarii, ut facta sit non modò improbabile, sed omnino impossibile jure merito pronunciamus. Idque adeo manifestum est ut ipsum *Baxterum* hic nobis suffragantem habeamus. *Hujus Regiminis* (per perpetuos Προεστῶτας, quibus negativum quod vocant, suffragium concedit, ita ut illis intercedentibus, seu vetantibus, nihil alicujus momenti à cæteris Ministris geri potuerit) *antiquitas & universalitas, quæ tam citò obtinuit magnum argumentum est,* inquit, *ad nos intra* moderationis fines, hac in parte, continendos. "*Primo* enim, res maximè improbabilis videtur, ut "omnes aut tot Ecclesiæ tam cito ejusmodi *Præsidentiam, Prælaturam,* "aut *Imparitatem* absque scrupulo & reluctantia instituerent, si id "Apostolorum menti repugnasset. Quippe nemo potest animo sibi "fingere, omnes Ecclesias ab Apostolis aut viris Apostolicis fundatas, quæ eos viderant & cum iis conversati fuerant, aut Apostolorum mentis ignaros penitus fuisse in re ejusmodi, quæ fuit publicæ "praxeos; vel omnes doctrinam à Magistris recens sibi traditam adeo "neglexisse, ut statim atque unanimes in mutationem consentirent, "aut saltem ei non repugnarent? Nullane Ecclesia, nullusne "fidelis toto orbe pro retinendis Apostolorum institutis contendisset? Nullane Ecclesia ordinem jam apud se constitutum, "jus suum retinuisset & adversus cæterarum corruptionem & "innovationes fuisset protestata? Nullus ne fidelis dixisset, *jam* "*in eo estis ut eam Ecclesiastici regiminis formam, quam recens* "*apud nos Spiritus Sanctus instituit, immutetis. Non ita fuit vivente* Petro, *aut* Paulo *aut* Johanne. *Itaque nihil volumus immutari.* Hoc mihi videtur incredibile, ut tota Ecclesia penè simul "ac semel tam subito & tanto omnium silentio tali regiminis mutationi "sese submitteret. Non puto autem fieri posse ut quisquam ex omnibus antiquorum voluminibus ullum testimonium producat, quo appareat vel ullam Ecclesiam vel fidelem ullum ei mutationi umquam "repugnasse aut reclamasse, quo tempore factam esse oportet, si "umquam facta est, hoc est primo aut secundo sæculo. Imo *secundo,* "planum est teste Hieronymo aliisque veteribus, ipsorum Apostolorum temporibus, in Alexandrina saltem Ecclesia eam regiminis "formam obtinuisse. Testantur omnes, *Alexandriæ à Marco Evangelista usque ad Heraclam & Dionysium Episcopos, Presbyteros*

Baxter. *Dispur. Quinque de Regim. Eccles. Disput.* 3. *cap.* 4. *sect.* 16. & 17.

"*semper*

"*semper unum ex se electum in excelsiori super Presbyteros, gradu* "*collocatum, Episcopum nominasse, quomodo si exercitus Imperatorem* "*faciat.* Constat autem apud præstantissimos Chronologistas, occisum fuisse Marcum circa An. Dom. 63. *Neronis* 10. *Petrum* autem & Paulum peremptos circa An. 66. *Neronis* 13. "Obiit "autem *Johannes* circa An. Dom. 98. *Trajani* primo, annis circiter "35. post *Marci* obitum. Jam cuivis à partium studiis vacuo judican- "dum relinquo, utrum credibile sit, S.S. Apostolos & omnes Evange- "listas, aut eorum adjutores, qui tum erant in vivis, eam corrupti- "onem & innovationem impunè & absque nota ferre voluisse? "Tacitine temeratum voluissent recens à se institutum ordinem, dum "adhuc hac luce fruebantur, nec monitis quidem peccati atque peri- "culi Ecclesiis; aut si eas revera monuerint, nullane Ecclesia ipso- "rum monitis auscultasset? Nullane vel eousque eorum memi- "nisset, ut peccato saltem repugnaret. Hæc sunt incredibilia.

§ Supersunt adhuc quædam contra jus Divinum Episcopatus objectiones, quæ, cùm iis multum inesse roboris putent Adversarii, examini subjicienda atque refutanda videntur; ne quid, quod ullius momenti esse videatur in hac controversia, intactum relinquamus. Eæ autem partim ex Scripturis Sacris, partim ex veterum monumentis desumuntur. *Primo*, Episcopi Presbyterique voces in Scripturis promiscuè usurpari dicunt & iisdem personis tribui, unde munerum identitatem inferunt. In libro Act. cap. 20. quos vocaverat Presbyteros Apostolus, postea dicit à Christo constitutos Episcopos. Earumdem vocum usurpatio promiscua habetur in Epistola ad Titum. Respondeo I. si ex harum vocum usu promiscuo Episcopi Presbyterique ἰσοτιμία atque identitas omnimoda rectè inferatur, Presbyteri, imo Diaconi & Apostoli munera eadem, pari ratione demonstraveris. Nam se vocant Presbyteros & Diaconos Apostoli. 2. De vocibus non litigamus; nobis satis est si res, quod supra factum arbitramur, distinctæ probentur. Itaque sive ii omnes, qui in Scripturis dicuntur Presbyteri, reverà Episcopi cæteris Ecclesiæ Ministris gradu ac potestate superiores fuerunt; (quod non unius Doctissimi *Hammondi* nostri commentum est, prout quibusdam videtur, sed Ecclesiarum Reformatarum Hungariæ etiam judicium) sive fuerunt omnes tantùm Presbyteri ἰσοδύναμοι & inter se prorsus æquales, nec majoris authoritatis eâ quam meris Presbyteris competere dicimus, qui iisdem locis vocantur Episcopi, nobis perinde est, qui alios in iisdem Scripturis Sacris reipsà ἐπισκοπεύοντας exhibemus, nempe *Timotheum*, *Titum*, *Jacobum*, septem Ecclesiarum Asiæ Angelos, &c. 3. Si verum est quod supra ex *Theodoreto* observavimus, scilicet eos qui postea dicti sunt κατ' ἐξοχὴν Episcopi, antè vocatos Apostolos,

[Margin: 1 Pet. 5. / 2 Johan. / 1 Cor. 3. 5. & 2 Cor. 3. 6. / *Vide Tractat.*]

nempe

nempe secundarios, quod primis illis a Christo Domino institutis, in ea Apostolatûs functione, quæ perpetua in Ecclesia esse debet, succederent, vis objectionis tota concidit. Id autem verum esse ex iis quæ apud veteres legere est, mihi liquere videtur. Dignus imprimis quem in hanc rem huc transcribamus, *Theodoreti* locus, qui sic habet, Τοὺς νῦν καλουμένους ἐπισκόπους, Ἀποστόλους ὠνόμαζον, τοῦ δὲ χρόνου προϊόντος, τὸ μὲν τῆς Ἀποστολῆς ὄνομα τοῖς ἀληθῶς Ἀποστόλοις καταλελοίπασι, τὴν δὲ τῆς ἐπισκοπῆς προσηγορίαν τοῖς πάλαι καλουμένοις Ἀποστόλοις ἐπέθεσαν· οὕτω Φιλιππησίων Ἀπόστολος ὁ Ἐπαφρόδιτος ἦν, &c. *Qui nunc vocantur Episcopi, Apostolos nominabant; procedente vero tempore Apostolatus nomen veris (hoc est duodecim) reliquerunt, Episcopatus vero appellationem, illis qui olim dicebantur Apostoli imposuerunt. Sic Philippensium Apostolus Epaphroditus fuit, &c.* Nec omittenda quæ immediatè sequuntur apud eundem authorem: οὕτω Κρητῶν ὁ Τίτος, καὶ Ἀσιανῶν ὁ Τιμόθεος: οὕτω ἀπὸ τῆς Ἱεροσολύμων τοῖς ἐν Ἀντιοχείᾳ ἔγραψαν οἱ Ἀπόστολοι. *Sic Cretensium Titus & Asianorum Timotheus Apostoli; sic Hierosolymis ad Antiochenos scripserunt Apostoli.* Quæ postrema verba explicatione egent, ne minùs attento lectori videantur ἀπροσδιόνυσα; cùm tamen rem quam agit, manifestissimè demonstrent. Supponit igitur ex communi Veterum sententia *Theodoretus*, *Jacobum* illum Hierosolymitanum, non fuisse Apostolum ἀληθῶς, ut ipse loquitur, hoc est verè, propriè & eminenter sic dictum ex collegio Duodecim; sed Hierosolymorum Ecclesiæ Episcopum. Qua de re, vide supra hoc capite. Quod si verum est, cùm nullus verorum Apostolorum præter unum S. Petrum Hierosolymis adfuerit, (De nullo enim alio in tota illa Historiæ Apostolorum περικοπῇ mentio fit) quo tempore ad Antiochenos Hierosolymis ab Apostolis plurali numero scripta dicitur Epistola, *Jacobum* urbis Episcopum qui tum celebratæ Synodi magna pars fuerat, Apostolum dictum manifestò liquet. *Chrysostomum* in eandem cum *Theodoreto* sententiam euntem passim reperias. Quin & ex ipsius *Hieronymi* in Epistolæ ad Galatas Commentario idem colligitur. *Jacobum*, de quo in ea Epistolâ S. Paulus, ait eo loco & alibi passim, Hierosolymorum Episcopum fuisse, non autem Apostolum è duodecim. Sed cùm ex Epistola ad Galatas, videret objici posse, eum à S. Paulo dici Apostolum, objectionem sic diluit; "Paulatim tempore procedente, *inquit*, & alii ab his quos Dominus elegerat, ordinati sunt Apostoli, sicut ille ad Philippenses sermo declarat, "dicens; Necessarium autem existimavi Epaphroditum fratrem cooperatorem & commilitonem meum, vestrum autem Apostolum. Et "ad Corinthios de talibus scribit; sive Apostoli Ecclesiarum in gloria "Dei 2 Cor. 8. Silas quoque & Judas ab Apostolis, Apostoli nominati sunt. Unde vehementer erravit qui arbitratus est Jacobum

Theodoret. in 1 Tim. 3. 1.

Hieronym. in Epist. ad Galat.

" hunc de Evangelio esse Apostolum fratrem Johannis. Deinde post " pauca. Hic autem Jacobus Episcopus Hierosolymorum primus fuit. Hinc Apostolus in Epigraphe Epistolæ Catholicæ dicitur; hincque *Clemens Alexandrinus* de *Clemente Romano* scribens, eum vocat Apostolum ἐν τῇ πρὸς Κορινθίους ἐπιστολῇ ὁ Ἀπόστολος Κλήμης. Nihil mirum itaque si inferioris ordinis Presbyteri, Episcopi quoque dicebantur, nihilque indè pro iis superioris gradus Presbyteris adæquandis, colligi potest, cum eo tempore ii, quos nunc Episcopos vocamus, dicerentur Apostoli. Quam appellationem iis qui cum Apostolis conversati, & Sanctis eorum manibus Episcopi ordinati fuerant, qui in Episcopatu ipsis successerunt modestiæ causâ, utpote viris verè Apostolicis, reliquere, assumpto & peculiari sibi facto Episcoporum nomine.

Clemens *Stromat. l.* 4.

§ Hac tertiâ responsione nostrâ ad aliam à superiore parum discrepantem Adversariorum objectionem respondetur; cùm ex eo quod Apostolus in Epistola ad Philippenses Episcoporum plurali numero meminerit, inferunt eos fuisse meros Presbyteros; tùm quia plures propriè dictos Episcopos in una civitate fuisse probabile non est; tum quia, si eorum collegio præfuisset quispiam cum Episcopali potestate, illius mentionem facturus fuisset Apostolus. Scio viris doctis Philippensium Episcopos esse non unius Philipporum civitatis Episcopos sed totius agri & Præfecturæ seu Provinciæ Philipporum in qua plures erant Ecclesiæ, multique adeo veri Episcopi. Doctissimus *Hammondus* noster in ea est sententia, quam solidis admodum videtur adstruere rationibus. Sed si concedamus eos omnes qui dicuntur Ecclesiæ Philippensium Episcopi, Presbyteros tantum fuisse; inde tamen non sequetur eam Ecclesiam Episcopo propriè dicto caruisse & à meris Presbyteris æqualis inter se potestatis fuisse gubernatam. Fuit enim *Epaphroditus* Philippensium Episcopus. Sic eum vocant præter *Theodoretum*, *Chrysostomus*, *Theophilactus*, *Oecumenius*. Nec diversus ab iis abit *Hieronymus*, cùm ad illud S. Pauli, *Vestrum autem Apostolum*, eum Philippensium Apostolum ideo dictum putet, *quia acceperat in illis Apostolatus officium.* Et Apostolum, id est, Episcopum Philippensium, ab iis quos Dominus Apostolos elegerat, fuisse ordinatum dicat. Nam supra vidimus eum, *in cap.* 1. *Epistol. ad Galatas*, censere *Jacobum*, quem dicit Hierosolymorum primum Episcopum fuisse, Apostolum vocari atque esse, quomodo Epaphroditus fuit atque dictus est Apostolus. Si quæras cur igitur Epaphroditum Apostolus præterierit in inscriptione datæ ad Philippenses Epistolæ; in promptu ratio est; scilicet Philippis aberat Epaphroditus, imò per eum ipsum ad eos Epistolam suam transmisit. Adde quod siquæ fuerunt Apostolis viventibus Ecclesiæ Episcopis propriè dictis destitutæ, cùm fortè nullus repertus

Hammond. *de Episcop. Differt.* 4. 10. 2. 11. 16.

In Phil. 2.

repertus fuerit apud eas Episcopatu dignus, prout quasdam fuisse censet *Epiphanius* & cum eo alii complures Viri Docti, nihil inde inferri potest contra Episcopatum, cùm eo tempore in iis Ecclesiis Episcoporum partes obierint ipsi Apostoli.

§ Sed & Patrum nonnullos quasi causæ suæ patrocinantes laudant Adversarii imprimis B. *Hieronymum* & B. *Augustinum*; istum loco unico, illum variis locis. Locus Augustini ita se habet. *Secundum honorum vocabula quæ jam Ecclesiæ usus obtinuit, Episcopatus Presbyterio major est.* Sed quis nescit *Augustinum* Ecclesiæ usum Apostolorum institutioni adeo non opponere, ut hanc ex isto, si sit universalis, demonstrari affirmet. *Quod universa tenet Ecclesia*, inquit, *nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi Apostolicâ authoritate traditum rectè creditur.* Episcopatum autem in universa Ecclesia obtinuisse, nec Conciliis institutum, & semper retentum esse ex Ecclesiasticæ Historiæ scriptoribus luce meridiana clarius est non sponte coecutienti. Et certè Augustinus Ecclesiæ Romanæ Episcoporum pertexens successionem, eorum refert originem ad ipsum Petrum Apostolum, cui ait *Linum* successisse, *Lino Clementem*, *Clementi* Anacletum, & sic deinceps usque ad *Anastasium*, qui tum *eandem*, ut verbis utar Augustini, *Cathedram sedebat.*

August. *in Ep.* 16.

August. *de Baptismo contra Donatistas l.* 4. *c.* 24.

August. *Epist.* 165. *contra Donatistas.*

§ Sed utut sit de *Augustino*, Hieronymum suum esse certò certius putant, ut qui non uno loco asserat eosdem olim fuisse Episcopos & Presbyteros. Nam Commentario in Epistolam ad *Titum* censet Apostolum per eos quos vocat Episcopos, intelligere meros Presbyteros, "eumdemque esse Presbyterum qui & Episcopus ibi dicitur; atque antequam Diaboli instinctu, studia in Religione fierent, & diceretur in populis, ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi Presbyterorum consilio Ecclesias fuisse gubernatas. Postquam vero unusquisque eos quos baptizaverat, suos putavit esse, non Christi, in toto orbe decretum esse ut unus de Presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, & Schismatum semina tollerentur. Deinde ut probet, Episcopum & Presbyterum unum esse, & aliud ætatis aliud nomen esse officii, Lectorem ablegat ad Apostoli ad Colossenses verba, quibus Episcopos unius Philipporum civitatis plures compellat. Unde infert, cum in una civitate plures (ut nuncupantur) Episcopi esse non possint, indifferenter de Episcopis quasi de Presbyteris Apostolum esse locutum, quia eosdem Episcopos illo tempore quos & Presbyteros appellarent. Citat & in eandem sententiam Actuum Apostolicorum *Caput* 20. ubi Ephesiorum Presbyteri dicuntur à *Sancto Spiritu constituti*

Episcopi. Itemque Epistolam ad Hebræos ubi *inter plures æqualiter divisam Ecclesiæ curam* probari putat, ex eo quod Apostolus jubeat plebem *parere Principibus suis & ipsis subjici.* Denique Sanctum Petrum laudat Presbyteros compellantem & seipsum vocantem eorum *compresbyterum.* "Hæcque, *inquit*, propterea, ut ostenderemus apud Veteres eosdem fuisse Presbyteros quos & Episcopos; paulatim verò (ut dissensionum plantaria evellerentur; ad unum omnem sollicitudinem esse delatam. Sicut ergo Presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine, ei qui sibi præpositus fuerit, esse subjectos; Ita Episcopi noverint, se magis consuetudine quam dispositionis Dominicæ veritate Presbyteris esse majores & in commune debere Ecclesiam regere, imitantes Moysem, qui cum haberet solus præesse populo Israël, Septuaginta elegit cum quibus populum judicaret. Videamus igitur qualis Presbyter sive Episcopus ordinandus sit. In Epistola ad *Evagrium* in qua in quemdam invehitur, quem *audierat in tantam vecordiam erupisse ut Diaconos Presbyteris anteferret*, eadem ferè habet; quibus addit S. Johannem Apostolum seipsum Presbyterum dicere in Epistolis ad Electam Dominam & ad Gaium. Deinde, "Quod autem posteà, *inquit*, unus electus est, qui cæteris præponeretur, in Schismatis remedium factum est, ne unusquisque ad se trahens Christi Ecclesiam, rumperet. Nam & Alexandriæ à Marco Evangelista ad Heraclam & Dionysium Episcopos Presbyteri semper unum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant, quomodo si exercitus Imperatorem faciat. Ex quibus quid elici possit adversus sententiam nostram de instituto ab ipsis Apostolis Episcopatu, non video. Nam supponamus *primò*, quod verum non est, *B. Hieronymo* Episcopos gradu Presbyteris superiores, post denatos demum sanctos Apostolos in Ecclesiam inductos videri; an non apud cordatos omnes plus valere debet constans omnium Patrum, quotquot præcesserunt, contra sentientium sententia quam singularis illius unius opinio? Sed *secundò*, hoc tantum dicit, primo eosdem esse in Epistolis ad *Timotheum* & *Titum* & Actuum 20. Episcopos & Presbyteros; quod adversus nostram assertionem nihil facere, supra ostendimus. *Tertiò*, neque magis eam evertit conclusio quam inde elicit, scilicet, *antequam Diaboli instinctu studia in Religione fierent, & diceretur in populis, ego sum Pauli, &c. communi Presbyterorum consilio Ecclesias fuisse gubernatas; & postquam unusquisque, eos quos baptizaverat, suos putabat esse non Christi, in toto orbe decretum esse, ut unus de Presbyteris electus superponeretur cæteris.* Nam manifestò liquet illum ad ea alludere quæ dicebantur & agebantur

in

in Corinthiorum Ecclesia, de quibus Apostolus 1 Cor. 1. 12, 14. censereque ex illius Ecclesiæ & aliarum similibus studiis ac dissidiis natam esse, ad tollenda cavendaque in posterum Schismata, unius Episcopi in compresbyteros potestatem. Quod factum viventibus atque adeo ab ipsis Apostolis *Hieronymus* non obscurè innuit, *Primo*, regiminis mutandi occasione; quam præbuere Corinthiorum & aliorum dissidia. *Secundò*, mutati universalitate. Verisimile enim non est omnes Ecclesias novam gubernationis formam tam unanimi consensu nisi ipsis Apostolis authoribus, amplexuras fuisse. *Tertiò*, exemplo Egyptiorum Presbyterorum qui à *Marco* semper unum ex suo numero electum, collegio suo Episcopum præfecerunt. Nam S. *Marcus*, Anno octavo *Neronis*, cùm adhuc multi Apostolorum in vivis essent; obiisse testatur Historia Ecclesiastica. Itaque vel ipso confitente *Hieronymo*, iis ipsis locis qui ab Adversariis laudantur, Episcopatum instituerunt Apostoli. Nec quicquam huic nostræ conclusioni officit, quod ait, *Episcopos magis consuetudine quam dispositionis Dominicæ veritate Presbyteris esse majores. Primò* enim, *dispositionis Dominicæ veritatem* non prorsus excludit. *Deinde* Ecclesiæ consuetudinem non opponit institutioni Apostolicæ, sed Christi præcepto, quod ei est *dispositionis Dominicæ veritas. Postremò*, disertis verbis in Epistola ad *Euagrium* Ecclesiæ Christi ministrorum subordinationem traditionem Apostolicam esse dicit. *Et ut sciamus*, inquit, *traditiones Apostolicas sumptas de Veteri Testamento; quod Aaron & filii ejus atque Levitæ in Templo fuerunt, hoc sibi Episcopi & Presbyteri atque Diaconi vendicent in Ecclesiâ.* Audiendi enim non sunt qui volunt traditionem Apostolicam hoc loco ab eo dici lato sensu, pro qualibet Ecclesiæ consuetudine à longo tempore in Ecclesia receptâ; cùm Episcopos eminenter sic dictos Presbyteris superiores, ab ipsis Apostolis plures constitutos aliis locis disertè affirmet. *Jacobus*, inquit, *qui appellatur frater Domini, cognomento Justus*, (quem negat fuisse Apostolum ex Duodecim) *post passionem Domini ab ipsis Apostolis Hierosolymorum Episcopus ordinatus. Polycarpum etiam*, ait, *à Johanne Apostolo Smyrnæ Episcopum ordinatum.* Et de Archippo scribens in Epistolam ad Philemonem, *Puto*, inquit, *Aut Episcopum eum fuisse Colossensium Ecclesiæ, cui admonetur studiosè, & diligenter præesse, aut Evangelii prædicatorem.* Supra eum Vidimus dicentem eos quos Dominus Apostolos elegerat, alios ordinasse Apostolos, secundarios scilicet, hoc est Episcopos. Iis enim sæpius annumerat *Jacobum*, quem *primum Hierosolymorum Episcopum* fuisse affirmat. Et licet in Epistola ad *Euagrium* quò melius reprimat illius Vecordiam, qui

Hieronym. Catalogo in Scriptor. Ecclesiast.

Ibidem.

Idem Comment. in Ep. ad Galat. c. 1.

Diaconos

Diaconos Presbyteris anteferebat, Presbyteros Episcopis propemodum adæquet, alibi tamen istorum gradum superiorem agnoscit. " Non dicitur, *inquit*, siquis Episcopatum desiderat, bonum " desiderat gradum, sed bonum opus desiderat, quod in majori " ordine constitutus, possit, si velit, occasionem exercendarum ha- " bere virtutum. Et ad illud 1 *Tim.* 3. Diaconis similiter. Quæ- " ritur, *inquit*, cur de Presbyteris nullam fecerit mentionem. Sed " eos in Episcoporum nomine comprehendit, quia secundus, imò " pene unus est gradus.

Idem adversus Jovin. l. 1.

CAPUT

CAPUT. XXXI.

De Reverendorum Ecclesiæ Anglicanæ Episcoporum Electione, Potestate, Potestatis Exercitio, atque loco & Dignitate in Republica.

Instituta ab Adversariis adversus R. Ecclesiæ Anglicanæ Episcopos Accusatio, articulis septem continetur. Adduntur alii quidam novi ex Hoppero Latimeroque; *atque etiam ex illustrissimo* Bacono *&* *D.* Francisco Knollio. *Sed* Baconi *videntur non esse, quæ hic ex illo allegantur. Ad ea omnia Ordine respondetur. In Episcoporum aliorumque Ecclesiæ Ministrorum Electione pro locorum ac temporum ratione subinde multum variatum est. In primordiis Christianismi soli Apostoli virique Apostolici Episcopos aliosque Ecclesiæ Ministros elegerunt. Respondetur objectioni ex Septemvirorum curandis mensis Electione, Act. VI. petitæ. Itemque alii ex ejusdem libri Capite XIV. ubi dicuntur* Paulus *&* Barnabas χειροτονῆσαι πρεσβυτέρους κατ' ἐκκλησίαν: *quod à Cl.* Bezâ *malè versum,* Suffragiis, *populi scilicet,* creasse. *Apostolis virisque Apostolicis vitâ functis, ubique ferè prudentissimo* Ecclesiæ *consilio Cleri Plebisque suffragiis permissa est* Episcoporum *electio.* Alexandrini *Episcopi à solis Presbyteris electi. Decedentes* Episcopos, *designasse Successores suos ex* Augustino *probatur. Plebis electiones à* Laodicenâ *Synodo prohibitæ. Tristes & horrendi Popularium electionum eventus in* Romanorum, Alexandrinorum, *&* Ephesiorum Ecclesiis. *Electionis jus promiscuæ plebi ademptum & paucis primariis civibus cum Clero permissum Imperiali* Con-

Constitutione, Soli Clero attributum. Clero tandem quoque propter abusum ademptum, & à Principibus solis passim vindicatum & usurpatum. Ab Angliæ Regibus à longo tempore. Jus illud nostri homines aliique Principibus asserunt. 1. *Jure Imperii*, 2. *Jure Patronatus. Nostris verò præterea competit jure Concessionis. Quomodo illo Jure utantur Angliæ Reges. Ratio* Eligendorum Episcoporum *in Anglia. Ritus Consecrationis* Episcoporum. *Quales* Episcopi *eligantur in* Ecclesia *Anglicana, ex quo Reformata est, ex* Hieronymo Zanchio. *In aliis Regnis & Rebus-publicis puriorem Religionem amplexis, Reges, Principes, & alii Summi Magistratus eodem jure utuntur, licet non eadem ratione. Minus inferiori Clero & Plebi conceditur in* Saxonia, Palatinatu, *& Ditione* Basiliensi, *Minus apud Fratres* Bohemos, *Minus apud* Tigurinos. *Non major Plebis ratio habetur apud* Bernates. *Ecclesiæ Pastores suos non eligunt apud* Genevenses. *Jus Patronatus obtinet in Belgio Reformato. Presbyterianorum Parlamentum jus eligendi Præsidis Synodi sibi reservatum voluit. Principes ac alii summi Magistratus eo jure utentes nullam Plebi faciunt injuriam. Eo jure usi sunt Iudæorum Reges optimi. Plebi competere nullâ ratione aut Scripturæ authoritate probatur.* Morellius *Sectæ Independentium Parens, qui jus illud plebi asserebat, ea propter à Presbyterio Genevensi excommunicatus est. Incommodis laborare possunt omnes Pastorum eligendorum rationes. Iis minus obnoxiæ videntur quæ à Principiqibus & Magistratu fiunt, modo & Cleri & plebis ratio aliqua habeatur. More patrio vivendum.* Secundo *accusationis adversus Episcopos articulo, de eorum consecratione diversâ à Presbyteris, respondetur.* Tertio *de ordinatione Presbyterorum quam aiunt ab Episcopo solo fieri. Archidiaconi ad Presbyteratum promovendos examinant, nec quemquam ordinat Episcopus, nisi eum à se examinatum & officio dignum disertè testentur. In Presbyterorum Ordinatione manus imponunt una cum Episcopo Presbyteri.*

Respondetur

Respondetur Articulo Quarto, *de Jurisdictione in* Foro Interno, *quam sibi solis vendicare Episcopos dicunt. Nullum jus in eo non suum sibi vendicant; & quod sibi pariter non vendicarint Fratrum* Bohemorum *Antistites. Non nisi à Patronis aut Ecclesiis præsentatos Ministros Parochiis præficiunt, nisi paucis quibusdam quæ ad ipsorum Collationem pertinent. Respondetur* Quinto *&* Sexto, *articulis de Jurisdictione Episcoporum in* Foro Externo, *itemque de corruptione Ministrorum Curiarum Ecclesiasticarum. Non negatur quin esse possint defectus & abusus in Disciplinæ Ecclesiasticæ administrandæ ratione. Non per Episcopos, sed per ipsos Adversarios hactenus stetit, quominus iis malis adhibita sint apta remedia. Rectè dicitur Jurisdictio in Foro Externo solis Episcopis competere, licet eam quoque exerceant multi ex Ordine Presbyterorum.* Timotheo *soli, Solique* Tito *ab Apostolo commissa est. Eam soli exercuerunt Episcopi in vetere Ecclesia. Ab Episcopis ad Metropolitanum datur provocatio; à quo ad Curiam Delegatorum defertur judicium causæ. Quot & quibusnam constet Judicibus. Nihil ferè ullius momenti Episcoporum arbitrio permittitur. Juxta leges in Comitiis Regni latas & constitutiones Ecclesiasticas, quibus assensum suum præbuit universus Clerus, tenentur sententias ferre. Quantum in Foro Externo Presbyteris permittatur. Episcoporum Cancellarii qui; quandonam & quas ab causas eorum operâ Episcopis uti lege concessum est. Causas tantùm audiunt & censuris Ecclesiasticis castigandos juxta legum præscriptum decernunt. Excommunicat vero solus Episcopus, & à Presbytero pronunciatur Excommunicationis sententia; à qua solus etiam Episcopus absolvit. Seniores laici, ubi eorum institutum obtinet, potius quam ipsi Verbi Ministri, excommunicare dicendi sunt. Ratio Consistorii Ecclesiæ* Genevensis. *Jus Excommunicandi in terris Sereniss.* ELECTORIS SAXONICI *penes Consistorium est. Consistoriales partim Jurisperiti partim Theologi. Nullam Excommu-*

 nicationis

nicationis Disciplinam exercet Clerus apud Tigurinos. *Respondetur institutæ adversus Episcopos nostros Accusationis*, Articulo Septimo; *ut & ad ea quæ ex* Hoppero Latimeroque *allegantur de Episcoporum jurisdictione temporali. Non minus honoris Ecclesiæ* Tigurinæ *Antistiti, quam Primatibus nostris, in privatis publicisque consessibus tribuitur. Ecclesiæ* Suecicæ *Episcopi similem cum nostris honoris locum in Regni Comitiis obtinent.* Non *debent publica Reipublicæ munera repudiare, siquando ad ea exequenda à Principe ultrò vocentur. Ambire non debent. Doctori* Williams *Ecclesiæ* VVestmonasteriensis *Decano tantùm, non Episcopo, Magni Sigilli custodia à* Jacobo *Rege commissa. E Republica est, ut Episcopi habeant jus suffragii in Regni Comitiis. Interest etiam Ecclesiæ, idque postulat æquitas. Interest utriusque Ecclesiæ & Reipublicæ, Regiæque Majestatis, ut in Concilium sanctius admittantur quidam ex Ordine Episcoporum. Pauci admodum in illud admitti solent. Qui sint Eirenarchæ & quod eorum Officium in Anglia. Ex omni Subditorum genere eliguntur magno numero in quolibet Comitatu. Comitiis intersunt cum jure Suffragii in Regno* Succiæ *Inferioris Cleri delegati. Antistes & Canonici Ecclesiæ* Tigurinæ *in Concilium Vocantur à Magistratu, cum de negotiis ad Rempublicam spectantibus deliberandum est.* Scotorum *Ministri jus dicendæ sententiæ in Comitiis, Synodi Decreto vendicarunt. Politicis conventibus interfuerunt Ecclesiarum Reformatarum* Galliæ *Ministri. Eirenarchæ officio functi sunt multi ex Presbyterianorum Ministris.* Baxterus *notatur.* Amyraldus *censet posse politicum splendorem ad Episcoporum munus Regum voluntate additum, retineri. Id probatur exemplo R.* Georgii Anhaltini. *Respondetur ad ea quæ ex* Bacono *dicuntur esse desumpta, Futilitas eorum, quæ ex D.* Francisci Knollii *literis adversus Ecclesiasticas Curias allegant Adversarii, quorum hîc invincibilis pertinacia ostenditur:* SUPREMÆ COM-

COMMISSIONIS *Curia ab* Elizabetha *instituta. Ob quas causas & in quos usus.* Cowellus *laudatur.* Georgius Hornius *notatur.* **JURAMENTUM EX OFFICIO,** *quod vocant, propugnarunt scriptis publicis* Lancelotus Andreas *&* Richardus Cosenus; *apud omnes gentes in usu; jure Canonico & Civili, ut & nostro municipali approbatum, Divino autem imperatum.* *A* Calvino *in Consistorio* Genevensi *delatum.* Juramentum Obedientiæ Canonicæ *explicatur & vindicatur.*

POstquam de Episcopatus Origine, Antiquitate, Jureque in genere dictum est, sequitur ut de eo qui in Ecclesia Anglicana jam à prima Reformatione obtinuit, Episcopatu in specie dicamus. Nostros enim Episcopos tales esse aiunt Schismatici non vitâ & moribus, in his enim nihil culpant, sed vel ipsa institutione, seu eorum Electionem, seu Potestatem, seu Potestatis Exercitium seu locum atque dignitatem in Republica spectes, ut in Ecclesia Christiana ferri nequeant. "Tales Episcopos Ecclesiæ Anglicanæ "obtrudi cernimus, *inquit*, *Apologista*, quales sine perjurio, gravis- *Apol.p.154.* "simoque Ecclesiarum omnium Reformatarum scandalo non possu- "mus recipere. Hoc verò ne ex ἀμετρίᾳ τῆς ἀνθολκῆς scripsisse videar, "sic pergit ille, age quanti sint apud nos Episcopi, & quo modo "eligantur videamus. 1. Cum Regi significatum fuerit, *inquit*, per "Decanum Capituli Diocœsin orbatam esse Episcopo, obsignato "Diplomate concedit Capitulo facultatem eligendi, & simul mittit "literas quibus nominat Episcopum eligendum, atque sic Capitulo "nihil aliud relinquitur, quam umbratilis quædam, & imaginaria "nominati Electio. 2. Episcopi nostri diversam habent consecrati- "onem à Presbyteris quia ordine differre se dicunt à Presbyteris. "3. Singularem ordinationis Presbyterorum potestatem, excluso "Clero, sibi solis vendicant, atque hanc sibi maximè propriam & "peculiarem, non fratrum Presbyterorum voluntario consensu, "Jure Divino aut saltem Apostolico. 4. Jurisdictiones in foro in- "terno, seu in foro conscientiæ Presbyteris competere dicunt, "sed commissam tantum, & ab Episcopo delegatam, cujus Vicarii "sunt, cum ille solus totius Diœceseos pastor sit. Quare Ex- "ercitium hujusce Jurisdictionis in foro conscientiæ Episcopis "subditum esse volunt, ita ut Presbytero ordinato non liceat con- "cionari, aut Sacramenta administrare, nisi facultate ab Episco-

"po prius concessa. 5. Omnem externi fori Jurisdictionem exclu-
"sis Presbyteris sibi solis vendicant, ita ut eos consulere dedignen-
"tur. Quod si eorum consilio aliquando utantur, illud non ex ne-
"cessitate, sed libera sua voluntate fieri dicunt; & Presbyterorum
"suffragia nolunt esse decisiva sed solum consultiva & deliberativa.
"*6.* Excommunicandi potestatem sibi solis arrogant, ut & solvendi à
"sententia excommunicationis lata. Soli Clericalem Disciplinam
"exercent aut per se aut per officiales Cancellarios à se deputatos,
"qui Sacro Presbyteratus ordini nunquam initiati fuerunt. *7.* Sin-
"gulares illas prærogativas supra Presbyteros & Presbyterorum col-
"legia Jure Divino sibi vendicant; & Episcopatum necessarium esse
"dicunt, & Presbyteros aliarum Ecclesiarum reformatos, fratres non
"agnoscunt; sed si apud nos frui velint Beneficio Ecclesiastico, re-
"ordinant. Quibus hæc addit; Hujusmodi Episcopos antiquitatem
"nullatenus agnovisse abunde probarunt Blondellus, & quisquis au-
"thor erat Historiæ motuum nuperorum in Scotia, cujus penicillo
"Episcopos nostros depinximus. Deinde post circiter viginti
paginas in quibus huc illuc discurrit, passim sequens corvos testâque
lutoque, priorique libelli sui editioni ea inserens, quæ ab aliis surrepta
& molem augere aut aliquid ornatus afferre visa sunt; qualia hæc,
quæ Clarissimo *Maresio* errore vulgari decepto, de Episcopis nostris
exciderunt. *Ut arcus nimiâ intensione frangitur, sic & illi nimium
intendentes suam authoritatem & dignitatem, eâ penitus exciderunt;
instar cameli in fabula, qui quòd cornua affectasset, etiam & auribus
mulctatus fuit*; post impletas, inquam, rerum à proposito aliena-
rum, quæ tamen suo loco excutientur, circiter viginti paginas, ad
illud tandem reversus, sic pergit Episcopos depingere. "*Lati-
"merus*, *Hopperusque*, *inquit*, erant inter Episcopos. At uterque
"damnat Episcopos, qui sese negotiis secularibus ingerunt, & Ju-
"risdictionem temporalem exercent. At hodierni Episcopi Ba-
"rones sunt & præcedentiam habent præ aliis Regni Baro-
"nibus, non modo in privatis congressibus, sed etiam in Supremo
"Regni Concilio, Parlamento. Non ineptos se putant quibus of-
"ficium Eirenarchæ, Custodis magni signi, Eleæmosynarii, Consiliarii
"Secretioris Concilii demandetur. Deinde septem circiter paginas
infert ex illustrissimi Baconi libro quodam posthumo (si tamen Ba-
coni Angliæ per multos annos Cancellarii liber dici potest, in quo
disertè asseritur, *neque amplissimum Angliæ Cancellarium in Can-
cellaria, neque ullum alium Reverendorum (sic loquimur) Anglo-
rum Judicum, solum judicare*; (* quod falsissimum esse lippis atque
tonsoribus vulgo notum) quibus duo in Episcopis nostris repre-
hendit; scilicet, 1. *Quod soli judicent in causis Spiritualibus.*

Mares. Exam. Theol. 4. insig. quæst. advers. Prideaux. q. 1. sect. 54.

* *In Cancellaria solus Judicat amplissimus Dom. Cancellarius aut Magni Sigilli Custos.* Cook. de Curiarum Jurisdictione. *Summus Angliæ Seneschallus solus Judicat, licet consilium accipiat à Judicibus.* Idem ibid.

2 *Quod*

2. *Quod authoritatem suam in judicando aliis committant.* Quibus omnibus subdit *Francisci Knollii* cyaneæ Periscelidis, regnante Elizabetha, Equitis, litteras oppido prolixas oppidoque ridiculas, *de eo quod formulæ procedendi & processus in curiis Ecclesiasticis sint sub Episcoporum nominibus*; hoc est (nam id forte exteri haud intelligerent) quod curiæ Episcoporum, non Regis sed Episcoporum curiæ dicantur; quodque earum curiarum mandata & sententiæ, non ipsius Serenissimi Regis, sed Episcopi nomine edantur atque promulgentur. Id autem *Knollio* Apologistæque magnum crimen videtur. Ad quæ singula sic ordine Respondeo.

§ Primum quod in Episcopis nostris reprehendunt, Electio est quam penes Regem esse nollent, seu potius penes nullum esse vellent, cum nullos velint Episcopos. Episcoporum aliorumque Ecclesiæ Ministrorum electio non semper penes eosdem fuit. In eo multum subinde variatum est, pro diversa locorum, temporum, ingeniorumque ratione atque pro Superiorum temporum experientia, die diem docente, ut quæ ante Ecclesia experta fuerat in Electionibus incommoda, si fieri posset, in posterum vitarentur.

§ In Ecclesiæ Christianæ primordiis Episcopos atque Presbyteros ab ipsis Apostolis virisque Apostolicis non ab aliis electos & singulis Ecclesiis præpositos ubique scriptura docet. *Timotheum* Ephesinæ, Titum Cretensium Ecclesiæ præfecisse S. *Paulum* testantur illius ad eos datæ Epistolæ. Legimus Actuum Cap. XIV. *Paulum* & *Barnabam* iis locis in quibus Evangelii prædicatione Ecclesias Christo collegerant, Presbyteros constituisse. Idem S. Apostolus Paulus Titum (hujus rei gratia) in Creta reliquisse testatur ut Presbyteros in singulis civitatibus constitueret. Refert *Eusebius* ex Clemente Alexandrino quod capite superiore observatum est, S. Johannem Apostolum post obitum *Domitiani* rogatu Ecclesiarum in Asiam profectum ad constituendos iis Episcopos. Nec patitur ratio ut credamus (etiamsi cùm Scriptura tum Veteres Scriptores taceant) ab aliis quam à sanctis Apostolis, virisque Apostolicis, tunc delectos & Ecclesiis præpositos Episcopos, cæterosque Sacrorum Ministros. Nam licet concederetur, quod absque omni ratione volunt nonnulli, penes uniuscujusq; Ecclesiæ membra singula jus esse Pastores suos eligendi, cùm quisque de jure suo tantum cedere & in alium transferre possit quantum libet, idque factum videamus iis ipsis locis in quibus vixerunt & floruerunt Electionum popularium assertores rigidissimi, (ubi non a promiscua plebe eliguntur Pastores, sed vel ab aliis Pastoribus & Consistorio paucis quibusdam tantum Ecclesiæ membris constante, vel à Pastoribus & Magistratu, vel etiam quandoque à solo Magistratu definitivè & authoritativè, ut sic loquar,) verisimile non est primorum illorum

temporum

temporum fideles, tantum de se præsumpsisse, ut Pastores suos à quibus porrò in verâ pietate confirmarentur & pleniùs in dies instituerentur, eligere voluerint, & eorum electionem potiùs non detulerint ad Christi Apostolos, Viros Spiritu Sancto plenos, quorum ministerio ab idolis ad verum illum Deum, à superstitione ad fidem, à flagitiis & libidine ad probam honestamque vivendi rationem conversi fuerant. Quasi *ἀρτιγέννητα βρέφη modo geniti infantes*, ut S. Petrus loquitur, erant recens conversi fideles, atque recedentibus, alióque se conferentibus pro muneris sui ratione, Apostolis, quasi orphani parentum præsentiâ curâque orbati. Pupilli autem jure gentium & civili Tutores suos non eligunt, sed illis dantur aut à parentibus, aut a Prætore, cùm præcipiti morte abripiuntur parentes antequam liberis suis Testamento caverint atque prospexerint.

§ Scio hîc ab Electionum popularium assertoribus objici solere quæ habentur Act. VI. de septemvirorum curandis mensis electione, quam ipsi Apostoli Discipulorum multitudini detulerunt. Sed nos de Ecclesiæ moderatoribus, de verbi & sacramentorum, non de mensarum Ministris, hoc est, viduarum & pauperum curatoribus, & eleemosynarum dispensatoribus agimus. Illos semper ipsi Apostoli elegerunt & Ecclesiis præfecerunt, istos verò eligi voluerunt ab ipsis fidelibus; idque prudentissimè, tam ut à se omnem avaritiæ suspicionem procul amoverent; quàm ut si nova dissidia super eleemosynarum distributione in posterum excitarentur, ea non aliis quam sibi ipsis Ecclesiæ imputarent, quæ tales rerum suarum Oeconomos elegissent.

§ Video etiam alium ejusdem libri locum Cap. 14. v. 23. in popularium Electionum gratiam allegatum, idque à viro Clarissimo & in criticis sacris longe peritissimo, qui Χειροτονήσαντες πρεσβυτέρους κατ' ἐκκλησίαν, vertit, *cum per suffragia creassent per singulas Ecclesias Presbyteros*; Et monet, *vim verbi χειροτονεῖν notandam esse, ut Paulum & Barnabam sciamus nihil privato arbitrio gessisse, nec ullam in Ecclesia exexercuisse tyrannidem.* Nempe quia, quod ibidem annotat, *verbum hoc ortum est ex Græcorum consuetudine qui porrectis manibus suffragia ferebant.* Quasi vero quæ à *Paulo* & *Barnaba* Sanctis Christi Apostolis in constituendis Ecclesiis gesta sunt, ea illorum arbitrio tribuenda, & non Spiritus Sancti ductui & impulsui adscribenda forent; & si quid egerint inconsultis uniuscujusque Ecclesiæ singulis membris in re in qua vix consilium dare valet vigesimus quisque fidelium, Exempli gratiâ, si Timotheo Ephesiorum, Tito Cretensium Ecclesiæ curam S. Paulus commiserit non rogatis & numeratis omnium sententiis, an scilicet iis idonei viderentur quibus ea provincia demandaretur, statim tyrannidem exercuisse dicendi sint. Et ad verbi Χειροτονεῖν vim quod attinet

Beza in hunc locum.

attinet, ex Græcorum consuetudine ortum esse, & per suffragia, manuum porrectione significata eligere, primum significasse constat. Sed verborum significatio non ex eorum etymologia semper, sed sæpius etiam ex usu quærenda est. Jam si verbi χειροτονεῖν usum spectemus, maximè apud eos Scriptores qui circa Ecclesiæ Christianæ ætatem primam floruerunt, aut in aliis Scripturæ Sacræ locis, quod longe plus ponderis habere debet, nihil aliud significat quàm simpliciter constituere, nullâ multitudinis Suffragiorum ratione habitâ. Cum Philo-Judæus de Mose Scribens dicit Deum βουλόμενον ὃν ἐχειροτόνησε ἡγεμόνα τιμῆσαι eum quem constituerat ducem honorare, nemo sanè Mosem filiorum Israël Ducem communibus populi Suffragiis à Deo creatum somniaverit. Cùm *Maximus Tyrius*, de Darii ad Persarum imperium evectione, ait, Δαρεῖον οὐ πρότερον προσεκύνησαν οἱ Πέρσαι πρὶν αὐτὸν ἐχειροτόνησαν ἐπὶ τὴν ἀρχὴν ὑβριστὴς ἵππος; *Darium non prius adoraverunt Persæ quàm eum in imperio constituisset ferociens seu lascivus equus*; nullus locus est communibus quorumcunque Suffragiis. Sed hoc ipso libro Cap. 10. v. 41. verbum προχειροτονεῖν, quod eundem ortum habet ubi S Petrus Apostolos à Deo resurrectionis Christi testes προκεχειροτονημένους præordinatos dicit, pro communibus Ecclesiæ calculis adeo non usurpatur, ut vel ipso Cl. *Beza* fatente, eo loco *tacita sit antithesis inter Dei* χειροτονίαν *& hominum suffragia. Sunt enim*, quod rectè ad eundem locum annotat, *Apostoli immediate ab ipso Christo, id est, à Deo designati, ut diserte quoque expressit Lucas in hujus libri proëmio. Ideo cum de Surrogando Juda successore quæreretur, res est sorti commissa, tanquam arcano Dei judicio.* Quæ à lectore velim observari, quoniam S. Matthiæ in Apostolorum collegium cooptationem, quidam afferre non dubitant quasi id pro electionibus popularibus faciat. Sed si daremus Act. 14. 23. τὸ χειροτονεῖν primam suam significationem retinere, & notare creationem Presbyterorum, quæ per communia multorum facta sit Suffragia, id ad Apostolos Paulum & Barnabam non ad ipsas Ecclesias referendum esset. Non dicuntur enim fideles sibi, sed Apostoli illis χειροτονήσαντες πρεσβυτέρους κατ' ἐκκλησίαν. Neque unquam significavit verbum illud, aliorum, sed propriis suffragiis Magistratus creare. Quo tamen significatu hic sumi deberet si ad fidelium suffragia referretur. Quæ omnia sanè Cl. *Beza* pro suâ eruditione atque diligentia annotasset, si ad illius vocis elucidationem animum præjudiciis vacuum adjecisset.

Philo. Jud. in vita Mosis, l. 1. p. 633.

Vide celeber. Hamnondi Annotat. in N. T. ad hunc locum.

§ Post Apostolos virosque Apostolicos Cœlo donatos, per longam annorum seriem Cleri populique Suffragiis prudentissimo Ecclesiæ consilio, ubique ferè permissa est Episcoporum Electio. Cùm adhuc in vivis essent Apostoli virique Apostolici, tantorum virorum authoritas satis erat ad fidelium omnium existimationem amoremque, atque

quod

quod inde nascitur, obsequium iis conciliandum, quos Ecclesiis præfecerant. Sed cùm eâ commendatione destituerentur, qui Episcopis, Sanctorum Apostolorum manibus consecratis, successerunt; quo clerum magis obsequentem & plebem morigeram haberent, expediebat ut utriusque communibus Suffragiis eligerentur, maximè cùm Cleri prompto & alacri ministerio in pascenda Ecclesiâ, plebis opibus ad suam clerique sustentationem & utrorumque benevolentiâ atque obsequiis in Domino, ad mutuam omnium ædificationem, indigerent. Neque enim verisimile erat fore, ut, si Episcopi invitis ac reluctantibus Ecclesiis impositi fuissent à quocunque authoritate prædito Apostolicâ minore, ab illis necessaria subsidia accepissent, iis præsertim temporibus quibus Magistratus Ecclesiam non curabat. Solis tamen Ecclesiæ Alexandrinæ Presbyteris Episcopi electionem jam indè à S. *Marco* tribuit B. *Hieronymus*. Et ex iis quæ B. *Augustinus* habet de *Severo* Episcopo Milevitano, liquet, solitos Episcopos aliquando succcessores suos apud Clericos tantùm, ne præsente quidem plebe designare. *Quia frater Severinus, Episcopus Milevitanus*, inquit, *putaverat sufficere ut successorem suum apud Clericos designaret, apud populum inde non locutus est.* Nam quamvis indè quosdam contristatos esse dicat, ordinatus tamen est Episcopus quem sic designaverat Severinus, nec consciâ quidem plebe; quæ non sibi ereptum jus suum quiritata est, sed tristitiâ tantum affecta propter rei insolentiam. Aliter enim fieri consueverat jam à longo tempore. Imò liquet ex Augustini verbis in designando successore suo *Eradio*, eum à Severi sententiâ non abiisse, & non ideo de proposito suo plebem certiorem fecisse, quia ita fieri oportere credebat, sed ne facto simili similis tristitiæ occasionem plebi suæ præberet. *Ego*, inquit, *ne aliquis de me queratur, voluntatem meam, quam credo Dei esse, in omnium vestrum notitiam profero. Presbyterum Eradium mihi successorem volo. Et à populo acclamatum est, Deo gratias.* Quin vetuit *Laodicena* Synodus à sextâ Oecumenicâ approbata, *ne turbis, id est populo, concederetur eorum electionem facere qui sunt ad Sacerdotium promovendi.* Sciebat Augustinus experientiâ edoctus post obitus Episcoporum, *per ambitiosos aut contentiosos* solere Ecclesias perturbari, prout ipse testatur; unde ei malo mederi voluit. Id quoque eâdem experientiâ magistrâ didicerat Laodicena Synodus; ideoque ut morbum tolleret, morbi causam sustulit. *Ammiano Marcellino* Ethnico Scriptori, mutuas Christianorum cædes ambientibus Eccelesiæ Romanæ Episcopatum *Damaso* & *Ursicino*, narranti fidem non haberemus, nisi *Rufinus* quoque Presbyter Christianus idem nobis confirmaret. "Damasus & Ursicinus, *inquit*, ad rapiendam Episcopalem sedem ardentes scissis studiis asperrimè conflictabantur adusque mortis vulnerumque discrimina:

August. Act. in designando successore Eradio Tom. 2.

Ibid.

Can. 13. Augustin. Epist. 110.

Am. Marcel. l. 27.

"mina: quæ præfectus Urbis nec corrigere, nec mollire sufficiens, "vi magnâ coactus secessit in suburbanum; constatque in Basilicâ, ubi "ritus Christiani est conventiculum, uno die centum triginta septem "reperta cadavera peremptorum: efferatamque diu plebem, ægrè "postea delinitam. Quæ his verbis à *Rufino* confirmantur; "Tanta seditio imò tanta bella coorta sunt, *inquit*, alterutrum defendentibus populis, ut orationum loca hamano sanguine replerentur. Non minus horrendum in Alexandrinâ Ecclesiâ Popularis Electionis eventum narrat *Evagrius*; nempe milites qui Magistratus jussu populi ferociam, aliis Dioscorum, aliis Proterium Episcopum poscentibus, reprimere conabantur, in Templo, quo confugerant vivos igne crematos; & tandem alio electo, Proterium cum sex aliis in Templo, ipsa die salutaris Paschatis peremptum. Legantur, magnæ Chalcedonensis Synodi sessione XI. *Stephani* & *Bassiani* ad Ecclesiæ Ephesinæ Episcopatum popularibus factionibus, diverso tempore evectorum, accusationes mutuæ, unde constabit quanta fuerit in istis electionibus corruptio: quam nihil æquum, nihil honestum, nihil denique Christianis hominibus dignum; sed omnia iniqua, turpia, fœda, barbara. Istis gemina occurrunt apud *Socratem*, apud *Gregorium Nazianzenum* & alios passim: quæ singula referre nimis prolixum foret. Itaque ut ea Popularium Electionum vitarentur incommoda, promiscuæ plebi Episcoporum eligendorum jus ademptum est, & paucis quibusdam uniuscujusque civitatis viris primariis cum Clero, variis limitibus circumscriptum, concessum est. Sed illis quoque jure eodem abutentibus, ad unum Clerum multis in locis Electio delata est. Verum Clericis etiam studiis indulgentibus, nec unum Ecclesiæ commodum, quod oportuit, spectantibus, Episcoporum Electiones tandem ad Principes devolutæ sunt. Nota sunt quæ habentur in Decreto de concessis ab *Adriano* Romano Pontifice & centum quinquaginta Episcopis & Abbatibus, *Carolo Magno* investituris; scilicet, *ut nisi à Rege laudaretur & investiretur Episcopus à nemine consecraretur.* Sed juris illis restitutio potiùs quam concessio dicenda, cum diu ante *Carolum*, eo usi sint Principes, ut vel ex *Gregorio* 1. de suâ ad Episcopatum admissione testante liquet. *Ecce Serenissimus Dominus Imperator*, inquit, *fieri simiam, Leonem jussit, unde necesse est ut omnes culpas & negligentias meas non mihi sed suæ pietati deputet, qui virtutis mysterium infirmo commisit.* Floruit autem *Gregorius* ducentis annis ante *Adrianum.* Ex alterius *Gregorii* ejusdem temporis Scriptoris, nempe *Turonensis* Historia, non minùs manifestum est, eodem jure diu antea gavisos etiam alios Principes æque atque Romanorum Imperatores, & eo usos Christianos Gallorum Reges a *Clodoveo*, qui primus Christo nomen dedisse dicitur.

Rufin. Hist. Eccl. l. 2. c. 10.

Evagr. H. 2. cap. 5. & 8.

Concil. Chalced. sect. 11.

Socrat. l. 2. c. 24. Gregor. Nazian. in Epitaph. Patr.

Novel. constitut. 123. cap. sancimus.

Distinct. 63. cap. Adrian.

Gregor. Ep. l. 5.

Gregor. Turon. l. 3. cap. 17. l. 4. cap. 5, & 6. & l. 10. c. 31. & passim.

§ Ad Angliæ Reges quod attinet, vel ex eo quod de Henrico 1. *Gulielmi* conquestoris quem vocant, filio, scribit *Matthæus Parisiensis*, scilicet eum per *Willelmum Procuratorem, Papa significasse, nolle se pro Regni amissione investituras Ecclesiarum amittere*; constat Episcoporum Electiones jam antea Regii apud nos juris fuisse. Amittere enim nemo potest quod non habet. Et, quod imprimis notandum, nullam legimus Principibus unquam intercessisse litem cum plebe de electione & investitura Episcoporum, sed sæpius cum Clero atque identidem cum Romanis Pontificibus; quamvis nec ipsorum etiam Electiones & Ordinationes legitimæ validæque fuerint, nisi Imperatoris approbatione confirmatæ, quoties Princeps strenuus & suæ dignitatis memor rerum potitus est. Qua de re videantur controversiarum nostrarum cum Pontificiis, Scriptores, qui non modò rerum gestarum Historiam narrant, sed jus illud Imperatoribus asserunt. Quod idem multis probat Theodorus à *Niem.* Duobus autem argumentis præcipuis nititur eorum assertio, scilicet. 1. Principes esse utriusque Tabulæ custodes, ideoque ipsorum esse prospicere Ecclesiis, ne iis obtrudantur Episcopi ad munus Pastorale obeundum haud satis idonei. 2. Episcoporum ædes a Principibus primùm extructas & prædia aliasque eorum opes concessas, Cathedralesque dotatas Ecclesias. Quo fit, ut vel Patronatus jure quod in Ecclesia Christiana antiquissimum est, ut patet ex *Auth. de Sacro S. Episc. cap.* 18. *& Novel.* 57. *c.* 2. Episcoporum Electiones ad eos pertineant. *Testatur Socrates, in Prooemio libri quinti*, inquiunt *Magdeburgenses, quod ab Imperatoribus, postquam Christiani esse cœperint, pendeant res Ecclesiasticæ.* Quæ est communis omnium Reformatorum sententia. Et, si suo illo jure usi non fuissent Principes aliique summi Magistratus avorum nostrorum ætate, cùm à corruptelis variis repurgata est religio, sed Episcoporum Electiones & Investituras, vel plebi, vel Clero, vel utrisque promiscuè permisissent, quàm parùm in maximè necessario illo Reformationis opere progressum fuisset, divinare non est difficile. Sed præter jus illud commune eligendi Episcopos, quod Principibus omnibus competit quà Principibus & Ecclesiarum Cathedralium fundatoribus ac Patronis, ut sic dicam; alio etiam jure Episcoporum Electionem sibi vendicare possunt Serenissimi Angliæ Reges, nempe, ex consensu & liberà omnium Ordinum in publicis Regni Comitiis concessione. Sic enim habet statutum Parlamenti An. 25. *Edvardi* 3. eruditissimo *Bilsono* Wintoniens. Episcopo interprete; "Supremus "Dominus noster Rex, & hæredes sui habebunt & pro illo tempore "fruentur collationibus ad Archiepiscopatus & alias dignitates ele"ctivas, quæ de ejus sunt advocatione & patronatu, quas progenito"res ejus habuerunt antequam libera Electio esset concessa. Quo

Matth. Paris. in Hen. 1.

Magdeburg. centur. 4. *cap.* 7. *p.* 542.

Bilson. de perpet. Eccl. gubernat. cap. 15. *pag.* 437.

statuto

ſtatuto freti *Edvardus 6.* &, *Elizabetha* Epiſcopos Reformatos Eccleſiis ſuis, nemine contradicente, præfecerunt. Non tamen illo ſuo jure ita uſi ſunt, aut etiamnum utuntur Principes noſtri, ut in Epiſcoporum Electionibus, nulla Cleri, nulla plebis conſenſus & approbationis ratio habeatur. Defuncto Epiſcopo Decanus & capitulum, illius obitum Regi ſignificant, ſupplicantes ut ſibi Succeſſoris eligendi licentia, quam Gallicè, CONGE D'ESLIRE, Angli vocamus, concedatur ne diutius Paſtoris inſpectione & ſolatio careat Eccleſia. Mittitur licentia & ſimul literæ commendatitiæ in illius gratiam quem Regia Majeſtas ad ſuccedendum idoneum judicavit. Licentià Principis ad eligendum impetratâ, Decanus & Canonici qui adſunt, diem peragendæ Electioni idoneum conſtituunt, quam abſentibus Canonicis & Præbendariis omnibus illius Eccleſiæ ſignificant; Et ne quis queri poſſit ſe de Electione nihil audiviſſe, Decretum futuræ Electionis Valvis Eccleſiæ Cathedralis ſtatim affigitur, ibique affictum manet à quolibet legendum uſque ad diem Electioni aſſiguatnm. Coacto Capitulo, prælectiſque tum eligendi licentiâ, tum literis commendatitiis, is quèm nominavit Regia Majeſtas, ſi nihil adverſus illum objectum fuerit, aut ſi Decano & Capitulo tanti non viſa ſit objectio, ut Electionem impedire debeat, communibus Suffragiis Epiſcopus eligitur. Sic peractâ Electione, ſtatim Clero & plebi Electi Epiſcopi nomen declaratur, ut ſiquis quid adverſus eum habeat, quo ſe Epiſcopatu indignum præbuiſſe videatur, id loco & tempore idoneis aperiat. Nam ubi Decanus & Capitulum Regiæ Majeſtati ſignificarunt eum à ſe eſſe Electum quem commendatione ſua dignatus fuerat, priuſquam in Epiſcopum conſecretur, debet ab Archiepiſcopo confirmari illius Electio. Significat itaque Regia Majeſtas Archiepiſcopo Electionem, ſimulque jubet ut eam confirmet. Hoc autem modo fieri ſolet Electi Epiſcopi confirmatio. Diem, horam & locum futuræ confirmationis Electi Epiſcopi declarat Archiepiſcopus, mandatque inſtrumentum, quo iſta continentur, per Apparitorem publicè affigi, ut ſi quis ſive de Clero ſive de plebe quid habeat adverſus Electionem, Electionis formam, aut Electi Perſonam, mores aut doctrinam objiciendum, adeſſe poſſit atque intercedere quo minus confirmetur Electio. Adſunt die, horâ & loco dictis Archiepiſcopi Vicarius Generalis in Spiritualibus, aliique juris utriuſque periti, quibus ea ab illo demandata eſt provincia; qui Electionis inſtrumentum, Regiæ Majeſtatis mandatum ad Archiepiſcopum de Electi confirmatione, aliaque inſtrumenta eò pertinentia altâ voce prælegi curant, deinde ter per Præconem (unde *præconizari* dicitur futurus Epiſcopus) denunciant, ut ſiquis quid habeat objiciendum adverſus Electum Epiſcopum, pro-

deat & eloquatur; interpositâ post unamquamque denunciationem justâ morâ, ne res tanta præcipitanter acta dici queat. Siquis sese opponat, auditur. Si nihil objiciatur, confirmant Electionem. Fiebant Londini in æde S. *Mariæ*, vulgò le *Bow* seu de *Arcubus* dictæ, ante urbis incendium, omnes omnium Electorum Episcoporum Confirmationes. Tandem Electus & Confirmatus Episcopus ab Archiepiscopo & duobus Episcopis, aut si per negotia aut valetudinem absit Archiepiscopus, à tribus Episcopis publicè consecratur. Fit autem Consecratio seu Ordinatio solâ manuum impositione & S. S. Bibliorum traditione, postquam Deo, Ecclesiæ, Regi fidem dedit; nullis aliis adhibitis Ceremoniis, nisi quod habitu Episcopali, quem supra descripsimus, induitur.

§ Quid hic morosulis nostris displiceat, non eloquuntur. Capitulis in Episcoporum Electionibus non satis concessum innuere videntur, *cùm illis nihil aliud quam umbratilem quamdam & imaginariam nominati Electionem, relictum dicunt.* Culpandæ igitur Leges Patriæ, non accusanda Ecclesia Anglicana, quæ non infert, sed patitur injuriam, si jus ipsius in Episcoporum Electionibus violetur, aut ullo modo imminuatur. Principi Regnique legibus morem gerit, & porrò, si immutentur, morem gestura est διὰ τὸν κύριον, præcepti Apostolici 1 *Pet.* 2. 13. memor. Interim illi per Adversarios liceat isti ἀνθρωπίνῃ κτίσει subjici. Est quod Deo Optimo Maximo gratias agat maximas quod adeo clementer a Principibus suis in Episcopis eligendis secum actum sit; ut nullos jam à seculo in Præsules eligendos proposuerint, quos repudiare jure potuerit, aut repudiandos utprorsus indignos, censuerit. Non solent enim νεοφύτες aut indoctos, aut leves, aut flagitiosos homines, sed plerumque senes, nunquam Trigenariis vix Quadragenariis, rarò Quinquagenariis minores, semper viros doctos, graves, integros vitæ scelerisque puros; eosque aut editis scriptis, aut solidâ eruditione, aut concionandi peritiâ, aut exploratâ per omnem vitam prudentiâ celebres, in Episcopos eligendos proponere. Quod *Cl. Zanchium* minime latuit, cum sic de iis scriberet qui ad Episcopatum in Anglia evehuntur. *Neque*, inquit, *ita temere post Ecclesiarum in isto regno Reformationem, ut alias, nunc eliguntur Episcopi, sed ad Canonem Apostolicum prius examinantur, si quis sit,* ἀνεπίληπτος μιᾶς γυναικὸς ἀνὴρ, νηφάλιος, σώφρων, κόσμιος, φιλόξενος, διδακτικός: *Et quæ apud Apostolum sequuntur.* Unde merito *R. Grindallum* infert istis virtutibus haud fuisse vacuum, cùm ad Episcopatum Londinensem ab *Elizabethâ* Regina evectus est.

Zanch. in Epist. dedicat. libr. de Tribus Elohim. præfixâ.

§ In *Sueciâ*, *Daniâ*, *Norvegiâ*, *Germaniâ*, *Helvetiâ*, &c. Reges, ac Principes, atque alii summi Rerumpublicarum moderatores eodem jure, in Episcoporum, Inspectorum, & Superintendentium, imò & Parochorum

Parochorum (quibusdam in locis) electionibus, licet non eâdem ratione omnes, utuntur. Habent autem unde sibi gratulentur illarum regionum Ecclesiæ Reformatæ, si in eo utendo simile adhibeant temperamentum, & non fiant apud illas, (quod credimus ac vovemus) magis pœnitendæ Pastorum Electiones quam quæ apud nos Episcoporum fieri solent. "In terris Electoratus Saxonici à solo Electore munus "defertur Superintendentibus; teste *Carpzovio*. In Palatinatu verò "non Inspectores tantum ex voluntate Principis creantur; sed curæ "etiam Pastorales conferuntur teste Hug. Grotio, arbitrio Senatus, "qui mandato & nomine Electoris Ecclesiis præsidet. Et in ditione "*Basileensi*, teste eodem, Ecclesiarum extra urbem in Pastore eligendo "potestas nullâ est. Quem Magistratus urbis ad pascendum illas "mittit, etiamsi docentem nunquam audiverint reverenter accipiunt. Apud *Fratres Bohemos* nullus Magistratus, nec Ecclesia Pastores sibi quærebat aut vocabat, sed quo quis destinabatur ab Episcopis, eò se conferebat Ecclesiaque illa eum Pastorem suum agnoscebat. Quia Episcoporum eam curam esse sentiebant, quali rectore Ecclesia quæque indigeat providere. Similiter in ditione Tigurina Parochi non eliguntur ab Ecclesiis, sed ab Antistite & Canonicis Ecclesiæ collegiatæ. Nec major ratio plebis in Eligendis Pastoribus sæpe habetur apud *Bernates*. "Nostræ Ecclesiæ, *inquit* Aretius, hunc morem "servant, ut Ministri quidem eligant, Senatui tamen offerunt, qui "totam aut confirmat, aut habet irritam Electionem, prout nego-"tium cognoverit. Sæpe etiam quæritur consensus illius Ecclesiæ cui "Minister est præficiendus. In ipsa *Genevensis* Reipublicæ ditione, Ecclesiæ Pastores suos non eligunt, sed ipsis dantur à Magistratu adhibitis aliorum Ministrorum consiliis. Examinati à Ministrorum Collegio, Senatui offeruntur, in cujus arbitrio est non admittere. Tantum audiuntur Ecclesiæ, siquod habeant adversus eos qui ipsis Pastores dantur. Quod ubique Ecclesiarum Reformatarum fieri solet. Et in *fœderato Belgio*, ubi plus plebi in Pastorum Electione tribui solet quam in aliis Rebuspublicis in quibus sub Magistratu Reformato vivitur, multis tamen locis jus Patronatus obtinet (nec Synodis quidem improbantibus) perinde atque apud nos in Anglia. Quin ipsum rebelle Presbyterianorum Parlamentum Pseudo-Synodi *Westmonasterii*, ad evertendam legibus constitutam Ecclesiæ Anglicanæ Politiam, convocatæ Præsidis Electionem, exemplo antea inaudito, sibi reservatam voluit, prout supra à nobis est observatum. Ecclesias Reformatas Galliæ & alias quæ sub Magistratu Heterodoxo vivunt, prætereo propter diversum earum statum.

Carpz. Jurispr. Eccles. l. 1. T. 2. def. 19. p. 25. Grot. de jure sum. potest. circa Sacra cap. 8. p. 322.

Ratio Disciplinæ Fratrum. c. 2.

Calvin. Epist. l. Olaviano. p. 311.

Schook. Exercit. de jure Patronatus.

§ Jam quid aut in quem peccent pii Principes ac Magistratus dum jure illo suo in eligendis Episcopis & aliis Ecclesiæ Ministris utuntur,

modò

modò ne abutantur, haud video, nisi probetur Plebi jus illud à Deo concessum, & ne eo cedat imperatum. Nam verissimè quidem à celeberrimo *Grotio* in hac ipsâ controversiâ dictum est contra eos qui Pastorum Electionem Plebi, etiam in Republicâ Christianâ asserunt, "Liberum esse Summæ Potestati quicquid lege divina non circumscribitur; Et Regno posito, simul jus Regi concedi ea omnia procurandi, quæ ipsi lege divinâ interdicta non sunt, præsertim quæ eò pertinent, ut subditi vitam tranquillam & piam degant. Liberam autem Pastorum suorum Electionem, Plebi à Deo aut concessam aut imperatam nusquam legimus. At jus constituendi ipsum summum Sacerdotem ab ipso Davide Regum pientissimo, usurpatum videmus. Exauthorato enim Abiathare in illius locum Sadocum suffecit. Misit & *Josaphatus*, Davidi inter Judæorum Reges pietate proximus, Sacerdotes & Levitas, quos nominatim elegerat, ad docendum, in quasdam Civitates Judæ. Quod perindè erat ac si eos alicui Diœcesi aut Parochiæ præfecisset. Ex N. Testamenti libris seu Historicis, seu dogmaticis nihil afferri ex quo Pastorum Electiones à plebe unquam factas probetur, supra ostendimus; & abundè à *Bilsono*, *Grotio* & aliis demonstratum est. Si Plebi jus illud competat, tum universæ adeoque singulis, qua fidelibus & Ecclesiæ membris competit, nullâ sexûs, nullâque status ratione habita & absque omni personarum acceptione. Apud Deum enim neque mas neque fæmina, neque dives neque pauper, neque liber neque servus. Et isti omnes ex æquo membra sunt Ecclesiarum. At nemo unquam repertus est, ne quidem apud Independentes, quod sciam, qui fœminis, ancillis etiam, jus suffragii, in eligendis Pastoribus tribuerit. *Morellius* quidam, Theodoro Bezæ *homo fanaticus*, Independentium parens, qui excluso tum Clero tum Magistratu promiscuæ plebi jus Electionis in solidum tribuebat, non tantum *Geneva* à *Calvino*, *Bezâ* & toto Pastorum cœtu excommunicatus est, & à Magistratu propter contumaciam urbe pulsus, sed in Galliâ etiam à Reformatorum Synodis damnatus est. At certè, *inquis*, plus ab Ecclesiâ Apostolorum proximâ, *teste Cypriano*, plus etiam sub Imperatoribus Christianis, teste voce illâ *Athanasii*; *ubi iste Canon ut è palatio mittatur is qui futurus est Episcopus?* Plus, inquis, Clero & plebi, minus Magistratui tributum est quam nunc conceditur. Ita est; scilicet alii mores alias leges postulant. In re ex se liberâ & verbo Dei non definitâ, variari posse prout Ecclesiæ commodum fuerit, nemo negaverit. Facile nunc Athanasio posset responderi, licet illius ætate nullus ejusmodi Canon extiterit, & potestate suâ abusus sit Imperator in gratiam Arianorum hæreticorum. Nostro enim & avorum tempore ea usi sunt Principes & Magistratus pii ad ædificationem Ecclesiæ, cùm Orthodoxos Episcopos &

Grotius ubi supra.

Paralippom. 2, 17. 8. & 9.

Beza contra Saraviam c. 23. Sententia in eum lata typis edita est Genevæ, 1563.

Ep. l. 1. Ep. 4.

Athanas. Ep. ad solitarios.

& alios Pastores ditionum suarum Ecclesiis præposuerunt, quorum operâ facta est Religionis emendatio. Et docuit experientia errores sæpe non aliâ ratione posse evelli, aut schismata caveri, aut etiam Reipublicæ paci consuli, cùm Electiones factæ à Clero, factionibus; à Plebe, seditionibus semper pateant, & utrisque sæpius ad vulnera & mutuas cædes deventum sit. Nec me latet apud Principes & Magistratus in Pastorum Electionibus & gratiæ,& avaritiæ sordibus locum esse posse; posseque adeò ab illis minus dignos dignioribus præferri, &, quod peius est, prorsus indignos eligi; ut recte inferas nullam Electionis speciem ab incommodis & abusibus esse immunem. Optima illa est quæ minimis urgetur, cujusmodi videtur quæ per Magistratum fieri solet, modo Cleri consilium exquiratur, & plebis exceptiones, si quas justas habeat, audiantur. Itaque non vociferandum adversus Patriæ leges & Ecclesiæ Politiam, sed pro more uniuscujusque loci pacificè, ut Christianos decet, vivendum; & Deus interim orandus ut Electionibus illis ubique præsit & idoneos mittat in messem suam operarios.

§ Secundo loco in Ecclesiæ Anglicanæ Episcopis reprehendit Apologista; *quod diversam habeant consecrationem à Presbyteris; quia,* inquit, *ordine differre se dicunt à Presbyteris.* Sed an non ita fuit in primitiva Ecclesia Christi? An non ita est in omnibus Ecclesiis Reformatis, in quibus, cæteris Ecclesiæ Ministris præsunt Episcopi? Legatur *Ratio Disciplinæ Fratrum Bohemorum* capite 2. titulo ultimo de INAUGURATIONE ANTISTITUM, unde constabit novâ solennique ordinatione, Electum Episcopum consecrari. De discrimine inter *Episcopum* & Presbyterum, jam supra dictum est, Capite XXVIII.

§ Tertio, *Ecclesiæ Anglicanæ Episcopos aiunt singularem ordinationis Presbyterorum potestatem, excluso Clero, sibi solis vendicare; atque hanc sibi maximè propriam & peculiarem, nec fratrum Presbyterorum voluntario consensu, sed jure divino aut saltem Apostolico.* Vendicant sanè potestatem ordinandi Presbyteros, eamque ipsis jure divino competere capite superiore abundè demonstratum putamus. At eàm ita sibi solis vendicare, eamque solos ita peragere ut compresbyteris in aliorum Presbyterorum Ordinatione nullas assignent partes, falsissimum esse quotidiana praxis arguit: Et vel ex publicâ, quæ omnium manibus teritur, Presbyteros Ordinandi Formulâ, demonstrari potest. Primo enim nemo ad Presbyteratus Ordinem in Ecclesiâ Anglicanâ promovetur, quem non prius examinaverit Archidiaconus aut alius Presbyter Archidiaconi vice fungens. 2do Neminem Episcopus ordinare potest Presbyterum juxta Ecclesiæ Anglicanæ Politiam patriis legibus constitutam, nisi eum quem Archidiaconus

aut

aut Archidiaconi vice fungens, post doctrinæ atque morum examen, judicaverit publiceque pronunciaverit idoneum qui ad Presbyteratus Ordinem evehatur. 3. In constitutionibus Ecclesiasticis Synodi Nationalis An. 1603. Londini habitæ Canone 35. præcipitur "ut "Episcopus, priusquam cuiquam ad Presbyteratum ordinando ma- "nus imponat, diligenti eum examine excutiat ac exploret, præsen- "tibus eisdem Ministris quos velit in impositione manuum sibi assiste- "re. Quod si Episcopus legitimè impeditus prædicto examini vaca- "re nequeat, illud tamen à præfatis Ministris sollicitè fieri procura- "bit. Proviso semper, ut qui Episcopo in dicta examinatione & ma- "nuum impositione adesse debent, de ipsius Cathedrali Ecclesia ex- "istant, siquidem eorum facultas dabitur, alioqui tres ad minus ido- "nei concionatores ex eadem Diœcesi adsciscantur. 4. Cùm ad manuum impositionem ventum est, non solus Episcopus manus imponit, sed unà etiam qui adsunt Presbyteri manus suas Ordinandi capiti imponunt, juxta Canonem *Carthaginensis* Concilii quarti. Rubrica Anglicanæ Presbyteros Ordinandi Formulæ sic habet; "Finita "hac oratione Episcopus cum Presbyteris qui adsunt, singulis qui "ad Presbyteratus Ordinem promoventur manus suas imponent. "Utitur autem hac præscripta verborum formulâ Episcopus. Accipe "Spiritum Sanctum ad Munus & Opus Presbyteri in Ecclesia Dei, "quod jam tibi committitur manuum nostrarum impositione. Quo- "rum peccata remiseris remittuntur & quorum peccata retinueris re- "tinebuntur, & esto fidelis verbi & Sanctorum ejus Sacramentorum "dispensator. In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, Amen. Sit jam penes æquum lectorem judicium, an jure dici possit nullas esse Cleri partes in Ordinatione Presbyterorum, sed eam Episcopos *excluso Clero*, sibi solis vendicare in Ecclesiâ Anglicana? Minus sanè in aliis Reformatorum Ecclesiis, Inferiori Clero hac in parte conceditur. Solis Episcoporum manibus Ordinantur Ministri in Ecclesiis Fratrum Bohemorum juxta Rationem eorum Disciplinæ; Et in multis Ecclesiis Germaniæ Reformatæ, soli Superintendentes Ordinandis in Ministros, manus imponunt.

§ "Quarto, Jurisdictionem in foro interno, seu in foro conscien- "tiæ, *inquit Apologista*, Presbyteris competere dicunt Episcopi "Anglicani, sed commissam tantùm & ab Episcopo delegatam, cu- "jus vicarii sunt, cum ille solus totius Diœceseos Pastor sit. Quare "exercitium hujusce Jurisdictionis in foro conscientiæ Episcopis sub- "ditum esse volunt, ita ut Presbytero Ordinato, non liceat concio- "nari aut Sacramenta administrare nisi facultate ab Episcopo prius concessâ. Ubi & a quibus hoc dicatur, quoniam non indicat; quid verum, quid a vero alienum, duntaxat declarabo. Totius suæ Diœ-

ceseos

ceseos Pastor est ac dicitur eminenter & κατ' ἐξοχὴν quilibet Episcopus, ut cui uni totius Diœceseos sub Christo ἀρχιποιμένι cura commissa est. Quoniam verò fieri nequit ùt ille unus omnium & singularum ovium immediate & per se curam gerat, dantur ei Presbyteri modò plures modo pauciores pro Parochiarum seu Ecclesiarum numero, administri & in singulis Christi ovibus prædicatione verbi, Sacramentorum administratione & fusis ad Deum jugiter precibus communibus, pascendis adjutores, quorum omnium inspector est & superattendens, Ἐπίσκοπος, pro ratione muneris nomine significati, ne sint in opere cessantes sed ut ùnicuique familiæ Dominicæ ab illis demensum in dies præbeatur. Eorum singulis animarum omnium quotquot sunt intra Parochiam cui præficiuntur, cura committitur, immediatè quidem ab Episcopo, mediatè verò à Christo Ποιμένι τῶν προβάτων τῷ μεγάλῳ, cuique adeò, non autem Episcopo tantum, administrationis suæ rationem in magno & tremendo illo die judicii, reddituri sunt. Cùm verò ipsi Episcopo universa Diœcesis concredita sit, ut singulis illius Ecclesiis, seu cœtibus, Rectores idoneos præficiat, rationem Dei redditurus si rem tantam, utpote in quâ versatur animarum salus, hominibus muneri imparibus commiserit, nemo non videt, æquum esse, ut nullus nisi illo probante ac consentiente adeóque impetratâ prius ipsius licentiâ, ad Sacri ministerii functiones intra Diœcesin admittatur. Id itaque juris Episcopalis est in Anglia, & ubique terrarum, ubi Ecclesiis præsunt Episcopi. At nihilominus Presbyteris quà Presbyteris, vi ordinis, ligandi & absolvendi in foro interno verbumque Dei prædicandi, & Sacramenta administrandi jus competere juxta Ecclesiam Anglicanam, ex jam allegata Ordinationis formula patet. Quod confirmatur & ex hac aliâ, quâ eodem tempore utitur Episcopus S. S. Biblia tradens unicuique in Presbyterum Ordinato. *Accipe authoritatem prædicandi verbum Dei & Sancta Sacramenta administrandi in Ecclesiâ in quâ ad hoc legitimè constitutus fueris.* Supra vidimus apud *Fratres Bohemos*, non modo futuris Ecclesiæ Ministris solos Episcopos manus imponere, sed & singulis Ecclesiis Ministros, prout visum fuerit, præficere. (Neque novis Ministris apud eos, licet in pleno Ministerio constitutis, Ecclesiæ alicujus cura committi solet illicò, sed dantur quanto tempore Episcopis placuerit, alicui Pastori administri, donec ad conscientiarum regimen confirmatiores evaserint, ususque Ecclesiæ illorum operam postulaverit.) Quam potestatem Reverendi Episcopi nostri sibi nec arrogant neque unquam usurpant, nisi in pauculis illis Ecclesiis, quæ ad ipsorum Collationem pertinent jure Patronatus, aut per devolutionem, siquando contingat ut Patronus, Ecclesiâ vacante, novi Rectoris præsentationem ultra semestre distulerit. Præsentantur

enim Episcopo Clerici, hoc est viri Sacris ordinibus initiati, instituendi inducendique in vacantia Beneficia, modò à Serenissimo Rege, modò ab alio Patrono, aut etiam ab ipsâ Ecclesiâ si habeat jus Patronatus. Episcopi autem officium est in Præsentatorum mores & Doctrinam inquirere, atque Suprematus, ut vocant juramentum, (quo Papæ authoritas omnis in Regem, in Ecclesiam, in subditos Regni Angliæ, nulla esse declaratur, & Suprema potestas in omnibus causis & in omnes personas Ecclesiasticas & Civiles Majestati Regiæ asseritur) & XXXIX. Articulorum Religionis ut & Liturgiæ subscriptâ manu propriâ approbationem exigere. Quæ si præsentati præstiterint, lege tenetur Episcopus eos in Beneficia admittere; & si renuerit, datur in eum Actio, quæ in jure Anglicano dicitur, *Quare impedit*? debetque coram Magistratu negatæ Institutionis rationem dare.

§ Quinto, "Omnem externi fori Jurisdictionem, *inquit Apologista*, exclusis Presbyteris sibi solis vendicant, ita ut eos consulere "dedignentur. Quod si eorum consilio aliquando utantur illud non "ex necessitate, sed liberâ suâ voluntate fieri dicunt; & Presbyterorum Suffragia nolunt esse decisiva, sed solum consultiva & deliberativa. Sexto, "Excommunicandi potestatem sibi solis arrogant, ut & "solvendi à sententia excommunicationis lata. Soli Clericalem Disciplinam exercent aut per se, aut per *N. B.* Officiales Cancellarios à se deputatos, qui Sacro Presbyteratus Ordini nunquam initiati fuerunt. Huc etiam referenda quæ habet Apologista, *p.* 120. "Scilicet, Eam esse curiarum nostrarum Ecclesiasticarum rationem "ut qui a Guardianis ob scandala præsentantur potius Cancellario & "Registrario satisfaciant per feudorum solutionem, quam Ecclesiæ "per publicam peccatorum confessionem. Duos istos Articulos institutæ adversus Reverendos Ecclesiæ Anglicanæ Episcopos accusationis & verba iis subjecta conjunxi, quod eodem pertineant. Quinto Articulo Presbyteris in exercendâ jurisdictione externâ nihil authoritatis omnino tribui, eosque ab Episcopis contemni in genere innuunt; Sexto & verbis sequentibus ad particularia, nempe ad Excommunicationem & Absolutionem ab Excommunicatione descendunt; imprimis verò notari volunt administrari ab Episcopis Disciplinam Clericalem per Deputatos (quæ dicitur etiam fuisse Illustrissimi Baconi querela) eosque Sacris ordinibus non initiatos, Cancellarios scilicet laicos. Quæ partim vera sunt, partim falsa, partim odiosè dicta. Quin apud nos in exercendæ Ecclesiasticæ Jurisdictionis ratione defectus esse, adeoque abusus committi possint, non est cur inficiar? Ubi enim terrarum in eâ re obtinet absoluta perfectio? Mentiar, quod meum non est, si apud nos hac in parte nihil peccari dixero,

dixero, & refellent me quotidianæ non Adversariorum, sed hominum nostrorum querelæ, quibus Disciplinam iacere neglectam deplorant. Verbis utor *Calvini* paulum immutatis, ad similem criminationem respondentis. Ego vero, sicut nos isto bono destitui non inficior ita per quos stetit hactenus, & nunc stet, quominus eo fruamur, respiciendum esse dico, ut his culpa imputetur. Negent adversarii nostri si possunt, omnia se machinari quo non modo laborem in formandis Ordinandisque Ecclesiis nostrum impediant, sed quo dissipent etiam atque evertant, quicquid per nos inchoatum fuerit Sedulo nos quidem in Ecclesiæ ædificatione elaboramus. Dum in opere sumus occupati illi ad turbanda principia infestò se subindè ingerunt, nec ullam nobis relaxationem permittunt, ut componere domesticum Ecclesiæ statum liceat. Quænam est ista ingenuitas nobis continuam exhibere molestiam, deinde criminis loco ducere quod per eam omnes Ecclesiasticæ Disciplinæ partes constituere non vacet. Quæ hîc à me dicuntur vel hinc vera esse comprobantur, quòd cùm Synodus Anno 1640. sub auspiciis Pientissimi æternâque memoriâ dignissimi Regis CAROLI I. Londini celebrata, cui præsidebat Reverendissimus *Laudus*, malis illis, aliquâ saltem ex parte, prout ferebat Temporum istorum conditio, constitutionibus suis mederi conata esset, statim Regem ipsum nefario bello adorti sunt, *Laudum* trucidarunt, Episcopos omnes sedibus pepulerunt, & cætera perpetrarunt, quæ jam nimis nota sunt, quæque molestum est repetere. Synodum autem ipsam legitimam esse, & illis Canonibus parendum negarunt, & ne vim & authoritatem habeant adhuc lege latâ cautum est. Sed ut ad singula respondeamus: Usus clavium in foro externo, adeóque excommunicandi absolvendique potestas penes solos Episcopos in Ecclesiâ Anglicanâ rectè dici potest. Nam quamvis Decani multi & Archidiaconi omnes, ex Presbyterorum Ordine, Clavium Ministerio fungantur & censuras Ecclesiasticas exerceant, quisque in suo districtu, ea facultas illis ab Episcopo concessa esse censetur; & ab eorum sententiâ ad Consistorium Episcopale datur provocatio. Nec sanè hac in parte quidquam disceditur in hac Ecclesiâ nostrâ ab Ecclesiæ Primitivæ praxi. *Timotheo*, *Titoque*, ut pote Episcopis, commissam fuisse jurisdictionem Ecclesiasticam ex his apparet. *Rogavi te ut maneres Ephesi, ut denunciares quibusdam ne aliter docerent. Eos oportet redargui*, seu potius, *iis oportet os obturare, silentium imponere*, ἐπιστομίζειν, *qui docent quæ non oportet turpis lucri gratiâ. Hæreticum post unam & secundam correptionem devita*, seu potius, *rejice, Argue cum omni imperio. Adversus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus. Peccantes, coram omnibus argue, ut & reliqui timeant. Obtestor coram Deo & Christo Jesu*, &

Calvin. de necessitate Reformandæ Ecclesiæ pag. 65.

1 Tim. 1. 3.
Tit. 1. 11.
Tit. 3. 10.
Tit. 2. 5.
1 Tim. 5. 19, 20, 21.

& Electis Angelis, ut hæc custodias sine præjudicio, nihil faciens in alteram partem declinando. Quæ postrema verba Timotheum scandalorum in Ecclesia Ephesina judicem solum sedisse manifestum faciunt, cum de accusationibus adversus ipsos Presbyteros (quos quidam illi adsessores cum æquali judicandi potestate fuisse volunt) institutis, nemine illi dato Assessore, etiam cognoverit. Eandem potestatem unumquemque Episcopum in suâ Diœcesi solum exercuisse, post Apostolos virosque Apostolicos denatos, ex veterum Conciliorum decretis & Patrum Scriptis vel cœcis perspicuum est. Id præsupponit Concilium Sardicense à quo statuitur, "Siquis Diaconus, Presbyter, aut Clericus, ab Episcopo suo fuerit communione privatus, & ad alterum perrexerit Episcopum, non oportere eum communionem ei indulgere. Similiter Antiochenum à quo decretum est, ut siquis "Laicus, Presbyter aut Diaconus à proprio Episcopo excommunicatus sit, non prius ab aliis suscipiatur, quam aut à suo Episcopo receptus fuerit aut à Concilio restitutus. Respiciunt Patres ad Canonem Concilii *Niceni*, quo statuitur, ut annis singulis binæ cogantur Episcoporum Synodi, ad inquirendum, numqui Laici aut Clerici imbecillitate, pertinaciâ, aut aliquâ aliâ molestiâ Episcopi excommunicati fuerint. Et ut qui manifestè offenderint Episcopum ab omnibus meritò excommunicati putentur, donec aut Synodo aut Episcopo placuerit de iis sententiam mitiorem ferre. Ex Canone sexto, qui sic habet; "Nullus Episcopus recipiat ab alio quocunque Episcopo excommunicatum sive Presbyterum, sive alium ex numero Clericorum, sive Laicum, nec eum ab excommunicatione liberet, ne excommunicatio illius Episcopi contemnatur. Quod si Episcopus qui eum excommunicaverit, fuerit iniquus & tyrannus, oportet confugere ad Archiepiscopum, aut ad Patriarcham. Ex hoc, inquam, Canone patet, excommunicationis & absolutionis claves à solis Episcopis gestatas & usurpatas ante Concilium Nicenum. B. *Cyprianus* qui ferè seculum integrum ante coactum Concilium Nicenum Martyrii coronâ donatus est, ad Episcopum scribens qui à Diacono suo contumeliosè habitus fuerat; *fungaris*, inquit, *circa eum potestate honoris tui, ut eum vel deponas, vel abstineas.* Infinitis aliis Patrum & Conciliorum Testimoniis non minus Luculentis probari posset, solâ Episcoporum Authoritate Excommunicationis Disciplinam primis Ecclesiæ Christianæ temporibus fuisse administratam. Unde liquet, quæ ab Apostolo ad *Timotheum* & *Titum* circa Jurisdictionem Ecclesiasticam scripta sunt, ea cæteros Episcopos sequentium temporum & universam Ecclesiam pro Canone vim perpetuæ legis habente accepisse. Quod hinc etiam non mediocriter confirmatur, quod nulla mentio occurrat vel semel accusatorum à quocunque

Concil Sard. c. 13.

Concil. Antioch. Can. 6.

Concil. Nicen. c. 5. Vulg. concil. Cartag. 6. insert.

Cyprian. Epist. 8. 3. Ep. 9.

Episcoporum usurpatæ eapropter in Ecclesia tyrannidis, licet non pauci ab eorum sententiis velut iniquis, ad Metropolitanos & Concilia provocaverint. Quoniam enim nonnunquam impotenter nimis gratiâ aut odio eâ potestate abutebantur, decretæ sunt illæ provocationes in mali remedium. Neque etiam desunt in Ecclesia Anglicana adversus ejusmodi mala, siquando contigerint, idonea remedia.

§ Jam supra à me observatum est excommunicatis à Decanis aut Archidiaconis dari provocationem ad Episcopum, ab hoc autem provocant si lubet, ad Archiepiscopum; à quo etiam fas est Cæsarem appellare, à quo delegantur Judices quibus Diplomate Regio, causæ cognitio committitur. Diciturque ea *Delegatorum Curia*. Hi partim ex Episcoporum, partim ex Senatorum Regiorum, partim ex primariorum Regni Judicum, partim ex juris utriusque peritorum numero, prout Regiæ Majestati visum fuerit, Sumuntur; iisque fas est sententiam aut rescindere aut confirmare, prout ipsis visa fuerit contra aut secundum Leges lata. Episcopus enim non pro arbitrio sed juxta Leges Patrias & constitutiones Ecclesiasticas sententiam in reos ferre tenetur. Ut vox illa, *A Christi Apostolorumq; instituto, ab Ordine Ecclesiæ, ab ipsa denique æquitate alienum est, penes unum hominem hoc jus deponi, ut quos velit arbitrio excommunicet*, quam ait Apologista, *ab auribus Durellianis ferri non posse*, ad Ecclesiæ Anglicanæ Episcopos, (ut quorum arbitrio mero, prout alio loco observavimus & ipsius Apologistæ verbis confirmavimus, nihil fermè ullius momenti permittitur) Durellumve, qui jus istiusmodi nullum agnoscit aut tuetur, prorsus nihil attineat. Notandum præterea nullas leges apud nos à Regiâ Majestate sanciri nisi quas Plebs per Delegatos suos in inferiore Consessu Parlamenti, & universi Regni Pares per seipsos in superiore rogaverint: Constitutiones verò Ecclesiasticas communi Episcoporum & inferioris Cleri, hoc est, Decanorum, Archidiaconorum, & Parochorum per Procuratores in Synodo sedentium consensu fieri: ut nemo ab Episcopo judicetur nisi ex earum legum & constitutionum præscripto, quibus ipse sciens volens, aut per se aut per Procuratores, consenserit. Quod quam sit ab omni vel specie tyrannidis alienum quisque videt. Quamvis autem Presbyteris non liceat nisi ex mandato & consensu Episcopi Excommunicare, non tamen ab omni Clavium in foro externo administratione penitus excluduntur, quod aiunt Adversarii. Iis enim fas est confitentes reos, scandali manifestos, & qui nolunt cum fratribus reconciliari, à cœnâ Domini unâ vice repellere. Debent autem Parochi qui eâ potestate utuntur, ne etiam abutantur, rem à se hac in parte gestam, Episcopo ante elapsas duas hebdomadas, significare qui reos

Apol. p. 117.

Vide Rubricam officio pro administrat. cœn. Domin. præfixam.

ad

ad se vocet in Consistorium censuris Ecclesiasticis, ni resipuerint, ulterius plectendos atque coercendos. Præterea, licet Juris utriusque periti Sacris Ordinibus quandoque haud initiati, in Episcoporum Consistoriis Judices sedeant eorum vice fungentes, iis assidet Presbyter, à quo solo excommunicationis sententiæ pronunciantur. Qui Episcoporum vice in Consistoriis funguntur, eorum *Cancellarii* dicuntur. Horum operâ Episcopis uti lege concessum in audiendis Ecclesiastici fori causis, maximè ex quo causæ Testamentariæ Legatariæ Matrimoniales & Decimales, eorum Jurisdictioni attributæ sunt; partim quia juris utriusque peritia earum causarum Judicibus necessaria est (quæ tamen in Episcopo quà Episcopo non requiritur, unde multi eâ scientiâ expertes ad Episcopatum ob alias virtutes merito promoventur) partim ne à studiis aliisque functionibus, quibus Ecclesiæ magis prodesse possunt, nimis avocarentur. Vult autem Apologista Notari Bene, prout figura *NB.* innuit, Cancellarios illos ne Sacris quidem Ordinibus esse initiatos. Quod tamen neque necessarium est, neque semper observatur, sed relinquitur arbitrio Episcoporum qui modò Theologis, si qui sint juris quoque periti; modò in utroque jure Doctoribus munus illud demandare solent, prout visum fuerit. Sed si verum foret, quid inde sequatur Animadversione dignum, non video. An quia Laicis Excommunicandi potestas conceditur? Sed neque id quidem verum est. Causas tantum audiunt Cancellarii, & secundum allegata & probata Excommunicandos juxta legum præscriptum decernunt; Excommunicationis sententiam pronunciat Presbyter assidens; Excommunicat autem solus Episcopus, cujus nomine & authoritate ea omnia in Consistorio geruntur; Et, si res tulerit, sic Excommunicatos ab Excommunicationis vinculo absolvit. Quotiescunque verò adversus aliquem Ministrum instituitur accusatio in Curiis Ecclesiasticis, si delictum ejusmodi sit ut in delinquentem Depositione à Sacris Ordinibus aut deprivatione (quam vocant) à Beneficio animadvertendum jure videatur; Deprivationis aut Depositionis sententia non nisi ab ipso Episcopo pronunciari debet, idque adhibitis præter Cancellarium Ecclesiæ Cathedralis Decano & aliquot Præbendariis, vel Archidiacono aliisque duobus, ut minimum, ejusdem Diœceseos gravibus verbi Ministris. Sed etiamsi Excommunicarent Cancellarii Laici, viri scilicet graves, prudentes & docti; quâ fronte id reprehendere audent Presbyteriani, in quorum Consistoriis, verbi Ministris assidebant cum æquali judicandi potestate, Seniores Laici non tantùm illiterati plerique, sed opifices, Rustici aliique ejusdem commatis homines, quorum non modò Suffragiis decernebantur Excommunicandi, sed authoritate Excommunicabantur, Rei; adeò ut Ministri cùm à Senioribus longè numero Superarentur,

Constitut. Eccl. Synodi Londin. An. 1603.

non

non tam Excommunicabant ipsi (maximè si ab Adsessoribus dissentiebant) quam ab illis Excommunicatos pronunciabant. *Quis tulerit Gracchos de seditione querentes?* Quantum hac in parte Senioribus Laicis tribuatur in paucis illis Reformatorum Ecclesiis, in quibus obtinet eorum institutum cum omnimodâ Pastorum ἰσοδυναμία, notius est quam ut dici opus sit. Attamen operæ pretium fuerit scire hanc esse, (aut saltem *Calvini* tempore fuisse) Consistorii Genevensis rationem, scilicet, *non solos verbi Ministros sedere Judices in consistorio, sed numerum duplo majorem, partim ex minori senatu ex delectis Senioribus esse, ut vocant, partim ex majori deligi; & unum ferè ex ipsis Synodicis (ii sunt Supremi Magistratus) præsidere. Jus autem Excommunicandi penes Consistorium est. Excommunicationem tum Majorem tum Minorem,* inquit Gerhardus, *per consistoriales suos Reformatæ Religionis Principes exercent, nec debet privati Ministri Ecclesiæ arbitrio absque authoritate & mandato Consistorii exerceri; quod ipsum etiam disertis & gravibus verbis in Constit. Ecclesiast. Electorali C. de Excommunicatione prohibetur.* Qualia sint autem & quibus personis constent Consistoria in ditionibus Reformatorum Sacri Imperii Principum, ex *Carpzovio* discimus. *Totius Germaniæ consuetudine generali receptum est*, inquit, *ut Principes & Status Augustanæ Confessionis suæ propria habeant Consistoria in quibus à tot Theologis, quot Jurisconsultis conjunctim assidentibus ea quæ sunt Jurisdictionis Ecclesiasticæ & legis Diœcesanæ, per Consistoriales expediunt.* Jam alio loco à nobis observatum est, apud *Helvetio-Tigurinos*, nullam esse Excommunicationis Disciplinam quæ ab Ecclesiæ Ministris exerceatur; sed quicunque apud eos Civitate & libertate dignus à Magistratu non habetur, eum indignum Ecclesiæ communione censeri. Adeò verum est quod habet *Calvinus* de Excommunicatione, scilicet, *de eâ hodie non omnes idem sentire*; cui addi potest, nec apud omnes Ecclesias eandem esse illius administrandæ rationem. Ut paucæ admodum sint Reformatorum Ecclesiæ in quibus æque atque in Anglicanâ Adversarii nostri, circa clavium ministerium quædam non sint reprehensuri.

Calvin. Epist. l.p.178, & 179

Gerhard. loc. com. De Ministror: Eccles. sect.5. de Jure Episcopali.

Carpzov. Jurisp. Ecclesiastica in Præfatione ad Lectorem.

Calvin. Ep. 1. ad Tigurinos Minist. p.165.

§ Dictum est capite XXX. de Jure Episcopatus. Dictum capite VI. de Schismaticorum à meris Presbyteris, spreto Episcopo, apud nos Ordinatorum Re-ordinatione. Dictum denique tum in Responsione ad Apologistæ Præfationem, tum capite VII. fusius quid differant Ecclesiarum extra Angliam Reformatarum Pastores à Sacri Ministerii in Anglia Usurpatoribus. Unde ad ea quæ *Articulo septimo* Ecclesiæ Anglicanæ Episcopis objectat Apologista, hic respondere supersedeo, lectorem rogans ea loca adire ne gravetur, & hæc tantum ad ea quæ ibi dicta sunt, adiiciens. 1. Illustrissimum *Andream*

Wintoniensem Episcopum & Episcopatus propugnatorem acerrimum, Petrum *Molinæum* celebrem illum Parisiensium Reformatorum Pastorem, fratrem compellare (teste ipso *Ludovico* filio in *Irenæi Philadelphi* Epistola, quæ calumniis adversus Ecclesiam Anglicanam tota scatet) in iisdem Epistolis in quibus Jus Divinum Episcopatus potentissimè tuetur. 2. In iisdem quid de illis Reformatorum Ecclesiis, quæ Episcopis destituuntur, sentiat Anglicana, his verbis testari: *Nec tamen si nostra (Ecclesiastici regiminis forma) Divini juris sit, inde sequitur,* inquit, *vel quod sine ea salus non sit, vel quod stare non possit Ecclesia. Cæcus sit qui non videat sine eâ stare Ecclesias, ferreus sit qui salutem eis neget. Nos non sumus illi ferrei.* 3. Eundem Petrum Molinæum & alios Reformatarum Ecclesiarum Galliæ Ministros *Primerosium, Belverium*, nuper vitâ functum, beneficiis Ecclesiasticis in Anglia absque novâ Ordinatione gavisos neminem ignorare.

Andr. Winton. Opuscul. in Resp. ad 2. Molinæi Epistolam.

§ At *Hopperus, Latimerusque, qui erant inter Episcopos,* inquiunt, *eos damnant Episcopos, qui sese negotiis secularibus ingerunt, & Jurisdictionem temporalem exercent. At hodierni Episcopi Barones sunt, & præcedentiam habent præ aliis Regni Baronibus, non solum in privatis congressibus, sed etiam in Supremo Regni Concilio, Parlamento.* Cùm eorum verba hic non exhibeat, nec ad manum sint libri in quibus ea scripsisse dicuntur Reverendi Præsules, gloriosique Martyres Christi; hæc tria tantum reponam. 1. Ea non esse hodiernorum duntaxat Episcoporum privilegia, quod innuere videtur Apologista, sed iis semper gavisos à prima Reformatione Reverendos Ecclesiæ Anglicanæ Episcopos. Nostri enim Reformati Principes haud æquum putarunt, ut Privilegiis spoliarentur Christi Antistites, eo quod abjectis erroribus, puriorem Christianismum amplexi sint, & veritatem Evangelicam fuso sanguine obsignarint. 2. *Hopperum Latimerumque*, æquè ac cæteros eorum Co-episcopos sub *Edvardo* VI. Barones fuisse, & eundem cum illis honoris locum, tam in privatis congressibus, quam in Regni Comitiis tenuisse. 3. Ex his verisimile esse, eos de Ecclesiæ Romanæ Pontificibus (quorum excessus hac in parte nimis noti sunt) loqui; ideo Apologistam hic, ut sæpe, malæ fidei Sophistam agere. Sed ad rem ipsam. In Responsione ad Apologistæ Præfationem, in qua Archiepiscoporum nostrorum præcedentiam carpit & suggillat, ostendimus non minus honoris tam in privatis quam in publicis congressibus Venerando Ecclesiæ *Tigurinæ* Antistiti à pio Magistratu tribui, quam ipsis Primatibus apud nos deferri solet. Reverendi Ecclesiarum *Suecicarum* Episcopi similem cum nostris honoris locum in Regni Comitiis obtinent, cum Equitibus Superiores sedeant, duoque tantùm sint in eo Regno Nobilium ordines,

ordines, Comites scilicet & Barones, qui loca Superiora occupent. Ducum enim titulo in *Suecia* nulli gaudent, nisi quandoque sanguine Regio prognati. Quod si in aliis Regnis, Principatibus & Rebuspublicis Religionem puriorem amplexis quid analogum hac in parte pro ratione locorum, Episcopis, Superintendentibus, aliisque primariis Ecclesiarum Rectoribus non tribuatur, quod verisimile non est, id ausim affirmare, à nemine veræ pietatis sensu imbuto laudi ductum iri. Summis afficiuntur honoribus Principum Legati; honorantur servi propter Dominum. Evangelii Ministri κατ' ἐξοχὴν Christi servi dicuntur & Legati. Illis igitur quicquid honoris à fidelibus defertur, ipsi Christo deferri putandum est, & revera tribui ab ipso Christo censetur. Nam vel frigidam Prophetæ ut Prophetæ porrectam, sibi quoq; porrectam censet. *Sed non ineptos se putant*, inquit Apologista, *quibus officium Eirenarchæ, Custodis Magni Signi, Eleemosynarii, Consiliarii secretioris Concilii demandetur.* Quos putet magis idoneos ad Regis Eleemosynarii munus exequendum, nisi forte seipsum & alios Schismaticos Ministros, divinare non facile est. Ad cætera publica munia, quæ hic enumerantur, non se aptos putant Reverendi Episcopi quâ sunt modestiâ; sed siquis ex eorum numero, aut etiam ex inferiori Clero, ad ea exequenda Regiæ Majestati ita idonei videantur, ut nisi ea in se suscipiant, indè aliquid detrimenti captura sit Respublica, non putant bonorum civium esse Principi & Patriæ operam suam denegare. Cùm itaque à Sapientissimo Rege Jacobo Doctor *Williams* non Episcopus, sed Ecclesiæ Westmonasteriensis tantùm Decanus, ad Magni Sigilli Custodiam, ob virtutes egregias, vocaretur; obsequium præstitit. Licet enim Deo & Ecclesiæ sese consecraverint, quotquot Ministerium Evangelicum in se susceperunt, attamen sicut familiarum suarum ita nec Reipublicæ partes esse desierunt. Ac quemadmodum illis, sic etiam isti tenentur, quacunque possunt ratione commodare; modò ab officio Pastorali, cui primas debent, ne nimis avocentur, & sint ingenii dotibus, diligentiâ & laboribus assiduis ita comparati, ut præterea munere aliquo civili cum laude defungi valeant, si ipsis à Principe ultrò demandetur. Eos enim ambire & aucupari ejusmodi à proprio munere avocamenta fas esse non putamus. Quoad locum cum jure ferendi Suffragii in publicis Regni Comitiis in quibus leges aut rogantur aut abrogantur, & de aliis arduis Regni negotiis deliberatur, interest Reipublicæ, cui consiliis suis Episcopi multum prodesse possunt, ne illis denegetur. Universo Anglicanæ Ecclesiæ Clero præsunt viginti quatuor Episcopi & his Archiepiscopi duo, ex pientissimis, eruditissimis atque prudentissimis totius Cleri delecti. Insaniret Respublica quæ è tanto virorum proborum & eruditorum numero quantus est Ecclesiæ Anglicanæ Ministrorum,

nistrorum, viginti sex ob pietatem, doctrinam, gravitatem præ cæteris delectorum consilia respueret. Deinde cum Regia Majestas, ex consilio & consensu comitiorum de rebus externis ad Ecclesiæ regimen & circumstantias cultus Dei pertinentibus leges sanciat, nihil rationi & æquitati magis consentaneum, aut Ecclesiæ bono magis conducibile, quam ut iis Religionis Antistites intersint. Postremò, cum in publicis Regni Comitiis tributa subditis in Regis Regnique usus imponantur, nec sint ipsi Episcopi quemadmodum nec Clerus, à tributorum onere immunes, jus autem Suffragii cæteri omnes aliorum ordinum subditi, vel per se vel per Delegatos, in Comitiis ferendi habeant, quis non videt iniquissimum fore, illos è Comitiis excludi? Ad sanctius Regis Concilium quod attinet, paucis admodum, duobus ut plurimum, vix tribus aut quatuor ex toto Episcoporum Collegio, in illud patet aditus. Quàm verò æquum sit & è re Regis Regnique atque etiam Ecclesiæ ut quibusdam saltem pateat, nemo non videt, tum ob pietatem, integritatem, prudentiam aliasque virtutes Regiis Consiliariis dignas, quas selectioribus illis Antistitibus inesse credi par est; tum ut siquid proponatur quo illaqueari possit Principis conscientia, aut corrumpi ulla in parte Religio, præstò sint ad intercedendum gravibus consiliis suis. Qui autem Regiæ Majestati idonei videntur, qui in Consiliariorum numerum cooptentur, quâ ratione possunt seu munus seu onus oblatum respuere & Principi operam suam eâ in re negare? nisi si aliis verbi Ministris nefas sit cognatis, amicis & vicinis consilium petentibus dare. Sedebat nuper tum in Concilio Regio, tum in Regni Comitiis Reverendissimus *Suaningius* Archiepiscopus Hafniensis Ecclesiarum Danicarum Metropolitanus. *Eirenarchæ* apud nos dicuntur, quod indicat vocis etymon, qui paci tranquillitatiq; publicæ conservandæ invigilant. Eliguntur ex omni subditorum genere ex Magnatibus, Generosis, Plebeiis, Opificibus etiam, & magno numero ad quadraginta aut quinquaginta & amplius nonnunquam, per singulos Comitatus, prout Principi visum fuerit. "Penes illos potestas est, *inquit Thomas Smith*, quoties illis supplicatum fuerit, pacis "Reipublicæ perturbatores in carcerem conjiciendi, Constabulario "aut Vicecomiti mandandi ut eos deducant, Ergastulario ut custodiat & in conventibus Juridicis sistat,--- Sæpe etiam ex jussu Regis "Eirenarchæ conveniunt: ut si bellum ingruat, videant ipsi nequid "Respublica capiat detrimenti; interdum ut militum copias conscribant; interdum ut stipendiis artificum & operarum immodicis detrahant; interdum ut cultum nimium luxumque in vestibus cohibeant, prohibitos ludos reprimant, sceleratorum in tabernis cerevisariis conventus circumscribant, errones castigent, & ut uno verbo "absolvam, quicquid è Republica fuerit, ut procurent. Eirenarchæ munus

Smith de Repub. Anglor. l. 2. c. 22.

munus Episcopis aliisque nonnullis Ecclesiæ Ministris aliquando demandatur, ut cæteris urbium aut Comitatuum Eirenarchis, prout ad Rempublicam & Ecclesiam conducere videbitur, sese immisceant. An nimis altum saperent si non ineptos se putarent ad munus *cujus ratio est*, ut rectè observavit jam laudatus *Smithus ne subditi peccent potius quam, ubi peccaverint, ut puniantur*, æquus lector pronunciet. (*Ibidem.*) Jam observavimus in Inclyto Sueciæ Regno Episcopis jus esse sedendi & Suffragia ferendi in Comitiis. Idem jus quoque conceditur Præpositis, qui idem sunt qui apud nos Archidiaconi, aliisque inferioribus Evangelii Ministris. Apud *Helvetio-Tigurinos* in Concilium à Magistratu vocantur Antistes & Canonici, quoties de majoris momenti negotiis ad Rempublicam universam spectantibus deliberandum est. Fratres *Scoti*, inquit Ludovicus Molinæus *in Dudinensi conventu anno* 1598. *definiverunt verbi Ministros jus habere dicendæ sententiæ in publicis Regni consessibus, hoc est, Parlamentis.* (*Lud. Molin. in Paren. pag.* 604.) Interfuerunt ipsi Ecclesiarum Reformatarum Ministri Politicis suis conventibus, per multos annos, cum haberi liceret. Quin multi ex Presbyterianis Ministris non ineptos se putarunt quibus Eirenarchæ munus demandaretur, quotquot scilicet Academiarum nostrarum Vice-Cancellarii fuerunt: Est enim vi muneris, Eirenarcha quisquis Vice-Cancellarii officio fungitur. Neque putandum est Reverendum *Baxterum* si postquam in gratiam *Richardi Cromwelli* librum de Sacra Republica (de quo in Responsione ad Apologistæ Præfationem) in Vulgus emisit, quo, tum suum affectum erga illius Cellitudinem, quam vocabat, tum in Politicis peritiam prolixè testatus est, non est inquam putandum Rev. *Baxterum*, si ab eo adscitus fuisset in Concilium, futurum fuisse adeò rigidum, ut tanto tamque sibi dilecto Principi operam suam denegare sustinuisset. (*Vide etiam cap.* 1. *p.*) Scio quibus Argumentis nonnulli nitantur ut probent Episcopis aliisque Ecclesiæ Ministris non licere sese negotiis secularibus immiscere: sed pari jure probaverint, illis nec fas esse ut vacent rei familiari aut consanguineorum & amicorum negotiis, siquando eos juvandi datur occasio. Alii etiam omnem Jurisdictionem temporalem illis abjudicant; quasi Ministerium Evangelii cum eâ nequeat consistere. Sed alia est magni nominis magnæque authoritatis in Ecclesiis Reformatis Galliæ Theologi sententia. "In iis locis, *inquit*, in quibus Reformatio facta "est, ut quod voluntate Principum atque Imperatorum ex Politico "splendore ad Episcoporum munus accesserat, retineretur, si vel "Ecclesiæ vel Reipublicæ commune bonum manifestè postulabit, ut "non ab illis abjudicetur, non existimamus illa duo sic repugnare "inter se, ut alterum ab altero perimatur. Non modò tulerunt Ma- "jores nostri, sed & vehementissimè laudarunt, nonnullorum Principum (*Amyrald. Paraphras. in Psalmos, in Ep. Dedicat.*)

" animi inductionem qui iis in locis in quibus imperio pollebant, Evan-" gelium prædicare, & cæteris Sacri Ministerii partibus defungi non de-" trectarunt. Deinde *post pauca*; Politica dignitas, *inquit*, ad Sacrum " Ministerium adscita, vim illius atque naturam extinguere non pu-" tanda est. At fallitur, ni ipse fallor, celeberrimus Amyraldus, si Georgium Anhaltinum innuit, prout innuere videtur, cum nullus alius Princeps Patrum nostrorum ætate, quod sciam, in Ecclesiis Reformatis functus fuerit Evangelii Ministerio. Non autem in ditione Anhaltina (in qua nec ipse pollebat Imperio, sed consanguineorum aliquis) sed apud *Mersburgenses*, quorum erat Episcopus, Sacris operam dabat. At fallaturne Amyraldus, annon nobis perinde est cum loquatur ex suppositione quod res sic sese habuerit. Gaudebat quidem etiam Principatu apud *Mersburgenses*; sed quà *Episcopus*, non qua Serenissimâ Anhaltinorum Principum prosapiâ oriundus, qui mero imperio gaudent in ditione suâ. Sed fac Reverendissimum *Georgium* factum fuisse Anhaltini Principatus hæredem; an hæreditatem cernere non debuit propter conjunctam Dominationem Secularem? non debuit sanè si Episcopi negotiis secularibus nunquam sese immiscere, aut Jurisdictionem temporalem exercere quacunque oblatâ occasione debeant. Sed vix puto id affirmatum iri ab ullo cordato Theologo. Nec debuit Ministerium deserere. Semel enim susceptum, deserendum non esse communis est Reformatorum sententia. Fas est igitur Episcopos dignitate seculari frui & temporalem Jurisdictionem exercere.

§ Quæ profert Apologista ut ex Illustrissimo *Bacono* desumpta, sed quæ Baconi non esse, vehemens suspicio est, non egent prolixâ responsione. Falsum enim supra ostendimus quod ait, Episcopos nostros solos ordinare, licet penes eos solos sit jus ordinandi. Multorum enim Presbyterorum utuntur consilio & opera in ordinandorum examine & in ipso ordinationis ritu peragendo. Et quanquam soli propriè Judicant, quemadmodum ferè omnes Ordinarii causarum Judices in Anglia; Cancellariorum tamen, Commissariorum & aliorum Jurisperitorum & Theologorum in rebus arduis sententias solent exquirere. Et tandem eorum sententiæ in Curia Delegatorum, ubi plures sedent Judices, examini subjiciuntur & rescinduntur si res tulerit. *Secundo*, displicet Baconi personam sustinenti, quod Episcopi quam habent Judicandi potestatem aliis, Cancellariis puta, committant. In eo quid jure reprehendi possit non video. Nam præterquam quod id ab aliis quoque Judicibus fieri solet (licet id neget *Baconus*, aut qui sub Baconi nomine scripsit) Primò illam judicandi potestatem non cuilibet, pro lubitu, sed viris probis, gravibus, consultis legumque peritis & ad eam functionem idoneis committunt. Deinde

Solet Prætor jurisdictionem mandare, & aut omnem mandat aut speciem unam, & is cui mandata jurisdictio est, fungitur vice ejus qui mandavit, non suâ. Digest. l. 1. T. 1. Ulp. l. 3. de omnibus Tribunalibus.

inde eam committunt *cumulativè* (ut loquuntur) non privativè, hoc eſt, quemadmodum fontes aquas ita communicant fluminibus ut interim ſibi retineant. Denique cenſuras à Cancellariis aliiſque Commiſſariis ſuis decretas poſſunt reſcindere & ligatos abſolvere.

§ Prohibet Clariſſimi cyaneæ Periſcelidis commilitonis reverentia (cum ſim ipſe Nobiliſſimo Ordini à Sacris) quominus D. *Franciſci Knollii* literas dignis modis excipiam. Dignus prætereà venia eſt eques Nobiliſſimus, ut qui fuerit Puritaniſmo infectus & eas potius ex aliorum quam ſuâ ſententiâ ſcripſerit, nempe à Magiſtris dictatas. Sed ferenda non eſt Apologiſtæ cæterorumque hodiernorum Puritanorum invincibilis pertinacia. Nam cum anno 13 Regni *Caroli* I. æternæ memoriæ Principis, Presbyteriani in famoſis libellis ſuis eadem evulgaſſent quæ in *Knollii* literis habentur, de Epiſcoporum uſurpatione, in fraudem Regiæ Majeſtatis, & contra Prærogativam Coronæ (quam ſcilicet unicè curabant viri boni) Optimus Pientiſſimuſq; Rex juſſit exquiri omnium totius Regni Judicum eâ de re ſententias. Ii autem omnes unanimi conſenſu reſponderunt, nihil hac in parte à Reverendis Epiſcopis peccari, nihil contra leges fieri, poſſeque, pro more, curias ſuas tenere, non Regis ſed ſuo proprio nomine, Statuto anni 1. Regis *Edvardi* VI. (cum diu abrogatum fuerit) ne quicquam obſtante. Horum autem Reſponſum primo à Regia Majeſtate promulgatum eſt, ne à quoquam ignorari poſſet. Deinde etiam ad perpetuam rei memoriam ſingulorum manu propriâ ſubſcriptum & *irrotulatum* (ſic loqui fas ſit Interpreti) *in Curiis Scaccarii, Banci Regii, Communium Placitorum, atque Regiſtratum in Curiis Supremæ Commiſſionis & Cameræ ſtellatæ.* Præterea Doctiſſimus *Sanderſonus* Lincoln. Epiſcopus omnes omnium objectiones in hac controverſiâ ejuſdem Maximi Principis juſſu, adeo ſolidè atq; dilucide refutavit libro non ante novennium edito, ut ne verbum quidem reponere huc uſq; auſus ſit quiſquam Adverſariorum. Nec tamen deſinunt κοκκύζειν eâdem cantilenâ & repetitis indeſinenter iiſdem nugis aures noſtras obtundentes, quæ eſt eorum importuna dicacitas.

§ Hac ad objectionem ex *Knollianis* literis petitam Reſponſione, capiti huic finem imponere decreveram: ſed ſuperſunt adhuc aliæ duæ adverſus Epiſcopos adverſariorum querelæ vel imprimis memorabiles, ut quibus domi foriſque uſi ſint, ut ſimplicioribus & incautis hominibus perſuaderent Præſules Anglicanos, modernos præſertim, eos nempe qui JACOBO & CAROLO regnantibus, Eccleſiam in Anglia gubernarunt, in fidelium conſcientias atque libertates tyrannicè graſſatos. Prior objectio petitur ex ea, quæ dicebatur SUPREMÆ COMMISSIONIS CURIA: Poſterior

ex *Juramento*, quod vocant EX OFFICIO. Utriusque meminit Gallicæ Puritanorum Anglicanorum Apologiæ scriptor. Illi Curia Carnificina & veluti altera inquisitio Hispanica, Juramentum Carnifex conscientiarum est. Juramentum quoque Machinis Episcoporum tyrannidis annumerat *Georgius Hornius* conductitius ille atque imperitus Presbyterianorum Historiographus, seu potius Mythologus, ejusque inventores facit, pro crassâ suâ rerum nostrarum ignorantiâ, Episcopos Canonum anno 1604. conditores. Postquam enim eos affirmavit *initio Jacobi majorem tyrannidem exercuisse quam ante vel ipsi vel prædecessores exercuerant, nempe quia statim ultrà* CCCC. *Ministri silere jussi, suspensi & ejecti sunt* (cum tamen vix ultra L. Ecclesias suas deserere maluerint quam decretis Synodicis Regiâ authoritate sancitis morem gerere) *Et conscientiis omnium* (grave jugum scilicet & aliis Reformatorum Ecclesiis inauditum, quasi non eâdem ratione unitatem doctrinæ & cultus uniformitatem omnes ne unâ quidem exceptâ conservarent) *imposita subscriptio Liturgiæ, Articulorum confessionis Fidei, Ordinationis, Homiliarum: ita nimirum ut quilibet subscribere cogeretur, nihil in illis libris Verbo Dei contrarium, sed omnia ei esse congrua. Tum condiderunt*, inquit, *juramentum* EX OFFICIO, *quo seipsum quilibet accusare tenetur.* Cùm tamen apud omnes Gentes usitatum jusjurandum illud fuerit, sitque Jure Civili, Canonico, & nostro etiam Municipali approbatum, Divino autem imperatum, soleatque ab ipso Ecclesiæ Genevensis Consistorio Reis deferri. Norunt præterea quotquot in Nostrorum scriptis adversus Puritanos mediocriter versati sunt, Quæstionis, "Numquid per jus Divinum Magistratui liceat, à Reo jus-"jurandum exigere? Et id quatenus & quousque liceat, Theologicam "Determinationem in Publica Schola Theologiæ, an. 1591. Mense "Julio; à celeberrimo Andreâ tum in Academiâ S. Theologiæ "Doctore, Cantabrigiæ habitam; Eamque typis editam ad calcem eruditissimæ Apologiæ, quæ Authore *Richardo Coseno* Viro consultissimo prodiit an. 1593. pro hoc ipso jurejurando, quod tum in foro Ecclesiastico, ut semper antea, usu receptum erat, circiter decennium priusquam Serenissima *Elizabetha* diem suum objisset. Imponunt quoque lectoribus qui Modernorum Ecclesiæ Anglicanæ Præsulum artibus & consiliis Supremæ Commissionis Curiæ Institutionem attribuunt. (Quamquam ea fuit illius Curiæ ratio, ut authores illius instituendæ consilii sui minimè pudere aut pœnitere debeat.) Nam vel pueri norunt eam institutam fuisse ab *Elizabetha* Reginâ anno Regni 1. vi Decreti ab ea sanciti in eo ipso Parlamento cujus operâ Reformatam Religionem Princeps Maxima Angliæ restituit. In eum autem finem instituta est, ut omnis generis Sectarii atque Pro-

Apologie des Puritains Anglois, pag. 29.
G. Horn. compend. Hist. Eccl. Artic. 3 sect. 27.

Vide Cambden. Elizabeth. anno Regni 1.

phani homines, qui censuras Ecclesiasticas solent contemptui habere, facilius in ordinem cogerentur & ad bonam frugem revocarentur. "Supremæ Commissionis Curia, *inquit Cowellus Juris Anglicani* "*vir peritissimus ab Elizabetha Regina instituta est anno Regni* 1. "ad reprimenda corrigendaque omnia delicta, quorum cognitio est "Fori Ecclesiastici, præsertim graviora, vel quæ saltem pœnâ gra-"viore coercenda sunt, quam sit penes Ecclesiasticum Forum irro-"gare. Cùm enim eò creverit hominum corruptio ut Excommuni-"cationis censuram pro nihilo habeant, necesse est ut ad pœnas pe-"cuniarias, quas dent Principi, & vincula recurratur, quandoqui-"dem iis magis afficiuntur. Judices in ea Curiâ sedebant partim Episcopi aliique Thelogi ex Ordine Presbyterorum, partim Regii Senatores aliique Magnates, atque Jurisperiti, omnes viri integerrimi; iis autem præsidebat Archiepiscopus. Ut non fuerit toto Reformatorum Orbe Consistorium Nobilius, & ad reprimenda scandala, atq; prophanorum hominum, maximè potentiorum, effrenem proterviam aptius atque utilius. Sed effecerunt injustis clamoribus seditionibusq; suis Adversarii nostri, ut jam diu eo bono caruerimus.

Cowell. Interpres seu de significatione verborum in voce Commis.

§ Iisdem eorumdem hominum artibus quoque effectum est, ut curiarum Ecclesiasticarum Judicibus adempta sit potestas (cùm aut certum & omnibus notum, aut suspicio vehemens erat, ab aliquo flagitium admissum fuisse & scandalum datum, nemo autem esset qui authorem accusare vellet aut auderet) Reos & suspectos ad se in Consistorium vocandi iisque jusjurandum Ex Officio deferendi; quo non fuit frenum validius ad homines, qui non omnem religionis & conscientiæ sensum penitus excusserunt, à flagitiis deterrendos. Ita enim sunt plerique hominum in hoc corruptæ naturæ statu comparati, ut à flagitiis potiùs abstineant pœnæ infamiæque formidine, quàm amore virtutis aut ipsius peccati odio. Laxis itaque habenis in flagitia plerumque ruunt, ubi impunitas speratur. Non modò autem sperant sed certo sibi promittunt impunitatem, ubi flagitiorum testes nulli aut flagitiorum participes tantùm adsunt. Hæc illis impunitatis spes, magnâ ex parte, adimitur, si jurisjurandi Religione ad Delictorum, quorum suspecti habentur, confessionem Judicibus fas sit eos adigere. Unde apud omnes gentes ea semper fuit penes Judices Authoritas. Quod institutum à Sapientissimis de Rebus Politicis, scriptoribus, ut Optimum & tum Religioni tum Reipublicæ saluberrimum, laudatur. Quin ipsis quoque Patribus familias in antiquâ Romanorum Republicâ, ab iis quorum operâ in olivis colligendis oleoque ex iis extrahendo usi fuerant, licebat interpositâ jurisjurandi Religione, quærere numquid fuisset vel ab ipsis vel ab aliis, eorum fraude aut conniventiâ, surreptum aut corruptum. Ostendit vel una *purgatio Canonica* quæ dicitur

Plato de legibus l. 12. ubi de Radamantho Aristoteles Polit. l. 3. c. 10. Æschines contra Timarchum. Tacit. l. 2. Annal. Cato de re Rustica c. 144. & 145.

dicitur, quæ non nisi Rei & Compurgatorum jurejurando peragitur, Jure Canonico Reis jusjurandum deferri. Jure Civili quoque ad jusjurandum Reos adigi patet vel ex Titulo II. libri XII. Digestorum. Titulus enim sic habet; " De jurejurando sive voluntario, " sive necessario, sive Judiciali. Ut autem scias illam jurisjurandi necessitatem non aliunde quàm ex authoritate Judiciis proficisci *l.* 1. " jurejurando vel ex pactione ipsorum litigantium vel ex authori-" tate Judicis, dicuntur decidi Controversiæ.. Et Titulo III. de " in litem jurando *l. ultimâ, dicitur*, quæri facile non solere de per-" jurio ejus, qui ex necessitate juris in litem juravit. C. de rebus " creditis & jurejurando *l.* in bonæ fidei, *jubetur Judex*, in omnibus " causis, inopiâ probationum, jurejurando causâ cognitâ rem de-" cidere. *Vide ibidem l.* cum etiam, ubi Reum jubeter itidem Præses " Provinciæ ad jusjurandum adigere. Jure verò nostro Municipali ab Amplissimo Cancellario & aliis Regni Judicibus ex mero Officio juramenti Religionem Reis deferri, etiam in causis criminalibus, in quibus juramenti declinatio, rei convictio est, & mulctâ, vel carcere, vel aliâ graviore Animadversione punitur, evidentissimè demonstravit modò laudatus doctissimus *Cosenus*. Sed ex Dei ipsius quoque mandato tenebantur Israëlitarum Judices à Reis jusjurandum exigere quando deerant probationes, tum in actionibus furti, ut in deposito, in quibus Depositarius si jurasset rem apud se depositam, furto ablatam fuisse aut periisse, absolvebatur, sed si jusjurandum suscipere noluisset, in duplum damnabatur; tum etiam in causis capitalibus, ut in causa mulieris quam Zelabatur maritus. Jubetur enim Sacerdos, in eâ causâ Judex, *adjurare eam adjuratione maledictionis*; jubeturque mulier Sacerdotis adjurationi subjicere duplex *Amen*. Nec fas erat ei oblatam jurisjurandi religionem declinare. *Calvino* probabile videtur, verba quibus est usus *Josue Achanum* alloquens, " Da nunc gloriam Jehovæ, &c. tritam fuisse adjurationis formam, " sicuti apud Johannem scribæ & Sacerdotes, cæcum cui reddiderat " Christus oculos, adjurant iisdem verbis, ut de miraculo respon-" deat. Quod si verum est, en Judicem Ex Officio mero, nullo actore, nullo delatore, sed indice tantum sorte, jusjurandum exigentem in causâ capitali, in quâ reus tenetur seipsum accusare, aut admisso sceleri perjurium addere. Et alio loco; " Memoria tenendum " quod alibi dixi, *inquit idem Calvinus*, non tantum cohiberi Judices " ne præcipites ferantur ad damnandum, sed etiam stimulari, ne res " cognitu necessarias ignaviâ vel negligentiâ prætereant. Sæpe enim " cessant in Officio, quia libenter connivent, atque ita evanescit " quod liquido poterat constare, si diligentius inquirere gravati non " essent. Non vult igitur eos torpere Deus, & sinistros rumores

" pro

Cosen. Apolog. part. 3. *cap.* 6.

Exod. 22. 8, 10, 11.

Num. 5.

Calvin. in Josue. cap. 7, 19.

Ad Deut. cap. 17. 4.

" pro nihilo ducere, sed sedulo de rebus auditis sciscitari, ne quid maneat impunitum crimen. Ne autem dicatur *Calvinus* hæc de Judæorum Judicibus tantùm scripsisse, eam vero severitatem in Christianis non ferre; in Responsione ad quædam quæsita, jurisjurandi exigendi potestatem, ipsis etiam Ecclesiarum Reformatarum Consistoriis attribuit. " Quod ad jurisjurandi exactionem in consistorio " attinet, agendum est prudenter, *inquit*, ut detractionibus & susurris malorum obviam eatur. Expedit igitur, cùm opus erit " adjurare qui vocati erunt, atque illos veluti ad Dei tribunal sistere. Ex quibus verbis patet juramentum Ex Officio dictum, adeo non improbatum à *Calvino*, ut malis eos annumeraverit, qui detractionibus & susurris suis eam Consistoriorum potestatem & illius exercitium suggillabant. Sed *Calvinum* Episcopalis tyrannidis approbatorem tantùm huc usque vidimus; ipsum verò eandem tyrannidem cujus R. Episcopi nostri à Puritanis postulantur, pro tribunali exercentem quoque videamus. Choreis sese oblectaverant viri fœminæque Ecclesiæ Genevensis, cujus Disciplinâ interdictæ sunt omnes saltationes. " Vocati ad Consistorium omnes ii qui interfuerant, exceptis " Corneo & Perrino (quorum ille aberat, iste in Consistorio sede" bat) impudenter Deo & nobis (ipsius *Calvini* verba refero) men" titi sunt: Excandui, ut rei indignitas postulabat, *inquit*, (quia sci" licet ad interrogationes sibi à Consistorio factas tergiversando & " mentiendo respondebant) & graviter in illum Dei contemptum " invectus sum, quod pro nihilo ducerent Sanctas obtestationes, qui" bus usi fueramus, ludibrio habere. Perstitere in suâ contumaciâ. Ille verò cùm rem compertam haberet, Deum testatus est, eos pœnas tantæ perfidiæ daturos simulque denunciavit sese effecturum ut veritas patefieret, ne quid se lucri fecisse mentiendo putarent. Quid igitur tandem præstitit ut ab iis facti confessionem extorqueret? Juramentum Ex Officio illis deferendum decrevit. " Censui, *inquit*, " UT JUREJURANDO AD VERI CONFESSI" ONEM ADIGERENTUR. Corneus illos monuit, se " nequaquam passurum ut peierarent, Non modò confessi sunt quod " quærebatur, sed se eo die saltasse apud Balthazaris viduam. Om" nes in carcerem conjecti. Huc usque *Calvinus*. Unde patet jurisjurandi Ex Officio delationem rem esse in aliis Reformatorum Foris Ecclesiasticis non modò usu receptam, etiamsi aliis pœnis præter Canonicas in confitentes Reos animadvertatur, sed ad veri quoque detectionem utilissimam. Pudeat verò *Georgium Hornium* Reverendorum Ecclesiæ Anglicanæ Epispoporum tyrannidi imputare, quod à *Calvino*, quem dicit *Virum esse ipsis Apostolis comparandum*, ut rectum & honestum, utileque atque etiam in administrandâ Ecclesiasticâ

Calvin. Ep. l. p. 476.

Calvin. Ep. l. Farello p. 84.

G. Horn compend. Hist. Eccl. Sect. p.

ſticâ neceſſarium dictis factiſque comprobatum eſt. Pudeat etiam eundem *Hornium*, & cum eo Gallicæ Puritanorum Apologiæ ſcriptorem, nihil aliud attuliſſe contra jusjurandum à Judice Fori Eccleſiaſtici Ex Officio delatum quàm quod vi illius teneantur ii ſe accuſare quibus defertur, cum nullus alius ſit uſus jurisjurandi Reo, vel ab actore vel à Judice in aliis Foris delati, niſi ut debitum aut delictum fateatur & ſolvat; vel ut ſe purget & abſolvatur. Unde quemadmodum jurisjurandi Religione peccati reis nihil formidabilius, cùm in jus vocantur, ita innocentibus nihil optabilius. Preterea obſervandum, *Primo*, penes Judices Eccleſiaſticos non fuiſſe, jusjurandum pro arbitrio cuilibet, cujuſvis crimini etiam vehementiſſimè ſuſpecto aut accuſato deferre, licet eorum Criminum Judicium ad Forum Eccleſiaſticum pertineret: Exempli gratia, Fori Eccleſiaſtici eſt cognoſcere & judicare de omni Impuritate, proindeque de Sodomia, & vi Virgini illatâ, quem raptum vocant. Sed cum in eorum Criminum Reos pœnâ mortis animadverti ſoleat, iis jusjurandum deferri fas non fuit, ne metu mortis ad pejerandum inducerentur. Sic in cauſis Clericorum; Judicibus Eccleſiaſticis non licebat Clericum ad jusjurandum adigere in cauſa Deprivationis (quam vocant) à Beneficio, aut Depoſitionis ab Officio, ne gravem adeo pœnam reus perjurio redimeret. Unde etiam *Secundò*, ſi Judici probabile videbatur fore ut Reus pejeraret potius quàm Crimen fateretur, ei non debuit jusjurandum deferre; cùm gravius ſcandalum ex perjurio oriatur, quam ex manifeſtâ quorumdam Criminum ſuſpicione. *Tertiò*, jusjurandum Ex Officio nemini deferebant Judices Eccleſiaſtici, niſi cum de Delicti famâ conſtabat *apud probos & graves*; nempe vel ex famâ publicâ, vel ex relatione virorum fide dignorum, quales habentur Eccleſiarum *Oeconomi*, aut etiam viri privati, ſed graves et probi famæque integræ; Non autem ex rumore, aut incerto, aut inimicorum, aut ſuſpectorum, aut ſubleſtæ fidei hominum artibus ſparſo. Quæ omnia Reus in jus vocatus, potuit allegare ad jurisjurandi Religionem declinandam. Unde manifeſtum eſt *Quartò*, contra hanc regulam, *Nemo tenetur ſe prodere*, nihil peccari jurisjurandi Ex Officio delatione, quod Adverſarii videntur innuere. Vera eſt enim regula de delictis occultis & nemini niſi delinquenti, aut delicti participibus, notis, quorum itaque nulla eſt quæſtio aut inquiſitio. Non deferebatur autem apud nos juramentum Ex Officio, ut ex jam dictis patet, niſi iis qui ita proditi erant, ut eorum intereſſet ſeipſos oſtendere, in jus ſiſtere & purgare ad famam reſarciendam.

§ Sed nec obedientia Canonica, quam R. Epiſcopis noſtris aliiſq; Ordinariis

Ordinariis ad Beneficia admittendi, jurejurando promittimus, silentio, debet præteriri, cùm jam in mentem veniat, illos vel eo nomine tyrannidis ab Adversariis postulari. Res sic se habet. Nemo è Clero ab Episcopo aliove Ordinario ad Beneficium Ecclesiasticum admittitur, qui non prius obedientiam Canonicam jurejurando conceptis verbis illi fuerit pollicitus; scilicet, *Ego A. B. juro quod præstabo veram & Canonicam obedientiam Episcopo N. ejusque Successoribus in omnibus licitis & honestis. Sic me Deus adjuvet.* Quid hic aut iniquum aut durum, aut ab aliarum Ecclesiarum Reformatarum praxi alienum, nedum tyrannicum, fateor me divinando assequi non posse. Etenim nihil æquius quam ut inferiores Præpositis suis in rebus licitis & honestis sese præbeant morigeros. Grave autem esse non debet polliceri etiam jurejurando, in re gravi & momentosâ, quod unusquisque nec juratus quidem tenetur præstare. Nec enim ad cæcam obedientiam, quam vocant, eo jurejurando nos adstringimus, sed ad obedientiam *in licitis & honestis*; neque id etiam simpliciter, sed *juxta Ecclesiæ Canones*, ut si quid nobis præter Canones quamquam licitum, & honestum, præceperint Episcopi aliive Ordinarii, non simus vi juramenti ad obsequendum obligati. Certè aut dolo malo plebeculæ & rerum nostrarum imperitis imponunt, dum in juramentum obedientiæ Canonicæ invehuntur; aut ipsi imperitiâ sua decipiuntur, non intellectâ voce, *Canonica*: quâ adeo non ampliatur Episcoporum præcipiendi authòritas, ut ea ad Canonum præscriptum limitetur. Sed qui satis adversus Sacram Ecclesiæ Anglicanæ liturgiam sibi videntur dixisse, si eam *Litaniâ, Collectis, Epistolis, Evangeliis, &c.* constare, tantùm indicaverint quod eadem vocabula Ecclesiæ Romanæ in usu sint; & qui, quoniam de Concilii Tridentini Canonibus audiverunt, Episcoporum Anglicanorum ingens esse peccatum putant, quod *Canones* condiderint, (nam si constitutiones tantùm condidissent, essent hac in parte à peccato immunes) illis Pontificium & tyrannicum videtur, quicquid dicitur *Canonicum*. Apponam in fine hujus Capitis ipsam verborum formulam, qua in Ecclesiis Reformatis Hungariæ recens Sacris Ordinibus initiati, obedientiam Canonicam Episcopo suo & aliis Præpositis publicè in Synodo pollicentur. "Ego N. N. Juro coram "Deo vivo qui est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus & coram San-"ctis ejus Angelis & in præsentia Sanctæ hujus Synodi, quod in "in functione Sacri hujus Ministerii, quod nunc à vobis servis Dei "Mysteriorum ejus dispensatoribus fidelissimis summa cum reve-"rentia accipio: solam fidem Catholicam, libris Canonicis Pro-"phetarum & Apostolorum comprehensam, secundum Expositi-"onem Helveticæ nostræ confessionis prædicaturus, Canones Item

Apologie des Puritains Anglois. p. 29.

Idem ibidem.

Idem ibidem.

Canon. Eccles. Syn. Comiathinæ in Hungaria class. 3. can. 8.

" Ecclesiasticos fideliter observaturus, Episcopo & Senioribus tan-
" quam Superioribus meis debitam obedientiam præstiturus; deni-
" que vitæ meæ Sanctimonia vocationem hanc ornaturus, ac ma-
" lis moribus neminem Scandalizaturus sum, hæc omnia quod pro
" gratia & viribus divinitus mihi datis efficere, contendam; sic me
" Deus adjuvet, Pater, Filius & Spiritus Sanctus, *Amen.* Per Seniores hic intelligi, non Laicos illos, sed gradus medii verbi Ministros, inter Episcopum & particularium Ecclesiarum Ordinarios Pastores, postea patebit. Sequenti Capite ad cætera, quæ adversus Reverendos Ecclesiæ Anglicanæ Episcopos objectare solent, paucis respondebimus.

CAPUT

CAPUT XXXII.

De Reverendorum Ecclesiæ Anglicanæ Episcoporum titulis seu honorificis compellationibus, Opibus, Famulis, Cultu, Vivendi Agendique ratione, ob quæ Fastus & affectatæ Pompæ Secularis insimulantur. Itemque de Verbi Divini Prædicatione quam aiunt Adversarii in Ecclesiâ Anglicanâ æquo rariorem esse Episcoporum culpâ & malo Exemplo.

Adversariorum objectiones contra Reverendorum Ecclesiæ Anglicanæ *Episcoporum Titulos, Opes, Opum usum, agendi vivendique rationem. Itemque circa Verbi Divini Prædicationis neglectum. Quinam in* Anglia *præter* Duces, Marchiones, Comites, *&* *alios* Magnates, *& quam ob causam, honoris ergò, Domini, vernaculè,* My Lords, *vocentur. Unde liquet rationi consentaneum esse eâdem ut compellatione decorentur Reverendi Episcopi, ne minoris apud nos Religio, quam juris prudentia ac mercatura esse videatur.* Domini *salutabantur Prophetæ ab* Israëlitis. *Nulla prorsus honoris vocabula R. Episcopis nostris tribuuntur, quæ veteris Ecclesiæ Episcopis ab ipsis Provincialibus & Oecumenicis Conciliis & ab Optimo quoq; tributa non sint, florentibus Ecclesiæ rebus. Schismaticorum titulos illos Episcopis denegantium, aut invidentium*

culpa

culpa major quam Episcoporum qui iis patiuntur se ornari, aut aliorum quorumcunque, eos ipsis deferentium. Patres in Christo Reverendi dicuntur, & Archiepiscopi Reverendissimi; quod jure reprehendi nequit. Patres dicti olim Prophetæ, Apostoli, & Veteres Episcopi. Aliarum Ecclesiarum perinde atque Romanæ Episcopi, Papæ olim dicti. Calvinus, Martyr, Beza, Sadeel *& totus Ecclesiæ* Genevensis *Pastorum cœtus*, Danæus, Gualterus, Petrus Molineus *Archiepiscopum* Cantuariensem *& alios Episcopos* Anglicanos *iisdem ornarunt titulis quibus eos solemus compellare. Nihil faciunt contra Domini aut Patris titulos verba S.* Petri 1 Ep. 5. 23. *aut Christi S.* Matth. 23. 9. *laudantur* Beza *&* Calvinus *ea explicantes. Quid sit* φιλοξενία *quæ Episcopis injungitur. Quorumdam in Christi Ministros iniqua morositas, qui eos tantum non ostiatim cibum emendicare vellent, quo proprius accedant ad Apostolicam perfectionem. Quantum iniquâ illâ suâ morositate Ecclesiæ Dei nocuerint tristi experientia didicerunt* Gallorum *Reformatorum Ecclesiæ. Earum status deplorandus ob tenuissimum Ministrorum stipendium. Dei Optimi Maximi Paterna Curæ imputandum, quod in iis Ecclesiis semper floruerint Viri ingenio & eruditione excellentes.* Eorum *plerisque non fuit res angusta Domi. Multi eorum ex antiquis opulentis & nobilibus familiis oriundi. Non desunt in iis* Ecclesiis, *pro earum modulo, virtutis & eruditionis præmia. Etiamsi iis aliisq; ejusmodi præmiis opus non esset ad excitanda, fovenda, juvandaq; Sacrarum literarum studia, attamen æquissimum esset, ut viris ingenio ac industriâ præditis qui se totos Dei gloriæ & hominum saluti promovendis consecrant, à Principibus & Rebuspublicis condigna merces, unde sibi & familiis prospiciant, constituatur. Quæ merces certa esse debet, non à privatorum arbitrio pendens; & ita Deo sacra censeri, ut in alienos usus transferri sine Sacrilegio nequeat. Id apud omnes gentes observatum; maximè vero apud populum Dei omni ævo; ante legem, sub*

lege,

lege, sub Evangelio. Abrahamus *Decimas omnium divisit* Melchisedeco *Sacerdoti Dei Altissimi. Quàm liberaliter, ipso æquissimo Deo jubente, Sacrorum Ministris sub lege prospectum sit. Laudatur* Isaacus Basirius. Philo Judæus *de præmiis Sacerdotum disserens. Refutatur eorum error, qui negant valere consequentiam à* Judæorum *moribus circa Ministrorum præmia, ad Christianorum obligationem. Debent Antistitum aliorumque Christi Ministrorum præmia pro ratione loci & Reipublicæ statûs, in qua vivitur, majora, minorave constitui. Id ab Ecclesiâ Christianâ observatum ipsorum Apostolorum tempore ac deinceps, etiam antequam Imperatores Christo nomen dedissent.* Constantini *in Ecclesias & earum Episcopos aliosq; Ministros pia Munificentia. Eam imitati sunt alii Principes. Sacrilegas bonorum Ecclesiasticorum deprædationes avorum nostrorum memoriâ in Principum Reformatorum ditionibus factas vehementer reprehendunt* Zuickius, Lutherus, *Generalis Synodus* Petricoviensis; Confessionis Helveticæ *socii*; Knoxus *& cæteri Ecclesiæ* Scoticanæ *Ministri*; Calvinus; *Ecclesiarum Reformatarum* Galliæ *Synodus Nationalis*, Figeacensis. *Sacrilega illa lues in* Anglia *quoque grassata est, maximè* Henrico VIII. *et.* Edvardo VI. *regnantibus; nec ab ea Serenissimæ* Elizabethæ *Regnum prorsus fuit immune. Unde Episcoporum & aliorum Christi Ministrorum opes multùm imminutæ. Regii* Windsoriensis *Sacelli Decanus & Canonici Ecclesiarum quæ ipsorum juris sunt, Parochis liberaliter prospexerunt, licet cum memorabili fortunarum suarum & Successorum dispendio. Idem factum à Reverendis Episcopis aliisque Canonicorum Collegiis; ex quo Ecclesiis suis restituti sunt. Tenues admodum sunt multorum Episcoporum* Anglicanorum *opes: plerorumque mediocres; nullorum nimiæ. Ipsorum Archiepiscoporum proventus adeo ampli non sunt, ut non multi equites et Generosi passim in hac gente duplo amplioribus gaudeant. Prædiorum*

diorum Ecclesiasticorum Elocandorum *ratio. Edictum* ELIZABETHÆ *ad tollendos Superiorum temporum in elocandi Ecclesiarum prædiis abusus in gratiam Successorum.* JACOBI *Edictum in eundem finem.* Sorberii *hallucinatio qui quod Pontificiorum vitium fuit, Reformatis Episcopis tribuit. In quos usus opes suas impendant R. Ecclesiæ* Anglicanæ *Episcopi. Quam immeritò pompæ secularis fastusque accusentur. Refutantur qui eos canum Catervas alere & venationibus oblectari affirmare non erubescunt, ridiculæ hujus calumniæ testis omni exceptione major* VALENTINUS CONRARTUS. *Episcoporum cultus communis & Ornatus Episcopalis simplex & modestus. Ædes incolunt à Prædecessoribus extructas, eas sartas tectas servare tenentur. A Rebellibus eversas Episcopatuum suarum sedes denuò propriis sumptibus instaurarunt R. R.* Cosinus Dunelmensis *&* Morleius Wintoniensis *Episcopus. Episcoporum famuli pauci; eorum apparatus secularis & ad pompam comparatus, nullus. Mensæ, pro more gentis, frugales. Hospitalitatem exercere tenentur. Sacella nitidi splendidique operis extruxerunt R.* Cosinus Dunelmensis, *& R.* Wrenus Eliensis. *Ingentem pecuniæ summam ad redimendos ex Turcarum manibus captivos erogarunt;* Gerontotrophia *&* Cherotrophia *multi extruxerunt, & dotarunt; Scholas novas erexerunt; annuas pensiones alendis studiosis crearunt, ex quo Ecclesiis suis restituti sunt, præ cæteris viri admodum Reverendi* Cosinus Dunelmensis, Brianus Duppa Wintoniensis, VVarnerus Roffensis. Basilicam Oxoniæ *extruxit ad promotiones Academicas R.* SHELDONUS Cantuariensis, *& Academiam instructissimâ Typographiâ, auxit. Reverendissimi* Laudi *pia beneficentia in usus publicos. Rev. Episcoporum cum cæteris Christi Ministris modesta agendi ratio. Apologistæ fabulæ et impostura circa Verbi Divini prædicationem quam dicit ab Episcopis contemptam & interdictam, Verbi prædicationi quantum*

per

per vires & curas Episcopales *licet, ipsi Episcopi incumbunt. Eorum conciones elucubratissimæ typis editæ omnium manibus teruntur. Nulla est Ecclesia in Anglia, in qua singulis diebus Dominicis non audiatur verbi Divini expositio. Usus Homiliarum in Ecclesia Anglicana. Exercitationes Catecheticæ singuls Dominicis tempore pomeridiano.* Gallicæ *Puritanorum Apologiæ mendacia circa verbi Prædicationem in Sacello Regio & Ecclesiis Cathedralibus. In iis habentur conciones quolibet die festo. Conciones pœnitentiales tempore Quadragesimæ in Sacello Regio.* Geo. Hornii & Newcomani *de abolitis ab Episcopis Anglicanis concionibus, impostura. Perstringitur nobilissimus* Fauklandiæ *Vicecomes. Qui sint in Ecclesia Anglicana* Prælectores *quos vocant. Quo tempore introducti, & quo fine. Ex verbi Divini Prædicatoribus, tubæ seditionis & belli Præcones facti. Verbi Divini viva voce Prædicatio in omnibus* Ecclesiis *interdicta Regnante* Edv. VI. *& quam ob causam. Prælectorum ordo non abolitus sub* Carolo I. *Sed seditiosiores tantum silere jussi. Ultima* Gallorum *Reformatorum Synodus Nationalis Juliodunensis* Ecclesias *hortata est ne frequentoribus concionibus Pastores suos onerarent. Seditiosæ Schismaticorum preces, non aliæ, prohibitæ, & omnes concionatores ad Formulam legitimam usurpandam adstricti.*

SED & Reverendis Ecclesiæ Anglicanæ Episcopis litem intentant Adversarii super eorum *Titulis* seu *honorificis compellationibus*, quod nimirum vulgò honoris & Reverentiæ causâ vocentur Domini, vernaculè, My Lords & *Patres in Christo admodùm Reverendi:* Magnamq; inde illis solent Puritanorum Ministri creare invidiam apud imperitam suam plebeculam, quæ Episcopos, quamquam invita, ferret tamen, sed DOMINOS EPISCOPOS Lord Bishops non fert, sic à Magistris edocta, nec ferendos opinatur, ut qui in Ecclesiâ Christianâ, antequam in eam Dominationem temporalem & typhum Secularem invexissent Romani Pontifices, nec auditi quidem sint. Eorum opes iisdem quoque hominibus nimiæ videntur, & ad fovendum luxum fastumque tantummodo comparatæ. Unde Ecclesiæ Anglicanæ Episcoporum Pompæ fastusque frequens mentio apud *Georgium Hornium*, *Honorium Reggum*, qui idem est, aliosque ejusdem furfuris Scriptores; ut & apud alios minimè malos viros, qui istorum

calumniis decepti Episcopos Anglicanos putant *luxu diffluere atque numerosum* atq; onerosum potius quam necessarium aut utile *famulitium*, imo *Canum Venaticorum catervas alere, nec nisi magno comitatu* in publicum prodire & *carpentis magnificis vehi*. Iis autem Titulis & Opibus, ut & Potestate aliisque rebus ad Episcopalem praeeminentiam pertinentibus, *ita superbire, ut caeteros Christi Ministros prae se despiciant*; adeo ut *istu*, praesente Episcopo, *non liceat caput operire*: quod *Sorberii* somnium est. Denique, ne quid praetermittam, quod adversus R. Episcopos nostros objectent Adversarii; *Eos nimis otio indulgere, & in concionando non satis assiduos esse*, aiunt. *Et priusquam grassaretur apud nos bellum civile*, inquit Ministrorum Ejectorum Apologista, (hoc est, priusquam à rebellantibus Presbyterianis ab otio, quod somniat iste, ad labores vocarentur) *adeo viluit inter Episcopos praedicandi munus* ut quidam ex iis *Usserium* Archiepiscopum Armachanum *eo quod in concionibus frequens esset, non erubesceret appellare*, A Prating Coxcombe, *quâ phrasi nihil est apud nostrates ignominiosius*; *Et alter ausus sit Deo gratias agere, quod nullam per totam Dioecesin lecturam haberet*; *Et Pastorem quemdam suspendere ob habitam tempore pomeridiano Diei Dominicae concionem funebrem*: *Et ne videantur sine ratione insanire*, (sic pergit accusando) *praetexunt praedicationem necessariam fuisse quidem cum in cunis vagiret Ecclesia, non tamen adeo necessariam esse postquam adoleverit.* Deinde post inserta quaedam ex confessionis Helveticae Capite 23. *de nimium prolixis & molestis precibus, quibus fatigari solent in coetu populi* (quales Presbyterianorum esse solent) *addit, se male metuere ne ipsae preces Communes in contemptum abeant & Ceremoniis Choreisque cedant. Refert enim R. A.* inquit, *Theologus siquis alius mentiri nescius, in vindiciis Pietatis*; *Liturgicum quendam pro concione dixisse in Templo* B. Mariae Oxoniensis, *observationem Diei Dominicae sitam esse in Officiis, partim Ceremonialibus, partim substantialibus. Praedicatio*, inquit, *est Ceremonia Religiosa, Oratio est Ceremonia Religiosa*; *sed genuflexio ad nomen Jesu, statio dum leguntur Symbola & Evangelia*; *pia & Religiosa Epulationes, pia & Religiosa Saltationes sunt Substantialia Diei Dominicae. Et Episcopus ille de quo supra memini*, inquit ibidem Apologista, *praecepto suo diligenter cavit, ne Presbyteri auditores suos in legendis precibus nimis diu detinerent, quò vacarent Encaniis celebrandis. In encaniis autem, vulgò* Wakes, *luxu diffluere & planè bacchanalia vivere solet populus Anglicanus.* Quin eò impudentiae progressus est *Hornius* ut non erubuerit in Historiâ Ecclesiasticâ affirmare Episcopos Anglicanos *Regem omnibus modis ad abolendas conciones impulisse.* Ad singula Ordine respondendum, ne diutius tam injustis praejudiciis immerito graventur viri praestantissimi & de Ecclesiâ Christi à primâ

Sorbiere, Voyage d'Angleterre.

Apol. p. 166

G. Horn. Hist. Eccles. Period. 3. sect. 27.

primâ Reformatione ad hunc usque diem continuò Optimè meriti.

§ Domini vocantur in Angliâ, Vernaculè, Lords, & cum eos alloquimur My Lords, *mei Domini*, non solum Duces, Marchiones & utrorumque filii omnes; Comites & eorum filii natu maximi, Vicecomites & Barones, jure hæreditario; sed præterea Amplissimus Angliæ Cancellarius, Magni Sigilli Custos, Privati Sigilli Custos, Regis ad alios Principes Legati, Exercituum Imperatores, Regii Banci seu subsellii, Curiæ *Communium Placitorum & Scaccarii Regii* Judices Præcipui seu Præsides, & ipsi quoque Londinensis & Eboracensis Civitatis Prætores, seu mercatorum Præpositi, quos *Majores* vocant, virtute munerum quibus funguntur in Republicâ. Scilicet, id voluerunt Sapientissimi Principes nostri, ex quorum arbitrio mero pendent ista honorum vocabula (apud nos enim nemo Marchio, nemo Comes, nemo Baro, nemo Eques, &c. nisi ex Regiæ Majestatis authenticâ Concessione, vocari audet) ut qui primi sunt in quolibet subditorum suorum Ordine, iis vulgo deferatur idem Titulus honorificus, quo insigniuntur ipsi Regni Proceres, partium ut alii ejusdem Ordinis homines cæterique subditi eos magis revereantur; partim ut is honos uniuscujusque acuat ingenium & excitet industriam; cum cuilibet vel ex infimâ plebe, sperare fas sit se aliquando simili titulo gravisurum; quò apud nos non datur ulterius progredi. Quæ cùm ita sint, quis non videt æquum esse, ut vel ob easdem causas Religionis Antistites eâ ipsâ honorificâ compellatione decorentur, ne minoris apud nos Religio, quàm Jurisprudentia & Mercatura esse videatur? Ab omnibus itaque, ab ipso etiam Rege, quemadmodum omnes supra memorati Proceres, Magnates & Magistratus, ne exceptis quidem Prætoribus Urbanis, vulgò salutantur *Domini mei*. Sedent prætereà Episcopi cum jure Suffragii in Superiore Parlamenti Consessu. Dicitur autem is *Dominorum Consessus*, vocanturque *Domini*, quotquot gaudent jure Suffragii in Nobilissimo illo Consessu. Quanto in honore semper habiti sint summi Sacerdotes, quàmque honorificis titulis fuerint compellati apud Judæos, Græcos & Barbaros, pro more uniuscujusque gentis, nihil opus est dicere. Est enim vulgò notum; Et quò Religiosiores fuerunt in unâquâque gente Populi, eo plus honoris, Religionis Antistitibus semper detulere; magnumque est sanè contempti à gente numinis, conculcatæque Relgionis Argumentum quando Præcipuis Dei Optimi Maximi Legatis Primariisque Religionis Ministris denegantur aut invidentur, quæ illis Pii Principes detulerunt jusseruntque deferri, honorum vocabula. Vulgò Domini salutabantur ab Israelitis Sancti Dei Prophetæ. Jam diu ab eruditissimo *Bilsono* Wintoniensi Episcopo

Demonstratum est libro *de Perpetuâ Ecclesiæ Christi Gubernatione*, *Cap.* 14. nulla prorsus honoris nomina Episcopis nostris ascribi, quæ Concilia Provincialia, atque Oecumenica, Proconsules, Præsides, Comites, Judices, (Ecclesiâ pacem sub Christianis Imperatoribus obtinente) antiquis Episcopis, ipsique sibi invicem, non tribuerint. Concilium *Arelatense* primum, sub *Constantino* celebratum inscribit Epistolam *Domino & Sanctissimo fratri Sylvestro Episcopo.* Et ne cui videatur id ab Arelatensibus Romano typho, indignâ assentatione datum, Concilium *Gangrense* eodem ferè tempore, ad Episcopos Armeniæ ita scribit, Κυρίοις τιμιωτάτοις ἐν Ἀρμενίᾳ συλλειτουργοῖς. *Honoratissimis Dominis collegis nostris in Armeniâ.* In *Athanasii* Apologiâ 2. sæpius alios Episcopos vocat Dominos & ab illis Dominus vocatur *Athanasius.* In eâdem quoque Apologiâ *Dionysius* ὁ Κόμης *Alexandrum* Thessalonicensem Episcopum vocat Dominum suum. Secundum Oecumenicum Concilium *Constantinopoli* sub *Theodosio* Seniore habitum, ad Synodi Romanæ Episcopos sic scribit, Κυρίοις τιμιωτάτοις καὶ εὐλαβεστάτοις ἀδελφοῖς καὶ συλλειτουργοῖς, *Honoratissimis Dominis & religiosissimis fratribus & collegis, Damaso, Ambrosio, Valeriano Astbolio, Basilio reliquisque Sanctissimis Episcopis in civitate Romanâ congregatis. Cyrillus Alexandrinus & Atticus Constantinopolitanus* Concilii Africani Episcopis, inter quos erat *B. Augustinus* respondentes, Epistolam suam, inscribunt. Κυρίοις τιμιωτάτοις, καὶ ἁγιωτάτοις καὶ μακαριωτάτοις ἀδελφοῖς καὶ συνεπισκόποις *Honoratissimis Dominis Sanctissimisque* atque Beatissimis fratribus & Co-episcopis. Ejusdem Concilii Patres Δεσπότῃ μακαριωτάτῳ καὶ τιμιωτάτῳ ἀδελφῷ Βονιφατίῳ, *Beatissimo Domino & fratri honoratissimo Bonifacio Episcopo Romano scribunt.* In Actis Concil. Ephes. c. 20, 21, 22, 23, 24, 84, 86, 87, 119, 121. Κύριοι ἀγαπητοί, καὶ Δεσπόται ἁγιωτάτοι, frequenter dicuntur Episcopi. *B. Hieronymus* ad *B. Augustinum* scribens, *eum Dominum vere Sanctum, Dominum meritò Venerabilem & Beatissimum Papam, uniceque colendum Patrem compellat. Macedonius* Judex Imperatorius ad Augustinum scribens iisdem compellationibus eum dignatur. Et ne dubites eum titulum illis & Imperii Proceribus fuisse communem, ad librum Epistolarum B. Augustini, ubi videas Senatores, Comites, Præsides, Proconsules aliosque præcipuæ authoritatis viros, ab eo Dominos, honoris ergô, passim vocari; nec ulla sanè fuit, quod sciam, alia compellatio magis honorifica, cum ipsi etiam Imperatores Domini vocarentur.

§ Jam scire velim utrorum sit peccatum majus, si omnino ullum, Principum & Ordinum Regni qui Episcopos compellari Dominos voluerunt; omnis generis fidelium qui eos Dominos ultro compel-

are

lare consueverunt; Episcoporum qui titulum eum nec expetiere nec ambiere sed eo, non propter se, sed propter Dominum suum & Ministerii sui honorem tantum, se decorari patiuntur; an Schismaticorum qui ægre ferunt isto honore insigniri Primarios Christi Ministros. Certè aliam legem præter divinam, figat oportet qui in illâ Principis & Ordinum æquitate atque etiam humilitate, & omnium cujuscunque Ordinis pietate, peccatum ullum deprehendat. Peccarent quidem Episcopi si divinis honoribus ipsos prosequentibus, exemplo Sanctorum Pauli & Barnabæ non reclamarent; peccarent si vel humanos & legitimos ambitiosè affectarent; peccarent si ultrò sibi delatis superbirent, & præter rationem muneris sibi demandati, quod ministerium est non dominatus, efferrentur. Sed si neque illicitis honoribus se insigniri patiuntur, quod certum est; neq; licitos ambitiosè sectantur; quod non minus est manifestum, cum iis ultro, & lege latâ, aut consuetudine vim legis habente deferantur, neque ea propter se esse Christi Ministros ad Ædificationem Ecclesiæ obliviscuntnr, (quod de omnibus & singulis affirmare jure possumus, donec Adversarii aliquem eorum typhi secularis reum peregerint) iniquus sit quisquis eos ab omni peccato hac in parte, immunes non pronunciaverit. Sed Censores qui Principis & Ordinum Regni æquitatem atque humilitatem, eorumque, ut & omnium aliorum fidelium, pietatem carpere & suggillare, quique hic Episcopos secularis fastus, immeritò postulare audent, temeritatis, iniquitatis & superbiæ esse affines cœcus est qui non videat. Omnes inferiorum Ordinum Ministri, sive Presbyteri sive etiam Diaconi apud nos vulgò salutantur Anglicè Masters. Sonat autem ea vox Latinè *Herum* seu Magistrum; quam compellationem nòn inviti audiunt quoque Presbyterianorum vel infimi subsellii Ministri; imò siquis aliâ minùs honorificâ uteretur eos alloquens, haud æquo animo ferrent vel propter incivilitatem, ut sic loquar. Cum sint igitur varii Ministrorum Ordines in Ecclesiâ Anglicanâ ita ut alii præsint, alii subsint, sitque alia magis honorifica compellatio, quæ non modo Regni Proceribus, sed etiam aliis in uno quoq; civium Ordine præcipuæ Authoritatis Viris communis est, an non rationi consentaneum est, vel propter distinctionem, præter causas supra memoratas, ut Primariis Christi Ministris etiam tribuatur? Jubentur Philippenses, Christi Ministros Epaphrodito similes ἐντίμους *cum honore*, vel, *in pretio*, habere, hoc est, honorare S Paulus qui benè præsunt Presbyteros, duplici honore dignos esse, pronunciat. Et cum Christus Dominus Prophetam absque honore nisi in patriâ suâ non esse, dicit, satis innuit Dei Prophetis honorem deberi, licet iis non semper exhibeatur ab hominibus Prophanis & Dei contemptoribus. Nescio an ullus sit inter Reformatos Theologus qui in explicatione Decalogi

ad quintum præceptum, Patribus quos honorare jubemur, Pastores quoque non annumeret. Sed etiamsi taceret Scriptura Sacra, res ipsa loqueretur, scilicet, Christi Ministris honorem deberi, atque adeò præcipuis præcipuum. Qui autem honorem alicui debet si illum seu rebus seu verbis accommodis & usu receptis testetur, aut si sic delatus admittatur ab eo cui debetur, quis alterutrum culpaverit, nisi is cui molestum est solvere quod in eo genere debet ipse, & qui quicquid honoris, etiam honore dignissimis ab aliis tributum fuerit, illud omne lividis oculis intuetur, ea alteri invidens quibus aut se indignum esse sibi conscius est, aut se dignum arbitratur?

§ Verum *Patres*, etiam *in Christo admodùm Reverendos* solemus compellare Episcopos nostros. Id vero quodnam crimen esse queat non capio. An quia dicuntur *Reverendi*? sed Reverendi dicuntur ubivis gentum Ecclesiæ Ministri, nec quicquam apud ipsos Adversarios frequentius. An quia Reverendi *admodùm*; sed id tantùm ad differentiam inferiorum, unde *Reverendissimos* vocamus Archiepiscopos. An quia admodum Reverendi *in Christo*? sed eo exhibitæ illis reverentiæ causa exprimitur; Nempe non tam quod sint ex se Reverendi, quam quia sunt Primarii Christi Ministri. Sed in eo forte crimen versatur, quod *Patres* dicantur. Discipuli Prophetarum dicebantur eorum Filii, unde ex relatorum ratione, eorum Patres Prophetas dictos oportuit; ac sic vulgò ab aliis etiam vocatos vel ex Regis Joasi verbis ad *Elizæum* moribundum patet. *O mi Pater, mi Pater, &c.* Per Patres in quinto Præcepto Decalogi Pastores etiam vulgò intelligi jam annotavimus. Fideles ad quos scribit *Johannes* in Epistolâ primâ, sæpius *filiolos* præ affectu verè paterno compellat. Debuerunt igitur vicissim eum amoris & reverentiæ ergo Patrem compellare. Se S. Paulus Corinthiorum fidelium *in Christo Patrem* esse affirmat, 1 Cor. 4. 15. Ex supra allegatis Hieronymi verbis ad *Augustinum*, discimus Episcopos eo tempore ab ipsis Presbyteris maximæ etiam existimationis in Ecclesiâ, qualis fuit B. Hieronymus, Patres fuisse compellatos. B. *Cyprianum* vulgò Patrem à fidelibus vocatum, ostendunt Proconsulis à quo neci traditus est, ad ipsum interrogatio & ipsius ad Proconsulem responsio. *Tues quem Christiani Papa msuum nominant*? Ad quæ respondit sanctus Episcopus; *Ego.* Papa, seu Pater (quod ex veterum scriptis constat) propter ætatem, authoritatem & Paternam totius Christi familiæ, hoc est Ecclesiæ curam intra Diœcesin, dicebatur quilibet Episcopus, perinde atque Romanus, quo tempore Episcopos ab omni fastu quam longè absuisse credunt omnes Reformati.

Pontius in Passione S. Cypr.

§ Sed utrumque tam Dòmini quàm Patris titulum Scripturæ Sacræ Authoritate oppugnant adversarii. Imprimis autem hæc ex

1 Petr.

1 Petr. 5. 2, 3. afferunt, Ποιμάνατε τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον κυρίου μηδ' ὡς καλακυριεύοντες τῶν κλήρων. *Pascite gregem Dei non sicut dominantes Cleris.* Ad quem locum rectissimè sanè Cl. *Beza* annotavit Apostolum iis verbis docere, *non Regnum sed Curam Presbyteris commissam esse.* Καλακυριεύειν enim idem est quod καλακρατεῖν & καλεξουσιάζειν more Regum Imperare & dominari; idque adeo manifestum est ex Matth. XX. v. XXV. οἴδατε ὅτι Αρχοντες τῶν ἐθνῶν καλακυριεύουσιν αὐτῶν καὶ οἱ μέγαλοι καλεξουσιάζουσιν αὐτῶν, ut plura addere ad hujusce loci explicationem supervacaneum foret. An verò quotquot apud nos Domini sunt & audiunt juxta gentis nostræ morem, Regnum in Angliâ exercent, & summorum Principum instar in cæteros hujusce inclyti Regni subditos dominantur? Regnant ne in Equestris Ordinis Viros, in Generosos, in Oppidanos & Rusticos, Illustrissimi Domini Duces & cæteri Proceres? Regnant ne in clientes Regii subsellii, Curiæ Communium Placitorum & Scaccarii Regii Domini Præsides? Regnat ne in concives Dominus Prætor urbis Londinensis? Certe non magis Dominantur in Clerum suum aut alios fideles Domini Episcopi. Ii omnes Domini compellantur honoris & distinctionis causâ, sic jubente Principe, uti supra observatum est, sed iis Dominatus nullus propterea in inferiores conceditur. Nihilo magis contra *Patris* compellationem faciunt Christi Verba Matth. 23. 9. Καὶ πατέρα μὴ καλέσητε ὑμῶν ἐπὶ τῆς γῆς. Perinde enim militant adversus *Magistri* & *Doctoris* titulos (quos tamen Presbyteriani Ministris suis vulgo tribuunt) quæ habet Christus ibidem v. 8. & 10. Si autem versum octavum recte interpretatus est *Theodorus Beza* B. Augustinum sequutus, μὴ κληθῆτε, id est, *ne ambiatis illum honorem*; meritò subdit, *non vetare Christum, ne suum honorem exhibeamus Magistris vel Doctoribus, sed ambitionem damnat.* Et si verum est quod ait ad eundem versum *Calvinus, nihil morari Christum quo titulo* vocentur qui docendi partes obeunt, sed illum eos continere intra *justas metas*, ne fratrum fidei dominentur; Tenendamque semper esse distinctionem, scilicet uni Christo obediendum, quia de ipso solo vox patris è coelo *personuit*, ipsum audite: *Doctores vero sic esse ejus Ministros, ut in ipsis audiri debeat sintque sub eo Magistri, quatenus personam ejus sustinent*; Verum est itidem quod ad versum IX. commentatur, nempe, *eodem fere sensu Patris honorem soli Deo Christum vindicare, quo se nuper asseruit unicum Magistrum proindeque,* fas esse Patres nobis in terra vocare; nec valere quæ à quibusdam affertur, distinctionem, scilicet homines à quibus progeniti sunt liberi, esse *Patres* secundum carnem; solum verò Deum esse Patrem Spirituum. Quamvis enim sic Deus interdum ab hominibus distinguatur, ut Heb. 12. 9. cum tamen *Paulus* non semel Patrem spiritualem

Calvin. Harmon. Ev. ad Matth. 23.

tualem se nominet, videndum quo modo id *conveniat* cum Christi verbis. Verus ergo sensus est, inquit, Paternum *honorem* falso tribui hominibus, si Dei gloriam obscurat. Id autem fit, eodem *Calvino* judice, *quoties mortalis homo seorsim à Deo censetur Pater cum ab uno Deo* per Christum pendeant omnes cognationis gradus ac sic inter se *cohæreant ut Deus proprie solus sit omnium Pater.* Cum igitur Episcopi nostri dicantur non Patres simpliciter, sed *Patres in Christo* & propter Christum Reverendi, vel eo manifestum est, ejusmodi tituli usurpatione nihil summæ Dei Gloriæ & Paternitati derogari. Utrumque sanè tum Domini tum Patris in Christo Reverendi titulum Episcopis nostris ultro detulerunt celeberrimi Ecclesiarum Transmarinarum Pastores; *Calvinus*, *Beza*, *Sadeel*, imò totus Ecclesiæ Genevensis Pastorum cœtus, *Danæus*, *Martyr*, *Gualterus*, *Molinæus*, & alii passim. *Cranmerum* Archiepiscopum Cantuariensem. *Calvinus Illustrissimum* sibiq; *Reverendum Dominum*; *Grindallum* Londinensem, *Reverendum* itidem sibique *observandum Dominum* vocat. *Reverendissimo Viro & in Christo Patri D. Archiepiscopo Cantuariensi, Serenissimæ Reginæ Consiliario & totius Angliæ Primati* inscripserunt Epistolam *Beza* & *Sadeel*, quam Anno 1589. ad eum scripserunt; *nomine totius Pastorum cœtus, nec non totius Ecclesiæ Genevensis.* Sic enim testantur ipsi in Autographo. *Danæus* in Epistola Responsioni ad Bellarminum præfixâ, *Reverendissimi in Christo Patris, amplissimique Domini titulo*, Archiepiscopum Cantuariensem insignit. Extat Petri Martyris Epistola, quam inscribit, *Reverendo in Christo Patri ac Domino D. Johanni Parkhursto Dei gratia Episcopo Nordovicensi, Domino suo plurimum observando.* *Gualterus* Homiliarum librum in priorem Epistolam ad Corinthios nuncupat *Reverendissimis & observandis in Christo Patribus ac Dominis D. Edmundo Grindello Eboracensi Archiepiscopo; D. Edvino Sando Londinensi. D. Roberto Horno Wintoniensi, &c. Episcopis.* *Petrus Molinæus* ad Lancelotum Andream Wintoniensem Episcopum scribens *Reverendum in Christo Patrem ac Dominum*, eum quoq; compellat; adeo non improbant Viri præstantissimi titulos Religionis Antistitibus honoris ergo delatos.

Calvin. Epist.

Martyris Epist.

In Andr. Opuscul'u.

§ Jam ut ad alia transeamus; cum ne honoris nomina quidem, & titulos quibus decorari solent R. Ecclesiæ Anglicanæ Episcopi Adversariorum aures ferre queant, nemo mirabitur eorum hominum oculos quoque malos esse quia Deus bonus est erga illos, atque adeo invidere Dei, & (Deo inspirante) Principum aliorumque virorum piorum, erga Primarios illos Christi Ministros benignitatem in dotandis Ecclesiis quibus præsunt iisque prædiis & aliis reditibus assignandis, unde possint non modo se & familias suas commodè & honestè

honestè sustentare, sed esse etiam in pauperes benefici & φιλόξενοι, hoc est, qui non modò peregrinos & procul à patriâ aut laribus agentes, affectu vere Christiano complectantur, sed eos etiam benignè hospitio excipiant. Ea est enim propriè φιλοξενία juxta Apostolum, Hebr. XIII. 1, 2. quam commendat omnibus fidelibus. Sed inest multis hominibus quædam adeo iniqua morositas, ut si vel tantillum Christi Ministris cujuscunque Gradus & Ordinis, præter absolutè necessaria ad vitam sustentandam, superesse videatur, id omne superfluum noxiumque esse statim pronuncient; optiméque iis prospectum putent, si habeant unde miserè cum familiis suis victitent. Illis Ecclesiæ Ministrorum inopia virtus est Apostolica, & modicus vel saltem paulò copiosior rerum usus, pompa est & luxus, non multum distans ab Antichristianismo. Ut mirari desinam *Fratrum Mendicantium* institutum, omnium sanctissimum & ad perfectionem Seraphicam consequendam aptissimum haberi apud Pontificios; Magis autem mirer S. Evangelii Ministros non fuisse multis locis mendicare jussos, quo à Pontificum Romanorum splendore longius abirent. Certè non aliunde quam ex illâ tetricorum hominum iniquâ & à veræ pietatis sensu alienâ (etiamsi tum ipsis tum aliis aliter videatur) morositate evenit, ut in quibusdam Reformatorum Ecclesiis, Gallicanis putà, tenuia sint adeo Reverendorum Pastorum stipendia, ut ad victum vestitumque comparandum, si paucas nobiliores Ecclesias exceperis, vix sufficiant. Quantùm verò eâ ratione illis Christi Ecclesiis nocuerint, tristis tandem, sed serior experientia docuit. Inde enim factum primò, ut cum unius Ecclesiæ stipendium tenuius esset, quam ut inde Pastor posset vivere; annexæ sint duæ tresve, imò nonnunquam quatuor Ecclesiæ & unius Pastoris Curæ omnes commissæ. Inde secundò rariora Religionis exercitia publica, non sine magno pietatis dispendio, quæ istis Auxiliis eget & fovetur. Deinde, cum is earum status Pontificiis, in omnes occasiones intentis innotuisset, Regii Concilii, quo jure, quâ injuriâ, Decreto, instigante Clero Romano, nec auditis Reformatis, omnibus eorum Pastoribus sub gravibus pœnis interdictum est, ne in pluribus Ecclesiis ministerio suo fungerentur. Et quamquam nonullis locis, eâ occasione, ita accensus est fidelium Zelus, ut auctis stipendiis nonnullæ Annexarum singulos Pastores singulæ sibi comparaverint, pleræque tamen, partim vero pietatis sensu rarioribus illis Religionis exercitiis penitus extincto; partim quod grave esset, plusquam consueverant in Pastorum usus impendere, quodque à tetricis & iniquis illis (quales nimis multi ubique reperiuntur) edoctæ satis amplo stipendio eos gaudere arbitrarentur, pleræque, inquam omnis verbi & Sacramentorum ministerio ad hunc usque diem caruerunt & porro cariture sunt, ni earum Deus misereatur. Scio illarum Eccle-

siarum statum multiplicibus ac poene quotidianis *Edicti Nannetensis* à *Henrico Magno* non coacto, prout aiunt quidam, partim malevoli, partim imperiti, sed sponte, sciente, volente, nullis bellis implicito pacatis scilicet domi forisque rebus, pro omnium Subditorum communi bono, maximè verò in Reformatorum gratiam promulgati, infractionibus valdè immutatum; Et partim violatis omnium Ordinum privilegiis, licet edicto illo *Regio* (quod *perpetuum* & *irrevocabile* in omne ævum fore disertis verbis declaraverat Princeps Maximus) concessis, partim Apostatarum defectione, earum opes ita accisas esse, ut nonnullæ Ecclesiæ Pastoribus suis liberalius prospicere, per inopiam non valeant. At certo certius est, multis locis non tam inopiâ, quam ingrato erga Christi Ministros animo, iniquoque illo, quod dixi, præjudicio laborari & jamdiu laboratum. Justus est itaque Dominus & recta ejus Judicia, qui vitæ Cœlestis pabulum, quod tam indignè fastidiverant, omnino iis subtraxit, ad exemplum aliarum Ecclesiarum quas manet similis poena, si peccato simili sese implicuerint. Nec me latet in illis Ecclesiis à primâ Reformatione semper floruisse non paucos Theologos longè doctissimos licet stipendiis admodum exiguis fruantur. Sed quam præposterum sit eorum judicium qui inde inferunt, amplioribus illis virtutis præmiis, quibus gaudent R. Ecclesiæ Anglicanæ Episcopi aliique *Dignitarii*, quos vocamus, hoc est Decani, Archidiaconi, Canonici, Præbendarii, &c. nihil opus esse ad excitanda, fovenda, juvandaque literarum studia, ex his manifestum fiet. Nam *primo*, debet ea Ecclesiarum Reformatarum Galliæ felicitas Dei Optimi Paternæ Curæ imputari, qui Ecclesiis suis in Medio potentissimorum doctissimorumq; Adversariorum degentibus, viros egregiâ indole præditos subinde suscitat ne eo Ornamento & tutamine destituantur. Deinde operæ-pretium est scire, plerisque celeberrimorum illorum virorum, qui Maximè inter reformatos Galliæ Theologos eminuerunt, non fuisse rem angustam domi. Non fuit *Amiraldo*, &c. multi nati sunt parentibus opulentis, ut *Falcarius*, *Meztrezatius*, &c. multi etiam præterea antiquis & nobilibus familiis orti sunt, ut *Sadeel Baro Chandaus*, *Petrus Molinæus*, *Jacobus & Ludovicus Capelli*, *Samuel & Matthæus Bocharti*, *&c.* ut eos taceam qui adhuc vivunt & florent. Ut de illarum Ecclesiarum Theologis quoque verè dici possit, quod ait Poëta, *Rara est in tenui facundia panno*; Et *haud facile emergunt quorum virtutibus obstat*, *res angusta domi*; licet apud illas, quemadmodum ubivis quandoque nonnulla reperiuntur, quædam fuerint olim & etiamnum sint excellentia ingenia, quæ de meliore luto ficta, trans opposita novercantis fortunæ obstacula omnia strenuè feliciterq; perruperunt. Inde verò haud magis sequitur opibus, ad vitæ necessaria

saria

ſaria faciliùs comparanda, ne earum rerum ſolicitudine occupentur & anxii fiant ſtudioſorum animi, ad libros co-ēmendos, ad inviſendas multarum Regionum Academias, literarum ſtudia non juvari, quam agriculturâ terras feraciores non fieri, quod quibuſdam locis ſpica & arbor una aut altera aliquando ſponte proveniant. Sed nec deſunt, *Tertio*, in iiſdem Eccleſiis pro earum modulo, virtutum & eruditionis præmia, ſcilicet nobiliorum Eccleſiarum Cathedræ & iis annexa ampliora ſtipendia. Ad has pauci admodùm primo ſaltu perveniunt. Sed ſiqui aliarum Eccleſiarum Paſtores eloquentiâ, eruditione, prudentiâ, Pietate emineant, ad illas ab iſtis Synodorum authoritate promoventur. Nec magis ſuperantur annuis reditibus quorumdam Parochorum apùd nos beneficia ab ipſis Archiepiſcopatibus, quam minores iſtæ Eccleſiæ ab illis majoribus. Denique etiamſi omnibus præmiis apud illas Eccleſias deſtituerentur viri excellentes propter inopem earum, conditionem quis niſi qui iniquâ illâ moroſitate, quam dixi, vehementiſſime laboret, inde inferat ubi conſtituta ſunt & haberi poſſunt (ut apud nos) cum nullius injuria, damno aut minimo incommodo virtutis & eruditionis præmia, ea conferri in viros præſtantes non debere, nec eſſe ſtudiorum adminicula & incitamenta.

§ Verum demus nihil propoſitis præmiis opus eſſe ad excitanda, fovenda, juvanda, & ad majorem perfectionem perducenda Sacrarum literarum ſtudia; an non æquiſſimum eſt, ut viris excellentibus, qui ſi aliud vitæ inſtitutum, ſi Juriſprudentiam, ſi Medicinam, ſi Mathematicas Diſciplinas, ſi Mercaturam amplexi fuiſſent, iis naturæ dotibus inſtructi ſunt, ea induſtria præditi, iis literarum ſtudiis exculti, ut dubium non ſit, quin & domi divitias & in Republica honores ſibi comparare potuiſſent, & ſeſe tamen totos Dei gloriæ & hominum ſaluti promovendæ conſecrarunt; et ut ad tantum opus peragendum aut agendum ſaltem idonei evaderent, nec ſumptibus, nec laboribus, nec vigiliis ab uſque primâ pueritiâ pepercerunt, an non, inquam, æquiſſimum eſt, ut ejuſmodi viris condigna meritorum à Principibus & Rebuſpublicis atque ab omnis generis fidelibus pro cujuſq; loco & viribus, ſi iis Dei gloria te propria ſalus apud eos in pretio ſunt, merces conſtituatur. Deinde cum ſacris ſtudiis ſuis, concionibus, ſcriptionibus & offiiciis ita ſint occupati & quanti quanti, toti intenti, ut ne deſint ſuſcepto muneri, eos familiis ſuis deeſſe neceſſe ſit; vel ipſa ſanè humanitas ſuadet, ut non qualiacunque illis conſtituantur præmia, ſed ejuſmodi ut ex iis non modo commodè & honeſtè dum vixerint ſe ſuoſque poſſint ſuſtentare, ſed inde etiam ſuperſtiti familiæ ex hac vita migrantes proſpicere. Quandoquidem autem in Dei gloriam & hominum ſalutem ita eos oportet incumbere ut neç cujuſquam

personam nec sui ipsorum commoda respiciant, necesse est non tantum ut congrua Honoraria illis assignentur, sed ne augendæ minuendæve rei familiaris spe aut metu à suo illo præstantissimo scopo ullo modo in cujusquam gratiam deflectant, ut sint certa stataque, atque ita legibus constituta ut non Pendeant à cujusvis arbitrio, nec demenso suo fraudari possint, etiamsi Sanctâ sua παῤῥησίᾳ in arguendis privatim publicéque hominum vitiis, multorum eorumque potentiorum iram & odium in se concitaverint. Denique ne quod semel alendis Religionis Antistitibus aliisque Sacrorum Ministris ex justis adeo causis assignatum est in alios usus transferri possit, id omne ita Deo Sacrum censeri debet, prout revera est, ut nec ipsis Donatoribus etiamsi maximè expeterent, nedum aliis quibuscunque qui in eas res jus nullum umquam habuerunt, fas sit repetere, sitque Antistitibus & aliis Dei Ministris itidem nefas iis bonis, quorum sunt tantum usufructuarii, non Domini, cedere, & in eorum alienationem quocunq; prætextu consentire. Nam cum Deus Optimus Maximus ab hominibus solenni ritu publice coli, sacroque suo cultui peragendo Ministros præfici velit, atque eos non alio quam famulorum loco habeat, quicquid in eorum usus confertur, sibi ipsi donatum, inque semet ipsum collatum id omne reputat, suumque benignâ illâ acceptilatione facit. Unde consequens est, ea bona verè Sacra, siquando Dei Ministris auferantur, non iis propriè, sed ipsi Deo auferri; esseque ideo non furtum aut latrocinium simplex, sed nefarium sacrilegium, à quo religiosissimè abstinebunt quotquot omnem Numinis metum non prorsus excusserunt.

§ Quæ omnia ipsis Ethnicis hominibus rectæ rationi, æquitati, humanitati, nec non religioni visa sunt adeo consentanea ut Pontificibus & Sacerdotibus suis ubique gentium, maximè verò apud Politiores populos, quales Ægyptii, Græci, Romani, &c. possessiones amplas, certas, sacras, non modo ad suppeditanda vitæ necessaria, sed ad magnificos apparatus, & pompam propè Regiam, concesserint. Quod eruditis omnibus ita notum est, ut nihil opus sit productis Historicorum aliorumque Scriptorum testimoniis. Præterquam quod cum iis hominibus jam nobis controversia est, qui se Ethnicorum exemplis, utut honestissimis, moveri facilè non patientur. Itaque quid à populo Dei omni ævo, hoc est ante legem, sub lege, sub Evangelio, hac in parte præstitum sit videamus. Diu ante promulgatam legem (supra quadringentos annos numerant) *Abrahamus* Decimas omnium divisit *Melchisedeco*, qui erat Sacerdos Dei Altissimi. Quo facto ostendit fidelis *Abrahamus* Dei Ministris Honorarium deberi illudque amplissimum, si ex ea bonorum suorum omnium partequam Melchisedeco impartitus est, quid singuli fideles

fideles pendere debeat, æstimemus. Spectat autem exemplum illud propriè non ad Sacerdotes & fideles sub lege, sed ad utrosque sub Evangelio. *Melchisedecus* enim non *Aaronis* sed ipsius Christi Domini typus extitit, & *Abrahamus* non Judæorum sed Christianorum, nempe filiorum fidei ejus, personam sustinuit. Cùm autem Christus Pontifex noster maximus nullâ re indigeat, quicquid ipsi debetur id omne iis *quos Ecclesiæ dedit Apostolos, Prophetas, Evangelistas, Pastores, & Doctores, ad consummationem sanctorum in Opus Ministerii*, hoc est, omnibus omnium Ordinum & Graduum Evangelii Ministris, ipsius scilicet vices gerentibus, pendi debet.

§ Sub lege portio Sacerdotum & aliorum Ministrorum qui Sacris operam dabant, multo amplior fuit. Nam præter omnium frugum, pecudum & aliarum rerum decimas; omnium frugum primitias, & pecudum Primogenitos fœtus percipiebant. Quin & pretium quinque Siclorum Argenteorum pro redemptione uniuscujusque hominis primogeniti illis pendebatur. Ex quo tributo non mediocris pecuniæ summa in gente numerosissimâ quotannis conflabatur. Præterea nullum immolabatur sacrificium ex quo emolumentum aliquod Sacerdotibus non cederet. Eorum erant ipsorum Holocaustorum tergora. Omnis generis autem oblationum sive pro gratiarum actione, sive pacificorum, sive earum quæ voto & sponte fiebant, partem accipiebant Sacerdotes. Ut Sacerdotum pauperrimum, quod observat *Philo Judæus*, propter eam rerum omnium copiam, divitem videri & revera esse oportuerit. Oppida quoque octo & quadraginta iis concessa cum uniuscuiusque pomoeriis per duo millia cubitorum in circuitu, pascendis pecudibus & in alios usus oppidanis necessarios. Vinum in singula præla, triticum hordeumque in singulas areas; similiter ex olivetis oleum, cæterosque mites fructus ex arboribus percipiebant; *ne contenti necessariis*, inquit idem *Philo*, *durius sustentent, aut delicatiore victu careant, sed hilarius mensis fruantur cum munditie.* Quo autem liquidiùs appareat quàm liberaliter Sacrorum Ministris prospectum sit in hac gente, operæ pretium fuerit scire, quamquam totus populus Israëliticus in Tredecim omnino Tribus dividebatur, vix tamen illius partem decimam sextam constituisse Tribum Levi, prout rectè in eruditissimo libro, cujus Titulus, *Sacrilegium in jus vocatum & damnatum*, Annotavit Vir Reverendus & suo merito Clarissimus *Isaacus Basirius* vigilantissimus Northumbriæ Archidiaconus & Regiæ Majestati à Sacris, is ipse quem ut Doctissimum laudat Clarissimus *Maresius* Groninganus, ob editam sub nomine *I. B. S. S.* Theol. Professoris eruditam Diatriben *de antiquâ Ecclesiæ Britannicæ Libertate, atque de legitimâ ejusdem Ecclesiæ Exemptione*

Libro de præmiis Sacerdotum.

Ibidem.

Maref. Exam. 4. insign. quæst. 1. sect. 17.

Exemptione à Romano Patriarchatu. Observatione etiam digna sunt
Ibidem. quæ habet jam laudatus Philo Judæus, 1. "Quamvis Tribus Divino "cultui destinata proprios agros quos excoleret, in Divisione terræ "sortita non sit, aliâ tamen ratione prospectum ei honorificentiùs, "nempe ut sine labore suo vivat ex primitiis & oblationibus; Ex quo "liquet, *inquit*, juxta legis judicium Sacerdotes honore & Majestate "æquiparari Regibus; quandoquidem illis tanquam Principibus con"ferri tributa imperat. Quod fit longe aliter quam in cæteris civi"tatibus, sub Dynastis degentibus. Gementes enim & coactæ vix "tandem conferunt perosæ Quæstores seu pestem publicam, nunc hæc "nunc illa causando. At gens Judæorum Sacerdotibus debitam pe"cuniam libens gaudensque depromit, quasi non daret, sed acciperet, "addens faustas ominationes & gratiarum actiones populariter, idque "quotannis, nec viris cessantibus, nec mulieribus, sed alacritate "spontanea, quanta nullis verbis exprimi potest, conferentibus. "2. Ne quis è conferentibus exprobraret accipientibus suum benefi"cium, jussos fuisse prius in Templum deferre munera, ut inde ea "demum desumerent Sacerdotes. Decebat enim pro divinis beneficiis "largissimis, aliquam ex rebus victui necessariis delibari gratiam: "Authorem verò eorum, cum ipse nullâ re egeat, ista largiri Tem"pli Ministris & Sacrorum Curatoribus. Quisquis autem non ab "hominibus sed à Deo nunquam non in omnes benefico munus acci"pit, salvo pudore accipit. 3. Cùm jubentur homines primitias "omnium offerre in usus Sacerdotum, eo pacto etiam offerentium "pietati prospici. Dum enim assuescunt alimenti partem Deo deci"dere, nunquam in ejus oblivionem veniunt; quare nihil in vita po"test contingere felicius homini. 4. Cum tot præmia Sacerdotum "Ordini decreta sint, siquis eorum honestè vivens & sine crimine, "egeat, vel tacitum, populo legum contemptum exprobrare. Nam "si eorum jussis, *inquit*, pareremus & oblationes debitas in quem "oportet usum verteremus, haberent illi non solum victum necessa"rium, verum etiam cætera delicatioris vitæ subsidia. Contra verò "victus Sacerdotum lautior argumentum evidens esse potest, pieta"tis publicæ & legum semper diligentissimè servatarum. Jam verò ne tantæ opes temerè & ex superstitione potius quam ex vero pietatis impulsu, & recta ratione & æquitate in Sacrorum Ministros erogatæ dici possint, meminisse oportet, non alium quam Deum ipsum illius instituti authorem extitisse. Jussit enim ea omnia sibi offerri, oblata verò in Ministrorum suorum usus jure perpetuo concessit. *Locutus*
Numer. 18. 8. & 1. 19. *est Dominus ad Aaron; Ecce dedi tibi custodiam primitiarum mearum. Omnia quæ sanctificantur à filiis Israël tradidi tibi & filiis pro officio Sacerdotali legitimo sempiterno. Omnes Primitias Sanctuarii,*

quas

quas offerunt filii Israël Domino, tibi dedi & filiis ac filiabus tuis jure perpetuo. Filiis Levi dedi omnes decimas Israëlis in possessionem pro Ministerio quo serviunt mihi in Tabernaculo fœderis. Videant hic tetrici nostri siquid vident, iniquitatem temeritatemque suam, qui bellè cum Dei Ministris agi putant, si precariò cum familiis suis victitent ex incerto stipendiolo ad plebis arbitrium, & tantum cibum ostiatim non emendicent, & fame non enecentur. Utinam & ingratum animum agnoscant & mentem sacrilegam. Iniqui sanè sunt qui operariis mercedem quâ digni ab æquissimo Deo habiti sunt, abjudicant; temerarii qui quos sapientissimus Deus ex optimis terræ frugibus & aliis alimentis quasi hæreditariis, idque non illiberaliter, vesci voluit, iisdem quibus aluntur servi vilissimæque operæ, opsoniis nutriri, iisdem vestibus, iisdem tectis uti debere, idque ad aliorum arbitrium, pronunciant. Ingrati quibus pro tot tantisque beneficiis quæ Deus in ipsos contulit confertque indies, tam modicam gratiam referre grave est; Sacrilegi denique, qui aut detinent quod Deo in Ministrorum suorum usus à Viris piis oblatum est; aut aliis Authores sunt ut detineant aut quocunque prætextu & colore adimant.

§ Superest ut quid in Christi Ministrorum usus à fidelibus sub Evangelio erogatum sit aut erogandum fuerit dispiciamus. Nam longè aliter rem se habuisse, sub hac tertia dispensatione habereque debuisse aiunt, Apostolorum præsertim temporibus, unde exemplum sumendum, non autem à Judæorum institutis; neque enim valere consequentiam àb istis ad Ecclesiæ Christianæ politiam, propter diversam utriusque dispensationem. At S. Paulo, ut ab hoc errore refutando incipiam, visa est valere consequentia. *Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt? Et qui altari deserviunt, cum altari participant. Ita & Dominus ordinavit iis qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere.* Christus etiam Duodecim Discipulos mittens ad Evangelizandum, vetat eos sibi pecuniam, binas tunicas, aliave in viam sibi comparare, non modo quo sint in defungendâ quæ ipsis demandata erat, provinciâ, expeditiores, sed quia *dignus est operarius cibo suo*, id est omnibus ad vitam necessariis & commodis. Æquivalet enim cibus auro, argento, pecuniæ, duabus tunicis, &c. quæ omnia Evangelii Ministris suppeditare ex Christi sententiâ tenentur ii apud quos funguntur Sacro suo Ministerio. Ac disertis verbis testatur S. *Paulus*, loco jam allegato, sibi Barnabæque cibum potumque hoc est alimentum & quæ ad vitam commode sustentandam spectant, deberi à fidelibus, quibus operam dabant in Evangelii Ministerio; nec id tanti esse si *eorum carnalia metant, quibus spiritualia seminaverint.* Absit verò, inquiunt, ut

[Margin notes: 1 Cor. 9. 13, 14 — Matth. 10. 10. — 1 Cor. 9. 4, 5. — *Ibid.* v. 11.]

Christi

Christi Ministris cibum denegemus modo frugalem & modicum. Neque nos immodicum, modo nec tenuem nec miserum, sed commodum honestumque, atque statui Reipublicæ in quâ vivitur, Ecclesiæque conditioni congruum eis deberi & convenire contendimus. Ut in afflicto Ecclesiæ aut Reipublicæ statu, Christi Ministros abundare, sic utraque florente, ubi abundant reliqui cives, eos solos egere, aut copiosioris rerum usus participes non fieri, perinde absurdum est. In deserto Sacerdotes & Levitæ Manna cum populo vitam sustentarunt, & aquas ex sequente petrâ profluentes biberunt. Postquam verò in possessionem terræ ingressus est populus Israël, quemadmodum iis, authore Deo, prospectum sit vidimus. Unde quo modo cum Ministris suis sub Evangelio agi velit facile cognosci potest; nempe pro statu Ecclesiæ. Idque innuunt hæc Sancti Pauli (Galat. 6. 6.) *Communicet is qui catechizatur verbo ei qui se catechizat in omnibus bonis*, hoc est, in paucis si pauca, in modicis si modica, in multis si multa possidet. Certè nulla ratio afferri potest cur tenuioribus incertioribusque stipendiis contenti esse nunc sub Evangelio debeant, prosperis Ecclesiæ rebus, quam olim sub lege. Neque enim verisimile est, æquissimum Dominum, Ministris suis melius prospectum voluisse, cum eorum ministerium fuit minus nobile, minus utile, minusque laboriosum. Ministerium autem Evangelicum Sacerdotio Aaronico longè excellentius esse; ex illo quam ex isto fructus uberiores Ecclesiam percipere, atque majores multis modis eorum labores qui illo funguntur, nemo negaverit. Unde Martinus Bucerus Comment. ad Galat. 6. 6. *In Vetere Testamento*, inquit, *alebantur Ministri verbi ex Decimis & Sacrificiis, & sic ex optimis bonis; quanto magis Ministri Evangelii ex optimis alendi sunt?* Ideoque omni ævo ab ipsis prædicati Evangelii primordiis, si hanc seculorum fæcem excipias, fideles pro viribus, in Christi Ministros fuerunt liberales & munifici. *Neque sanè fieri potest*, ut habet Calvinus ad jam allegatum Apostoli locum, *si verbum habetur in pretio, quin Ministri quoque honestè & liberaliter tractentur.* Ex eo quod narrat S. Lucas Act. 4. 34, 35. fideles *quotquot possessores agrorum & domorum erant, vendentes pretia eorum attulisse & posuisse ante pedes Apostolorum*; clarum est eos Apostolorum necessitatibus abundè prospectum voluisse, cùm ne cæteros quidem fideles egere passi sint, & eorum quæ in communem Ecclesiæ usum erogabant, dispensationem iis commiserint, ut dividerent singulis quantum unicuique opus erat. Qui mos, ut Episcopis crederetur commune ærarium Ecclesiæ, unde sibi sumerent, & aliis Ecclesiæ Ministris ut & pauperibus necessaria distribuerent, diu in Ecclesia obtinuit. Quantum in Sanctorum Apostolorum & aliorum Christi Ministrorum usus præcisè

Calvin. ad Galat. c. 6. 6.

erogatum

erogatum sit nusquam legimus. Sed quæ ab Ecclesiis acceperunt Honoraria, pro earum conditione prompta, tempestiva, amplaque fuisse dubium non est, si cæteræ Philippensium Ecclesiam imitatæ sunt. Philippenses enim ad S. Paulum etiam absentem & apud alias civitates Evangelium annunciantem, miserunt adeo liberaliter, ut acceptis ab *Epaphrodito*, quæ per eum miserant, *abundaret*, & *repleretur*; prout disertis verbis testatur. Philipp. 4. 18. ubi (ut obiter hoc annotem) subsidium quod ab eis acceperat, dicit *fuisse odorem suavitatis; hostiamque acceptam & placentem Deo.* Quod imprimis observandum ut sciant fideles, Deo proprie offerri, eique non secus atque olim sub lege sacrificia, acceptum esse quicquid in Ministrorum suorum usus confertur. Extat apud *Eusebium Dionysii* celebris illius Corinthiorum Episcopi, qui seculo Apostolorum proximo floruit, ad Romanos, Epistola, ex qua liquet Ecclesiæ Romanæ Episcopis eam fuisse ab initio rerum copiam ex fidelium oblationibus, ut non modo pauperum, sed etiam advenarum & ad metalla damnatorum, imò aliarum per cæteras orbis partes Ecclesiarum necessitates sublevaverint. Quæ postquam Dionysius enarravit; "Beatus verò Episcopus vester Soter, *inquit*, non solum servavit quæ Patres tradiderunt "sed & auxit in melius; ut qui non tantum Sanctis quæ usus corporalis poscit, impertiat, verum & advenientes fratres mitissimo soletur alloquio, & se tanquam pium & Religiosum patrem singulis "exhibeat. Ex B. Cypriani Epistolarum locis variis, manifestum est Ecclesias bona possedisse, quæ ex Episcoporum sententiâ inter Ministros dividebantur. Domos etiam, agros, prædia statim possederunt Ecclesiæ, si Pii & Urbani Epistolis fides habeatur. Sed seu possederint seu secus, primis illis prædicati Evangelii temporibus parum interest. Possedisse saltem circa medium seculi tertii, vel ex *Pauli Samosateni* Antiochensium Episcopi Historiâ constat. Cùm enim fuisset ob hæresin excommunicatus & exauthoratus, nec tamen domo, quæ Ecclesiæ erat, cedere vellet, ex ea pulsus est ab Imperatore Aureliano, cujus opem licet à Christo alieni imploraverat Ecclesia. Idem constat ex Imperatoris *Maximini* Edicto, quo constituit, "ut si quæ Domus aut prædia ad jus Christianorum antea "pertinentia jussu superiorum Imperatorum ad jus Fisci, aut a civitate quâpiam occupata vel alias divendita, vel denuo cuipiam tradita, ea omnia ad priscum Christianorum jus revocentur. Ea autem non de Privatorum sed de Ecclesiæ rebus intelligenda esse ostendunt quæ habentur in *Constantini* & *Licinii* constitutione eodem pertinente, cùm nondum *Constantinus* Idolorum cultui nuncium remisisset. "Et quoniam ipsi Christiani, *inquiunt*, non solum ea loca in quibus convenire consueverunt; sed & alia quædam peculiaria, non

Euseb. Eccles. Hist. l. 4. c. 23.

Cyprian. Epist. l. 4. Ep. 5. & l. 1. Ep. 7.

Euseb. Hist. Eccles. 7. c. 10.

Idem l. 9. c. 10.

"singulis privatim, sed juri societatis ipsorum competentia habuisse "cognoscuntur, omnia illa secundum legem cujus mentionem fecimus "rejectâ omni hæsitatione, ipsis Christianis, hoc est, cuilibet socie-"tati ac Synodo illorum restitui jubemus. Sed postquam *Constantinus* ad Christum accessisset, florentibus Christianorum rebus, auctæ sunt quoque illius aliorumque Virorum Magnorum & opulentorum munificentiâ per universum imperium, res Ecclesiæ. Martyrum sine liberis aut aliis hæredibus defunctorum bona omnia quæ ad fiscum pertinebant, in Ecclesiæ ærarium inferri; ex publicis civitatum Vectigalibus, & aliis tributis, certam summam in Ecclesiarum uniuscujusque loci usus pendi, idque lege latâ perpetuum esse; ex idolis pretiosioris materiæ divenditis conflatas pecunias Ecclesiis addici; & ut per alios suppleret quod ipse solus præstare non poterat, unumquemque decedentem quantum vellet bonorum suorum Ecclesiæ testamento relinquendi licentiam habere jussit pientissimus Imperator. Piam *Constantini* munificentiam imitati sunt suo quisque tempore, pro rerum suarum statu, qui ei Successerunt Christiani Imperatores aliique fideles. Non minus liberaliter prospectum est Christi Ministris post dissipatum imperium ab aliis Principibus, ut & in reliquis orbis terrarum regionibus, sic religione, æquitate, humanitate dictantibus. Sunt qui collatas in Ecclesias donationes multis in locis, modum excessisse putent, nec reclamo. Est enim modus servandus in omnibus rebus. Et testatur Scriptura Sacra filios Israël tantum omnis generis munerum copiam ad Sacri Tabernaculi constructionem ultro contulisse, ut *Moses* ab artificibus monitus, plus offerre populum quam necessarium esset, *Præconis voce vetuerit, ne vir aut mulier quicquam amplius offerret in usus Sanctuarii.*

Euseb. l. 2. de vita Constantini. Lib. 1. c. 8. & l. 5. c. 5. Idem. l. 2. c. 5. Cod. l. 1. s. 2. de sacro sanctis. Eccles. l. 1.

Exod. 36. 6.

§ An antiquis temporibus & quantum in hoc inclyto Angliæ Regno ea in parte peccatum fuerit, non requirit instituti mei ratio ut jam inquiram. At nunc ne minimum quidem peccari certo scio. Multo gravius bonorum Ecclesiæ Sacrilegâ direptione, quam Ecclesiarum immodicâ dotatione tum in his tum in aliis Protestantium terris superiore seculo peccatum esse omnes norunt. Id jure sanè quidèm mireris cur, cum cæteræ Israëlis Tribus bona sua cuncta, sive Privati sive Publici juris sint, singulæ intacta possideant nec sine furto illa ab iis auferri posse vulgo credant, unius Tribus Levi opes, quas Deus sibi Sacras esse voluit, primi occupantis prædæ expositæ sint, idque quasi ludus habeatur. "Huc *inquit Zuickius*, ventum vide-"tur (quod tamen non sine gemitu dixerim) ut magna nostrorum pars "credat tum demum vere Regnum Antichristi evasisse, si cum bonis "Ecclesiæ ludant pro arbitrio; Erat *Zuickius* Reformatæ Ecclesiæ Constantiensis Pastor. In eundem abusum vehementissimè quoque declamabat

Calvin. Epist. l. p. 43.

declamabat *Lutherus*; " Horrendissimum malum hoc (*inquit*) " nempe ut justis stipendiis fraudentur Christi Ministri, Satan vehe- " menter urget per impios Magistratus in civitatibus & nobiles in " Rure, qui bona Ecclesiarum ex quibus Ministri debebant vivere, " rapiunt, Deinde excusationes & prætextus amoliens; " Sint illa " Papæ bona, *inquit*, per meram imposturam coacervata, tamen " Deus spolians Ægyptios, hoc est Papistas suis bonis, transfert ea " in locis nostris in pium usum; non quando nobiles rapiunt & trans- " ferunt in abusum, sed quando ii qui gloriam Dei annunciant, inde " aluntur. Anno 1578. Decrevit Ecclesiarum Reformatarum Bohemicæ, Augustanæ & Helveticæ Confessionum per Poloniæ Regnum, & Magnum Ducatum Lithuaniæ, dispersarum Synodus Generalis *Petricoviensis, Decimas cæteraque bona Templis Dicata, à Dominis Patronis Deo, Ministris & Usibus Ecclesiæ fideliter reddenda, si conscientiâ & famâ bonâ in domo Domini frui vellent.* Helveticæ Ecclesiæ in confessione suâ, & quotquot eam amplexæ sunt, de bonis in Ecclesiarum & Ministrorum usus concessis, sic loquuntur. " Opes habet " Ecclesia Christi ex munificentia Principum ac liberalitate fidelium; " qui facultates suas Ecclesiæ donarunt; opus enim habet Ecclesia fa- " cultatibus, & habuit ab antiquo facultates, ad res Ecclesiæ neces- " sarias sustinendas. Si verò opes Ecclesiæ per injuriam temporum " & quorumdam audaciam, inscitiam aut avaritiam translatæ sunt in " abusum, reducantur à Viris Piis ad Sanctum usum, neque enim " connivendum est ad abusum maximè sacrilegum. *Johannes Knoxus* & socii, Scotorum Procêres qui Ecclesiæ & Monachorum bona in suos usus converterant, " Non audemus, *inquiunt*, vobis assentari, sed " vestrarum nostrarumque animarum saluti consulentes, ne scilicet " peccent, expetimus ut omnia Monachorum & aliarum mortifica- " tionum bona Ecclesiastica restituantur Ecclesiæ. Moribundus autem, cum Synodo Nationali Sterlini celebratæ præ morbo interesse non posset, hortatur Comministros cum eorum conatibus adversus Pontificios Deus benedixerit, ut jam conjunctis viribus, Sacrilegos Ecclesiarum direptores strenuè adoriantur, felicem iis ominans successum. Apud *Calvinum* multa occurrunt unde cognosci potest quàm latè grassata sit ista sacrilega lues; quantumque ab eâ illius animus abhorruerit. " Ego vero, *inquit*, siqui replendis suis crumenis Ec- " clesiæ bona prædati sunt, non excuso. Et libri nostri, quantopere " abhorreamus ab ejusmodi sacrilegiis, diserti sunt testes. Et alio loco, ad Pontificiorum objectionem adversus Protestantes Sacri Imperii Principes, nempe eos " Patrimonium Christi & Ecclesiæ con- " secratum ad se rapuisse, respondet primo, se cum illis sentire sacri- " legium esse, Ecclesiæ facultates in alienos usus convertere; Deinde

Lutherus Comment. ad Galat. c. 6. 6.

Synod. Petric. conclus. 9. Cap. 28.

Fratrum Scotorum Disciplinæ. l. 1.

Knoxii Histor. Ecclesiastica.

Calvin. Opusc. l. de scandalis.

Ibid. de necessitate Reform. Eccles.

excusatis non a toto, sed à tanto, Principibus, "Quod in eos tantum "usus non impendantur, *inquit*, Ecclesiæ reditus, quibus sunt dedi- "cati, mihi displicere profiteor. Mecum etiam id gemunt omnes "boni. Fuisse etiam apud Gallos Reformatos ejusmodi Harpyias, in iis locis in quibus adeo generalis fuerat omnium ad Reformatam Religionem conversio, ut non amplius Sacra Romano ritu ibi celebrarentur, ex hoc Synodi *Figeacensis* Decreto manifestum est. "Reformati qui invaserunt Decimas quas Ecclesiastici Pontificii percipere solebant, monebuntur, ut eas omnino impendant in bonos "usus, veluti ad stipendia Ministrorum & sustentationem institutionemque studiosorum, ut qui sint Seminarium Ecclesiæ, non in "quæstum privatum, sub pœna suspensionis à cœna Domini, si huic "justo rationique consentaneo monito sese morigeros non præbeant. Quæ omnia ostendunt, ut sacrilegis deprædationibus Spoliatas passim Reformatas Christi Ecclesias; sic earum Doctores ad *abusum maximè sacrilegum*, prout à Confessionis Helveticæ sociis rectè vocatur, non connivendum duxisse, sed libere prout Viros bonos decebat, ubique gentium reclamasse. Ut mirer Hierarchicis Anglicanis quasi non communem Ecclesiæ & omnium Christi Ministrorum, sed suam tantum causam agerent, à quibusdam imputari quod soli inter Reformatos bonorum Ecclesiasticorum translationem ad usus seculares, pro sacrilegio habeant.

Acta Synod. Nat. Figeac. an. 1579. artic. 24.

§. Haud propitiore fato, regnantibus Henrico VIII. & Edvardo VI. usam esse Ecclesiam Anglicanam testis est vel hæc Calvini vox. "Est "inter alia malum quoddam incurabile donec Rex *Edvardus* sui juris "esse cœperit, quod toti Ecclesiæ proventus à Proceribus vorantur; "quod malum ad Cranmerum scribens dicit esse intolerabile. Serenissi- "mæ Elizabethæ Regnum non fuit ab eo malo prorsus immune. Sub *Henrico* ipsæ Ecclesiarum Decimæ, quibus sustentàri debent Parochi, lege latâ alienatæ & Viris Laicis attributæ; vix relictâ earum portiunculâ quæ ad tenuissimum Parochorum victum sufficiat. Cui deplorando Ecclesiæ nostræ malo, nullum hucusque adhibitum est remedium. Episcopatus autem opimioribus prædiis aliisque reditibus spoliati sunt; atque in speciem compensationis Ecclesiarum Decimæ, quæ ad Abbatias prius pertinuerant, eorum nonnullis concessæ, ut tenui etiam stipendio earum Ministros contentos esse oportuerit. Simili ratione actum cum Canonicorum Collegiis. His modis Episcoporum Dignitariorumque opes mirum quantum imminutæ. Nam prætérquam quod multa latifundia nullâ factâ compensatione iis adempta sunt, quodque Decimæ iis attributæ prædiorum proventus haud adæquarunt; Parochorum portiones uti par erat ab iis auctæ sunt, ne deficerentur Ecclesiæ Ministri, necessariis. Qua ratione tenuiores adhuc

Calvin. Farell. Epist. l. p. 257. Ibidem. p. 136.

adhuc facti eorum omnium reditus post restitutum Regnis suis Serenissimum Regem. Cùm enim per universum Angliæ Regnum, sicut per omnem ferè Europam, aucto rerum pretio auctæ essent omnis ordinis & conditionis hominum expensæ, à Regiâ Majestate ex quorumdam Episcoporum Consilio, Ecclesiæ Ministris benigne prospiciente significatum esset, sibi æquum videri (quamquam eâ de re legem nullam tulit) ut eorumdem Parochorum augerentur Stipendia, prompto & alacri animo à Revendis Episcopis & Canonicorum Collegiis obtemperatum est, quamquam non absque memorabili fortunarum suarum & successorum dispendio. Quartam propemodum redituum suorum partem R. Decanum & Canonicos Regii *Windsoriensis* Sacelli in eam rem impendisse, ut de re mihi compertâ, cùm me, licet immerentem, in eorum Collegium cooptari voluerit Rex Serenissimus, testari possum. Quod si pari ratione ab aliis Canonicorum Collegiis atque Reverendis Episcopis, cum Ecclesiarum sibi addictarum Parochis actum sit, quà de re nullus dubito, hinc duo manifestò consequuntur; Prius Parochis, quorum Ecclesiæ Episcoporum aut Decanorum & Capitulorum juris sunt benignè prospectum; posterius utrorumque reditus eâ ratione multum esse imminutos. Ut nunc nimii invidendique esse non possint. Adeo nimiæ non sunt & ad pompam luxumque atque mensæ lautitias comparatæ Reverendorum Episcoporum nostrorum opes, ut dimidia pars eorum annuos reditus ad honestam Religionisque Antistitibus in Regno Christiano atque opulento viventibus dignam sustentationem non habeant. Quin tenues adeo sunt aliquot horum Episcopatuum proventus, ut referre pudor prohibeat. Longè certè præstant multorum Sacerdotiorum seu Beneficiorum Decimæ. Cæterorum verò quorum opes ampliores sunt, non nisi necessaria ad sumptum mediocrem honestumque (qualem facere tenentur pro more gentis) maximam partem suppeditant. Duorum Archiepiscopatuum ut & trium quatuorve Episcopatuum duntaxat reditus habentur amplissimi. Sed ampli adeo non sunt ut non plurimi non modò Regni Proceres ac Magnates sed infimi ordinis Equites, imò & Generosi passim in hac gente duplo amplioribus gaudeant. Unde eorum facilis est æstimatio; Et certè vel ex hoc judicabunt cordati omnes ne Archiepiscoporum quidem aut trium quatuorve illorum Episcoporum opes tantas esse, ut cujusquam invidiam illis creare jure queant. Siquis sit rerum nostrarum adeo curiosus, ut quanti sint singulorum Archiepiscopatuum quidem Episcopatuumque annui reditus, cognoscere cupiat, adeat *Goodwini* Herefordiensis Episcopi librum de Præsulibus Anglicanis; tantùm meminerit, eos esse prout jam annotavimus, multum imminutos, ex quo facta est illa eorum æstimatio, quam sequitur Herefordiensis.

§ Sed

§ Sed operæ pretium fuerit observare quod quamvis latifundia aliaque prædia satis ampla ad Episcopatus pertineant, pleraque omnia ex antiquâ consuetudine ac quasi præscriptione, partim viris Nobilibus, partim è plebe hominibus in multos annos iis conditionibus esse elocata, ut non minorem imò multo majorem inde quæstum percipiant conductores, quam ipsi Episcopi. Singula Episcopatuum prædia certam pensionem annuam debent Episcopo, quæ pensio potest augeri, imminui nunquam potest; Et si semel ab aliquo Episcopo aucta fuerit, à successore minui nequit; sed semper augeri, idq; pro ratione annui valoris quantumlibet in gratiam Successorum. Pensiones illæ olim ante emendatam Religionem ad decimam fructuum partem vulgò accedebant; Exinde autem multum auctæ sunt auctis scilicet Episcoporum oneribus. Pro novem reliquis partibus conductores certam summam numerabant quod & nunc fit. Prædia autem tunc elocabantur in quinquaginta, septuaginta aut plures annos prout Episcopis videbatur, modo infra centum; unde plerique quo majorem summam sibi conflarent, ea in nonaginta novem annos elocabant, ante Regnum Serenissimæ *Elizabethæ.* Edixit autem lege latâ Princeps maximâ ne in plures quam unum supra viginti annos aut trium hominum vitas in posterum elocarentur prædia Ecclesiastica, sive ad Episcopatus sive ad Canonicorum Collegia, sive ad alias Dignitorios pertinerent. Conductionis in trium hominum vitas conditio hæc est, (ne id non intelligant exteri in quorum gratiam maximè hæc scribuntur) ut eâ lege conducto prædio fruar, quamdiu *Titius*, *Mevius* & *Sempronius* vixerint, quibus vitâ functis redit prædium ad Dominum seu potius pro tempore ad usufructuarium. Sed neque valent ejusmodi locationes nisi reservatâ annuâ pensione quæ incumbenti seu actuali possessori solvatur. Quemadmodum vero post elapsos annos septem conductionum in annos viginti & unum, scribi potest novus locationis codex in eundem annorum numerum, modo unius anni fructuum reditus integer, (exceptâ pensione annuâ) numeretur; sic *Titio*, aut *Mevio*, aut *Sempronio* mortuo, potest eâdem lege (aut prout convenerit inter conductorem & prædii Dominum, seu potius usufructuarium; usufructuarii enim sunt non Domini prædiorum Ecclesiasticorum Episcopi aliique Christi Ministri) *Lucius* suffici novo scripto codice. Manifestum est Edictum Elizabethæ in gratiam successorum conditum esse ad tollendos abusus superiorum temporum. Sed cum eo Edicto fas esset prædia Ecclesiastica in tot annos Coronæ elocare, in quot ante Reformationem quibuslibet elocabantur, quâ ratione in eosdem abusus prolabi facile fuit, in fraudem successorum, Coronæ privilegium illud lege latâ rescindi jussit Serenissimus *Jacobus*. Quæ si lector contulerit cum iis, quæ *Samueli Sorberio* hæc de re fabulari

Sorbiere Voyage d'Angleterre.

fabulari placuit, facile deprehendet eum toto, quod aiunt, Cœlo aberrare, cum scribit ab Ecclesiæ Anglicanæ Præsulibus, ex quo Reformationem amplexi sunt, elocationibns æquo longioribus, Episcopatuum prædia expilari in fraudem successorum; Vitio scilicet quod Prælatorum Pontificiorum fuit, illis imputato, & ab Ecclesiâ nostrâ ex quo Romæ nuncium remisit, demum profligato. Siquis quærat cur ejusmodi, prædiorum Ecclesiasticorum locationes in annos XXI, & in trium hominum vitas, adhuc obtineant, cum eo pacto Episcoporum Dignitariorumque reditus fiant longè tenuiores; Respondeo non deesse ejus rei causas idoneas. *Primò* enim iis assuevit jam â multis seculis populus Anglicanus. Consuetudinem autem, maximè si in multorum commodum cedat, quam legem abrogare longe difficilius est. Non potuerunt itaque eæ locationes non continuari in gratiam conductorum: sed ad minorem annorum numerum redigi debuerunt; quod ab Elizabethâ factum videmus. 2. Licet eâ ratione imminuantur Episcoporum Dignitariorumque annui proventus, cùm tamen facilius certiusque statis temporibus solvatur pensio modica, quæ reservari solet, quam si colonus omnium fructuum pretium integrum quotannis penderet, in eo est non condemnanda commoditas, quâ aliquantum compensatur lucrum illud cessans. 3. Cùm præter reservatas pensiones annuas, ex quibus vivendum, adeoque vivitur, accedunt ex novis conductionum codicibus novæ summæ, inde facilius quam ex quotidianâ parsimoniâ, uberiusque suppetit unde (quod imprimis præstare tenentur) ædes Episcopales, atque Ecclesiæ Cathedrales sartæ tectæ serventur, & dilapsæ instaurentur; inde etiam suppetit unde futuræ superstiti familiæ melius prospiciatur.

§ Verum quantæ quantulæve sint R. Ecclesiæ Anglicanæ Episcoporum opes, videamus, quod maximi momenti est, in quos usus eas impendere soleant, unde manifestum fiet quam immerito ab Adversariis aliisque, eorum calumniis deceptis, Pompæ secularis, luxusque postulentur. Versatur pompa omnis luxusque, vel in Palatiorum & supellectilis Magnificentiâ, vel in vestium & Carpentorum splendore, vel in mensarum lautitiis, vel in numeroso famulitio, vel in apparatu venatico aut rebus ejusmodi. Ridebor à nostratibus, ab ipsis etiam Adversariis, si operam impendam in iis refutandis qui non verecundantur affirmare à Reverendis Episcopis nostris opes Ecclesiasticas, in alendis canum venaticorum catervis consumi, tempusque in venationibus teri. Vixque fides adhiberetur asseveranti ex me quæsitum esse, an verum esset quod vulgò ferebatur de Episcopis Anglicanis, eos scilicet venationibus, Abbatum Pontificiorum instar, quotidie oblectari; ni authorem quæsiti calumniæque testem omni exceptione majorem producam. Is est igitur vir ingenio omnique virtutum genere

nere atque imprimis ſincerâ miniméque fucatâ Pietate præſtantiſſimus; quem probi eruditique omnes omnium ordinum, Pontificii perinde atque ipſi Reformati amant, conſulunt, ſuſpiciunt, ac venerantur; in cujuſque amicitiâ maximè gloriari ſoleo, VALENTINUS CONRARTUS Regis Chriſtianiſſimi Conſiliarius & à Secretis. Ex quo ſubridens, viciſſim quæſivi num jocaretur, an verò ſeriò ageret? Cui reſpondenti, ſeriò, cum id ex multis audiviſſet, nihil aliud repoſui, quam Reverendos Epiſcopos noſtros perinde venationem exercere atque olim *Meztrezatium*, & *Falcarium* aut nunc *Dallæum* aut *Drelincurtium*, aut *Claudium*, illos nòn ita pridem, iſtos jam Pariſienſium Reformatorum Reverendos Paſtores; nec melius eſſe ad venandum comparatos. Sunt enim plerique ætate provecti, omnes viri graves, literarum ſtudia in deliciis habentes curiſque Epiſcopalibus indeſinenter occupati atque toti detenti. Eorum veſtitum communem, ornatumq; Eccleſiaſticum Capite XV. deſcripſimus, unde liquet quam abſint viri Reverendi hac in parte ab omni ſplendore ſeculari. Ordinario veſtitu non differunt R. Epiſcopi & eorum ſacellani aliive Eccleſiaſtici, niſi quod gravior modeſtiorque ſit plerumque Epiſcoporum habitus. Ædes incolunt, plerique amplas ſanè & commodas, quales à Majoribus extructæ ſunt, qualeſque decent eorum locum & dignitatem cùm in Eccleſiâ, tum in Republicâ; Neque enim æquum viſum eſt, ut diruerentur veterum Epiſcoporum domus. Quin ab iis expectatur, ut illas aut vetuſtate collapſas, aut ab impiis hominibus everſas, prout nuper multis locis accidit, rebellantibus Schiſmaticis, denuò inſtaurent. Qua in re ſatis laudari nequit Reverendorum virorum D. *Johan. Coſini* Dunelmenſis, & D. *Georgii Morleii* Wintonienſis Epiſcopi munificentia, qui pecuniam ex novis conductionum prædialium codicibus conflatam, in eos alioſque pios uſus, maximam partem impendere quam in proprios convertere maluerunt. Aliorum taceo munificentiam, cum horum mentio ſatis ſit ad exemplum. Superius dixi plerorumque Epiſcoporum noſtrorum reditus eſſe admodum tenues aut ſaltem mediocres; Eos itaque aut pretioſiore ſupellectili, aut Carpentorum ſplendore, aut menſarum lautititiis, aut numeroſiore famulitio, pompam luxumque ſecularem imitari nemo prudens judicabit. Eorum familia ut ab hoc incipiam, uno conſtat Sacellano, qui ſolet eſſe Theologus eruditus ac prudens ut in multis auxilio ſit Epiſcopo; uno Secretario, qui plerumque juris utriuſque peritiâ pollet, & uno famulo à cubiculo. Habent præterea ſinguli rerum ſuarum procuratorem, ne ſcilicet rei familiaris curâ nimis diſtrahantur. Multi nullos habent à pedibus ſervos. Plures qui habent, uno contenti ſunt. Quidam Carpentis non utuntur niſi conductis. Qui propriis, non ſplendidis, ſed modeſtis admodùm, utuntur,

qualibus uti solent quique modestioris cujusvis ordinis homines, quorum opes ferunt ut Carpentis vehantur. Nihil enim Carpentis communius in Angliâ. Cibo frugaliore aut lautiore utuntur pro opum, locorum, ac convivarum ratione. Tenentur enim hospitalitatem exercere, & Clericos aliosque Diœcesanos à quibus invisuntur, convivio benignè excipere, alioquin avari sordidique habentur. Sed frugales sunt ut plurimum, eorum mensæ quantum per morem gentis quæ cibo copiosiore uti solet, conceditur. Numerosiores sunt aliquanto Archiepiscoporum, Episcoporumque Londinensium, Dunelmensium, ac Wintoniensium quam cæterorum Episcoporum familiæ; nempe pro loci, dignitatis redituumque ratione. Singuli duos habent Sacellanos. Ii præter necessarios famulos, solent etiam nonnullos virtute & eruditione præstantes viros alere & familiares habere, additâ etiam pensione. Sed nec Ephebos habent honorarios nec à pedibus servos duobus plures quod unquam viderim. Ut autem scias eos nec luxu diffluere, nec in vanos sumptus opes Ecclesiasticas dilapidare ac profundere, operæ pretium fuerit hic commemorare quantum à nonnullis in usus pios publicosque erogatum sit, ex quo Ecclesiis suis restituti sunt. Non modò collapsas Episcopatuum suorum ædes instaurarunt in successorum gratiam: quod à viris admodum Reverendis *Cosino Morleioque* aliisque factum supra diximus; & sacella nitidi splendidique operis extruxerunt: quod præ aliis præstitere ad æternam nominis sui gloriam idem Reverendus *Cosinus* Dunelmensis *Auklandiæ* quæ sedes est Episcoporum Dunelmensium, & R. *Wrenus* Eliensis in studiosorum Hospitio seu Collegio Cantabrigiensis Academiæ quod vulgò Pembroke-Hall dicitur; sed ingentem Captivorum numerum ex Turcarum manibus omnes collatis Symbolis redemerunt; Gerontotrophia & Cherotrophia multi extruxerunt & dotarunt, Scholas instituendæ juventuti erexerunt, in Academiis Pensiones annuas perpetuas alendis studiosis creaverunt. Quæ omnia ab eodem Reverendo *Cosino* egregiè præstita sunt, a quo scilicet Gerontotrophia duo extructa sunt; Scholæ duæ, temporum calamitate collapsæ, instauratæ, & octo studiosorum pensiones perpetuæ in Academia Cantabrigiensi creatæ; Bibliotheca etiam locupletissima urbi & toti Diœcesi Dunelmensi donata, extructumque Bibliothecæ capiendæ spatiosum atque splendidum Conclave. Ab eodem Collegii Sancti Petri Cantabrigiensis, cujus olim Custos præfectus fuit, Bibliotheca mille voluminibus aucta & ad ejusdem Collegii Sacellum instaurandum summa liberalis erogata. Ex quibus si Dunelmensis Episcopatus opes ingentissimas esse inferas, falleris, cùm hinc potius inferre debeas ingentissimam esse R. Domini Dunelmensis Episcopi beneficentiam, qui omnem pecuniam ex novis conductionum prædialium scri-

 ptis

ptis Codicibus conflatam (cujus summa sexies amplior solito fuit, nempe Episcopo à rebellantibus Schismaticis per viginti annorum spatium Episcopatus proventibus spoliato & à scribendis conductionum codicibus prohibito) in eos usus erogavit, summâ quoque memorabili ex ordinario proventu additâ. Sed nec silentio prætermittendum est à viro præstantissimo R. *Briano Duppa*, non ita pridem Wintoniensi Episcopo, extructum & dotatum Cherotrophium Richmondiæ, ubi vir pius, sæviente rebellione, latitaverat, expectans consolationem Israelis, hoc est, Regiæ Majestatis, cujus Præceptor fuerat, & Ecclesiæ Anglicanæ restitutionem, quam & vidit priusquam ex hac ad meliorem vitam migraret. Singula singulorum Episcoporum nostrorum in hoc genere benefacta recensere longum esset; sed commemorare lubet ad exemplum R. *Warneri* Roffensis Episcopi nuper vitâ functi pia legata; nempe perpetuas pensiones annuas alendis S. Theologiæ studiosis quatuor Scoticæ gentis in Oxoniensi Academia; Pecuniam ad extruendum Cherotrophium viginti Ministrorum Viduis ad egestatem redactis commodè excipiendis idoneum, cum annua viginti librarum pensione singulis solvendâ. Itemque ad extruendum Sacellum in quod quotidie bis conveniant manè & vesperi oraturæ; atque etiam ad extruendas ædes pro habitatione Sacellani qui Sacra peragat; cui pensionem annuam quoque creavit quinquaginta librarum. Duo millia librarum Anglicarum itidem ad augenda Parochorum earum Ecclesiarum quæ Roffensi Episcopatui attributæ sunt, & mille libras ad Ecclesiæ Cathedralis reparationem Legavit. Taceo alia in pios publicosque usus illius legata. Et cùm deesset in celeberrimâ Oxoniensi Academiâ ad promotiones Academicas locus idoneus, unde in Templo Sanctæ Mariæ quotannis fieri solebant, Reverendiss. *Sheldonus* Cantuariensis *Amphitheatrum* tam inclyta Academiâ tamque illustri Benefactore dignum propriis expensis eo ipso tempore quo hæc à me scribuntur in eos usus extrui curat, quod jam ad umbilicum prope perductum est. Auxit præterea Academiam Regiâ typographiâ omnium linguarum Orientalium typis instructissimâ quæ antea desiderabatur. Taceo Eleemosynas quotidianas, summasque in viduarum Orphanorum aliorumque egenorum usus tam secretò erogatas, ut quod jussit Christus Dominus, sinistra nesciat quid in eo genere dextra præstiterit. Et ne Superiorum temporum Episcopi opes suas aliâ ratione absumpsisse credantur, unius Reverendissimi *Laudi* Cantuariensis, in cujus manes etiamnum Adversarii barbarè debacchantur, piam beneficentiam breviter percurrere animus est. Stipendia tum Parochi illius Ecclesiæ in quâ Sacro Baptismate Christo consecratus est, tùm ludi Magistri illius Scholæ, in qua prima literarum rudimenta didicerat, ita auxit, ut ad honestam Virorum

Doctorum

Doctorum sustentationem nunc sufficiant. Pecuniæ summam legavit, augendis pensionibus studiosorum Collegii Sancti Johannis Baptistæ Oxoniensis, cujus Præses fuit priusquam ad Episcopatum eveheretur. Ejusdem Collegii ædificia duplo propemodum auxit, novo, eoque magnifico *Quadrangulo*, quod vocant, extructo. Ingenti librorum manuscriptorum undique magnâ curâ magnisque sumptibus conquisitorum, numero publicam Academiæ Oxoniensis Bibliothecam locupletavit. Et ut verè Christiana Charitas, quâ omne genus humanum complectebatur, in omnes redundaret, Oppido **Reading**, ex quo oriundus erat, centum libras Anglicas annuas donavit ad collocandas Matrimonio, honestas piasque ancillas, quæ eidem heræ per integrum triennium fideliter famulatæ fuerint; & ad pueros parentibus orbos opificibus elocandos à quibus opificium edoceantur; unde adulti honestè sibi victum parent. Oppidis *Windsoria*, *Wallingfordia*, *Okinghamia*, *Henleia*, quinquaginta libras Anglicas annuas singulis in eosdem usus legavit. Multum etiam, dum viveret, liberalitate suâ contulit in magnificâ illâ S. Pauli Londinensis æde instaurandâ; addito quoque, cùm Testamentum scripsit, octingentarum librarum legato. Nec ullibi locorum unquam substitit, ubi piæ beneficentiæ vestigium aliquod post se non reliquerit. Et cùm sciret Pomparum Funebrium vel infimorum è plebe hominum sumptus in hac gente magnos esse, disertis verbis testamento suo jussit, ut privato funere, absque pompâ & expensis, efferretur & sepulcro conderetur, NE IN MELIORES USUS DESTINATÆ PECUNIÆ, (piæ magnæq; animæ, quæ ista contempsit, verba refero) EÂ RATIONE PERDERENTUR. En R. Ecclesiæ Anglicanæ Episcoporum luxum pompamque secularem; eu ut opes Ecclesiasticas dilapident profundantque. Qui fastum, & superbiam Viris Reverendis imputant, nec eos nec gentis hujus mores plane norunt. Nullibi gentium superioribus plus externæ reverentiæ defertur ab inferioribus quam in Angliâ. Non modò famuli & tyrones sed liberi, viri etiam facti & quivis inferiorum graduum homines coram Heris, Parentibus & Magnatibus semper adstant aperto capite. Quæ reverentia si Episcopis ab aliis inferiorum ordinum Christi Ministris semper exhiberetur, cum dicantur & revera sint, non modo plebis sed omnium quoque Clericorum Patres in Christo Reverendi, & Principis in Christum pietate & in Christi Ministros benignitate, Regni Pares, in eo quid fastus aut superbiæ non video. Sed ea est eorum omnium, ne exceptis quidem ipsis Reverendissimis Archiepiscopis, modestia atque humilitas ut eam reverentiam à Ministris sibi exhiberi vix ferant, nec illos aperto esse capite (nisi in publicis audientiis, ubi aliter fieri non licet) patiantur, quin ipsi quoque caput aperiant. Nos illos ut Patres reveremur, illi nos ut filios bene-

 volentiâ

volentiâ paternâ complectuntur; imò quæ eorum modestia est; nos sæpius in Epistolis suis fratres compellant. Comperta loquor, quotidie scilicet eorum omnium humanitatem expertus. Unde divinare nequeo, à quo Sorberius calumniam de qua initio hujus capitis, didicerit. Nam ne ipse quidem Apologista, eos Pompæ, luxus, fastusve postulavit, quoniam ejusmodi accusationi locum esse planè non vidit. Unde igitur illæ voces, *Pompæ, luxus, fastusque Episcoporum Anglicanorum* quæ non modò apud *G. Hornium* scriptorem ad calumniandum conductum & similes, sed etiam apud alios, homines, minimè malos (quorum nomen premo ut famæ parcam) occurrunt. Non aliundè sanè quàm ex Puritanorum susurris & clandestinis calumniis, qui quæ pudor prohibet apertè eloqui, ne statim mendacii & impudentiæ coarguantur, in hominum minimè malorum sed nimis credulorum aures instillant; quo citius spargantur in vulgus, & fides iis facilius adhibeatur. A quibus itaque in posterum cavere debent cordati probique omnes.

§ Sed ad postremum eumque gravissimum accusationis adversus R. Ecclesiæ Anglicanæ Episcopos institutæ articulum tandem venio, scilicet, *Verbi Divini prædicationem eorum culpâ & malo exemplo æquo rariorem esse in hac Ecclesia nostra.* In eo articulo, quem videat lector integrum hujus capitis initio, quædam examinari refutarique debent, quædam inter Presbyterianorum legendas seu fabulosas narrationes, de quibus capite XI. referenda. Pro fabulis meris habenda sunt, donec productis testibus idoneis, ea vera esse probaverit Apologista. 1. Quæ narrat de eo Episcopo qui Reverendissimum *Armachanum* contumeliosis verbis insectatus est, eo quod esset in concionibus frequens. 2. Quæ fingit de eo qui Pastorem ausus est suspendere ob habitam tempore pomeridiano diei Dominicæ concionem funebrem. Perinde enim sepeliuntur defunctorum corpora die Dominico atque aliis diebus. Funera autem apud nos non nisi pomeridiano tempore deduci solent. Et cùm quâcunque die & horâ deducantur, liberum sit conciones funebres habere, non fuit penes Episcopum ob rem & licitam & vulgò usitatam Ministrum suspendere. 3. Quæ refert ex illo suo mentiri nescio Theologo R. A. cujus nomen non ausus est proferre, de insanâ illâ quam fingit à Liturgico, quem vocat, in æde Sanctæ Mariæ Oxoniensis, habitâ concione. 4. Quæ subjungit de eodem Episcopo, de quo ait se supra meminisse, scilicet, eum præcepto suo diligenter cavisse, ne Prsebyteri auditores suos in legendis precibus nimis diu detinerent, quo vacarent encæniis celebrandis. Si dixisset eum vetuisse ne audiendis concionibus plebem diu nimis detinerent, aliquis color esset, cum breviores longioresque fieri possint pro concionatoris arbitrio, quæ habentur ad populum

conciones.

conciones. Sed quî locum habere potuit ejusmodi prohibitio circa Preces, quæ ex præscriptâ totidemque verbis semper constante formulâ, juxta Ecclesiæ Anglicanæ consuetudinem, recitantur. Certè non est difficile plerorumque mendacum imposturas deprehendere. Ad *G. Hornii* mendacium quod attinet, adeo est manifestum & ab omni vel specie veri alienum, ut vel cæcis pelluceat, proindeque refutatione non egeat. Sed reliqua ejusdem articuli lubet examini subjicere. Cum *prædicandi munus, priusquam grassaretur apud nos bellum civile, inter Episcopos eviluisse*, ait Apologista, videtur eos, qui nunc Ecclesiis præsunt Episcopos, ab ea culpâ immunes pronunciare. Sed sive hos, sive illos, sive utrosque eo nomine accuset, ex æquo iis omnibus facit injuriam. Superiore capite diximus quales apud nos eligi soleant Episcopi, nempe alii propter concionum excellentiam, alii propter eximiam eruditionem, alii propter morum gravitatem atque in rebus agendis exquisitam prudentiam; plerosque autem antequam eligantur in Episcopos, esse ætate provectiores. Illis inspectio atque gubernatio non unius alicujus particularis cœtus, sed totius Diœceseos demandatur; nempe ut futuros Parochiarum omnium universæ Diœceseos Rectores examinent, ordinent, instituant, & in Ecclesiarum possessionem induci curent; ut Ordinatos & inductos, in Officio cessantes, aut scandali reos, aut in schisma vel hæresin prolapsos, moneant, reprehendant, suspendant, deponant, plebem etiam universam salutari Disciplinâ, in Pietate, sanctimoniâ morum & Christianâ charitate contineant. Præterea tenentur interesse Regni Comitiis quoties celebrantur, & Synodis Provincialibus Nationalibusque, in quibus tum Reipublicæ tum Ecclesiæ utilem navandi operam occasiones multæ occurrunt. Cùm itaque tot curis quotidie distrahantur, ut omnino impossibile sit eos assidue Verbi Prædicationi incumbere, non tenentur in uno aliquo certo cœtu conciones habere; sed ubi & quando è re videtur & per occupationes licet, eâ muneris sui parte funguntur, modò in Ecclesiâ Cathedrali, modò in aliorum oppidorum Ecclesiis, modò ruri, modò in Regio Sacello: suntque in concionibus, alii magis, alii minùs frequentes, nempe prout aliæ Episcopales curæ, & plerorumque ingravescentis ætatis vires sinunt. Nam Episcopus non concionator, res est apud nos inaudita. Certè plures novimus in concionibus non minus frequentes, quam ipsos apud Gallos Reformatos celebriorum Ecclesiarum Pastores, qui cum uni cœtui tres, quatuor, quinque collegæ præficiantur, multosque advenas identidem adjutores nanciscantur, rariùs solent concionari. At iniquus sit siquis propterea affirmet eviluisse inter eos concionandi munus, facileque refutabitur ejus temeritas ex doctissimis eloquentissimisque concionibus, quas quotidie typis editas in vulgus emittunt.

Quæ

Quæ pro R. Episcopis nostris tam pro iis qui ante Schismaticorum rebellionem floruerunt (inter quos hac in parte, ut & in omnibus aliis rebus, eminuisse Lancelotum celeberrimum illum Wintoniensem Episcopum testatur concionum doctissimorum volumen ingens) quàm pro iis qui etiamnum Ecclesiam regunt, pari jure dici possunt, præter ea quæ jam pro utrisque fuerunt allegata. Omnium enim manibus teruntur multorum ex iis conciones elucubratissimæ. Nec dici potest quod negligatur in Ecclesiâ Anglicanâ Verbi prædicatio ex eo quod non teneantur Episcopi assiduè in certo cœtu concionari. Nam præterquam quod universæ Ecclesiæ Anglicanæ præsunt tantum XXV. Episcopi & Archiepiscopi II. Vnde assiduorum in certis cœtibus concionatorum numerus non multùm imminuitur; Nulla est Ecclesia in quâ non audiatur communiter singulis diebus Dominicis explanatio Verbi Divini. Nam sicujus Ecclesiæ annui proventus adeo sunt tenues ut Ministro erudito & concionatori alendo non sufficiant, & tam parvi pendatur à Parochis Sanctum verbi prædicationis institutum, ut nihil conferre velint ad augenda Ministri stipendia quo eruditi concionatoris ministerio frui possint, prælegitur ibi vice concionis, *Homilia* ex libro Homiliarum jam indè a primâ, quæ facta est sub *Edvardo* & *Elizabetha* Reformatione, ad suplendum ejusmodi defectum, à pientissimis Ecclesiæ Anglicanæ Reformatoribus, Christi Martyribus & Confessoribus composito & typis edito; quem laudat Cl. *Capellus*. Complectitur autem Homiliarum liber non modo positivam, ut loquuntur, Evangelii doctrinam & Ethicam Christianam, sed etiam præcipuas Controversias quæ inter Reformatos & Pontificios agitantur; Eaque omnia ita sunt ad promiscui fidelium cœtus captum attemperata, ut a doctis & indoctis absque fastidio, à piis omnibus magno cum fructu & ædificatione audiri possint. Sed in aliis omnibus Ecclesiis habentur diebus Dominicis mane concio, vesperi Catechismus ad juniorum institutionem. In Regio Sacello duæ conciones habentur ante meridiem, prior horâ septimâ, posterior decimâ, quam semper audit Regia Majestas. Quod ideo annotare visum est, quia non veretur Gallicæ Puritanorum Apologiæ Scriptor cæteris suis mendaciis hoc etiam addere, *unicam tantum concionem in Sacello Regio haberi singulis Dominicis*. Quo loco mendacium mendacio annectens, affirmat nullam concionem audiri pomeridiano tempore in Ecclesiis Cathedralibus; quod itidem falsum esse norunt omnes de Sancti Pauli Londinensis Ecclesià Cathedrali, ante urbis incendium, ut & de Collegiatâ, olim Cathedrali, Sancti Petri Westmonasteriensis; quamquam forte verum est de aliarum minorum civitatum Ecclesiis Cathedralibus; quoniam in Parochialibus pro more habentur conciones à meridie. Sed habentur in iis omnibus

Thes. Salm. parte 3: Thes. de Liturg. formulis parte 3. Thes. 10.

Apologie des Puritains.

conciones quolibet die festo. Audiuntur etiam quotannis in Sacello Regiò tum quadragesimali singulis hebdomadis feriâ Quartâ delectorum S. Theologiæ Doctorum, & Sextâ Decanorum, die autem Dominica Episcoporum & Archiepiscoporum pœnitentiales conciones excellentissimæ, quibus omnibus semper interest Regia Majestas. Frequentiores sunt eo tempore nempe ante Sanctum Paschatis festum, conciones, quò fideles melius præparati accedant ad Sanctam Domini cœnam percipiendam. Hunc Veteris Ecclesiæ morem in Fratrum Bohemorum Ecclesiis quoque observari discimus ex Ratione eorum Disciplinæ, Cap. III. De quo (ut hoc etiam annotem ne Imperitis superstitiosus videatur) sic scribit Doctissimus Zanchius; *Quadragesima est tempus quadraginta dierum, usque ad Sanctum Pascha, ex piâ Veteris Ecclesiæ Ordinatione continuatum, in quo fideles diligentiùs quam ullo alio tempore, tum jejuniis, tum precibus, tum auditione Verbi, tum aliis piis exercitiis ad pœnitentiam excitantur, eoque ad cœnam Domini in Paschate digniùs sumendam præparantur.* Deinde, *quadragesimam*, inquit, *si sic definias quis eam queat meritò improbare?* Propriè autem convenit hæc *Zanchii* definitio, Quadragesimæ in Ecclesiâ Anglicanâ observatæ. Quippè quæ immunis est ab omni Ecclesiæ Romanæ, seu superstitione circa delectum ciborum, (in quo quamvis abstinentia haud illaudabilis miniméque superstitiosa esse possit, nequaquam tamen in eo consistit jejunium quod est propriè omnimoda ab omni cibo abstinentia;) seu circa opinionem cultus & meriti, quâ præcipuè Sanctum Ecclesiæ priscæ institutum fœdatur atque profanatur.

Zanch. in 4. Præcept. de Quadrages.

§ Quid igitur sibi vult *Georgius Hornius* loco allegato ex Historiæ Ecclesiasticæ compendio, ubi ait, *Episcopos omnibus modis Regem ad abolendas conciones impulisse*: Quid sibi vult eodem loco ab *Hornio* citatus *Newcomanus* quem dicit, *magnam partem fuisse eorum qui persecutionem passi sunt*; Cùm reverà Schismaticus ac perduellis insignis extiterit, ut qui non modo Reverendos Episcopos, quibus Canonicam obedientiam jurejurando promiserat; sed ipsum quoq; Serenissimum Regem, cui etiam Sacramento fidem adstrinxerat, multis modis persecutus sit. Is in concione, *in qua totum Papismi reducendi artificium (quo usos somniat Episcopos Anglicanos) clare & distinctè exposuisse*, ait Hornius, *asserit Prælatos, omnes concionatores, qui ceremonias non constanter exercebant, suspendisse: Paulo post totum Ordinem velut superfluum, & in Ecclesia intolerabilem abolevisse quo facto interdictum Pastoribus, ne concionarentur per septimanam nisi diebus Dominicis. Tum & die Dominicâ pomeridionarum concionum habendarum usus abolitus, prætextu Catechiticos profectus promovendi; mox omnes quoque Catechiticas expositiones prohibitas,*

cunctis ad nuda Catechismi verba alligatis; Preces quoque abolitas nisi conceptis liturgiæ verbis fierent, sic conciones & Preces sensim abolitas. Nam quis, qui istis fidem adhibendam putet, inde non inferat, Verbum Dei in Ecclesiâ Anglicanâ, Episcoporum impia tyrannide omnino prædicatum non fuisse, cum ad eos extirpandos *Newcomanus* & cæteri Presbyterianorum Ministri ad arma conclamarunt contra Serenissimum Regem CAROLUM eorum scilicet & omnium cujusvis Ordinis proborum Patronum & Protectorem? Eòdem spectant quæ habet Gallicæ Puritanorum Apologiæ Scriptor pagina 32. ex Oratione quam Nobilissimus *Faulklandiæ* Vicecomes nondum noster (quod falsò & subdolè affirmat iste,) sed adhuc à Schismaticis stans, habuit in inferiore consessu Parlamenti anno 1641. At quis credat sub pientissimis Regibus Jacobo & Carolo I. ejusmodi facinus, vel ausos fuisse, nedum perpetrasse Episcopos? Præterea contradictio esse videtur in iis quæ narrat *Newcomanus*, cum postquam dixit *abolitum ab Episcopis totum concionatorum Ordinem velut superfluum & in Ecclesiâ intolerabilem*, immediate subjungit, ab iisdem *interdictum Pastoribus ne concionarentur per septimanam nisi diebus Dominicis.* Nam quî dici potest totus Concionatorum ordo abolitus, cum Pastoribus diebus Dominicis conciones habere liceret? Et quamvis hinc possit attentus lector colligere, concionatores & Pastores, duos fuisse distinctos hominum Ordines; cum tamen Pastores diebus Dominicis mane saltem conciones habuerint, vel attentissimum lectorem, perplexum faciat necesse est, statim subdens *sic*, hoc est eo quod somniat artificio, *conciones sensim abolitas.* Innuunt enim ea verba omnium concionum abolitionem. Sed in gratiam exterorum affectatæ Adversariorum nostrorum obscuritati lucem aliquam afferre non gravabor. Est in Ecclesiâ Anglicanâ quoddam Ministrorum genus anomalum planè atque Heteroclitum; cùm nec Rectores, nec Vicarii, nec Curati sint Ecclesiarum. Hi quamquam Sacris Ordinibus initiati neque Sacra Officia celebrant, neque Sacramenta administrant in ullâ Ecclesiâ, neque curam habent animarum. Sed modò in hac, modò in illâ Ecclesiâ; modo die Dominicâ tempore pomeridiano, modo feriâ aliquâ septimanæ, conciones habent ad populum; prout inter ipsos & Parochianos convenerit, aut à Viris Piis qui stipendia ipsis constituerunt, testamento præscriptum est. Eos vocant Vernaculè **Lecturers**, quasi dicas *Prælectores*, & quas habent conciones, *Lectures*, hoc est, *Prælectiones.* Quo præcisè tempore in Ecclesiam Anglicanam introducti sunt, certò affirmare non possum. Sub *Edvardo* VI. nullos fuisse constat vel ex Edicto *Elizabethæ* Reginæ, pro uniformitate cultus, in quo scilicet nulla eorum mentio occurrit. Sed eâ regnante diu ante Jacobi Regis adventum in Angliam, introductos,

introductos esse ex multis argumentis manifestum est. Nullus dubito quin pio Zelo nec malum in finem primum in Ecclesiam nostram fuerint admissi, scilicet ad uberiorem fidelium instructionem in Religionis cognitione. Nam cum cuilibet Ecclesiæ unicus tantum Pastor præfectus sit, qui Sacris peragendis, & Verbi Prædicationi operam det, paucique admodum reperiantur qui plus semel in hebdomade doctè disertéque concionari valeant; atque sæpius accidere possit, ut ille Pastor adversâ fruatur valetudine; unde necesse est Ecclesiam ordinario verbi Ministerio sæpius destitui; Viri pii collatis Symbolis stipendia crearunt multis in locis, maximè in civitatibus & oppidis, ut alium adsciscerent sibi concionatorem præter ordinarium Ecclesiæ Pastorem, cui foret quasi Collega & coadjutor in concionando. Legaverunt quoque nonnulli annuam pensionem inter plures dividendam, qui per vices certâ horâ singulis diebus prætetquam die Dominicâ, in certis quibusdam Ecclesiis conciones haberent. Et hactenus nihil mali, modò nullis nisi Orthodoxis & Ecclesiasticæ Disciplinæ morigeris ea Provincia demandetur. Sed cum Puritani animadverterent eos *Prælectores*, neque ad Sacrorum Liturgiæ officiorum recitationem, neque ad Sacramentorum administrationem obligatos esse, sed unum eorum munus esse ut concionarentur, in illud ubique ferè locorum sese ingesserunt. Tum verò incautam plebem variis artibus modò in privatis colloquiis, modò in publicis concionibus seducere; modò indirectè & obliquè, modò directè & apertè Ecclesiæ Politiam aut Liturgiam suggillare; modò Episcoporum potestatem & dignitatem, modò opes, modò honorificas compellationes; modo vestes Ecclesiasticas, maximè verò superpelliceum carpere; modò Papismum aut saltem Papaturientem animum. modo ceremonias novas, aut pontificias aut pontificiarum similes, quæ tempore Elizabethæ pientissimæ illius Principis inauditæ fuerant, in Ecclesiam invectas, modo tyrannidem in conscientias illis imputare; modò Regis cæcitatem & imbecillitatem, qui ista aut non videat aut non corrigat, aut mentem seductam, qui approbet & foveat, deplorare; Et tandem ex his inferre certum consilium innovandæ religionis, & papismi quasi postliminio revocandi, à Rege & Prælatis initum, ni strenuè obsistant Pii; Sic vocabant Schismaticos & factiosos homines rerum novarum avidos. Hæc & alia ejusmodi perniciosa futuri Schismatis, futuræque rebellionis semina cùm passim magnâ industriâ ab istis seri viderent non tantum Episcopi, sed etiam Regia Majestas Regiique Consiliarij; quid peccassent quæso, si totum illum hominum ordinem, cui propriè nullus est locus in Ecclesiâ; abolendum decrevissent, postquam ex Evangelii Prædicatoribus, Schismatis promoteres,

tubæ seditionis & belli Præcones facti fuerant? Narrabo rem memoratu dignam, quæ in hac Ecclesiâ, regnante Optimo Principe EDVARDO VI. Rege accidit; quæ si Regnante CAROLO I. accidisset, deus bone! quid convitiorum in præstantissimi Regis caput, & in eos omnes qui ejusmodi consilii authores aut approbatores extitissent, etiamnum conjicerent *Newcomanus*, *G. Hornius* & universa Puritanorum factio! *Edvardus* Rex, anno Regni 2. Somersetiæ Duce, tum Protectore, seu Regis Tutore, & toto Concilio Regio suadente, prohibuit ne ulla omnino per universum regnum haberetur concio ad populum, jussitque ut tantum piæ illæ Homiliæ de quibus supra, in Ecclesiis prælegerentur, quibus contenti essent fideles, decretâ vinculorum pœnâ siquis concionari auderet. En conciones omnes abolitas à Principe Reformatissimo, suadentibus Reformationis ipsius authoribus præcipuis. Sed Regi Regioque Concilio facti ratio constabat, quam omnibus aperuit non multò post sequuta *Keti* rebellio, *Devoniensisque* seditio; quibus concionatores multi factiosis suis concionibus viam sternebant, de Rege Regiisque Consiliariis ea in vulgus spargentes, quæ populum à Regia Majestate alienarent, & propositi nescio cujus in plebis perniciem suspectum redderent. Quorum ora non aliâ ratione obturari posse visum est, quam si omnibus promiscuè concionatoribus iis etiam qui optimè erga Regem erant animati & sinceræ Religionis assertores, silentium imperaretur. Sed mitiora Consilia sequutus Rex CAROLUS, nec omnes quidem isti Prælectores silere jussi sunt, quod isti falso affirmant, sed ii tantum quorum perspectum erat Schismaticum ingenium, & in iis locis ubi eorum seditiosis concionibus patulas aures præbebat plebs imperita; Quin alicubi iis suffecti Viri Pii & Orthodoxi; adeo non est abolitus totus eorum ordo. Sed si fuisset prorsus extra Ecclesiam eliminatus, quis nisi projecti pudoris indè cum *Newcomano* inferat conciones in Angliâ fuisse abolitas, cùm Ecclesiarum Pastores singulis diebus Dominicis jugiter concionarentur: At prohibitæ sunt, inquit, conciones pomeridiano tempore. Prohibitæ; sed, (quod invitum fateri cogit rei veritas, licet admixto maledicentiæ veneno,) ut tempus illud juxta Ecclesiæ nostræ Disciplinam utilius, scilicet in Catechizandis pueris impenderetur. Judicent æqui Lectores, an in eâ Ecclesiâ Verbi Divini Prædicatio negligi jure dici possit, in qua singulis diebus Dominicis habetur manè concio, & vesperi Catechismi expositio? Et an ibi Pastores otientur ac desideant qui in verbo eousque laborant? Sed prout omnes norunt, qui Angliam prorsus non ignorant, vice Catecheticarum Expositionum, maximè

Fulleri Histor. Ecclef. Britan. ad an. 1548.

maximè in civitatibus & oppidis plerique Pastores habent conciones tempore pomeridiano, quod iis magis delectari plebem videant quam Catechismis. Quo morbo memini in Ecclesiis Reformatis Galliæ, cùm apud eas degerem, passim laboratum, nec Synodos ei remedium adhibere licet percuperent, ubique potuisse. Memini etiam earum Ecclesiarum ultimam Synodum Nationalem *Julioduni* anno 1659. coactam, particulares Ecclesias hortatam fuisse, ne Pastores suos æquo frequentioribus concionibus onerarent, quæ & eorum vires exhaurirent & concionum fastidium in auditoribus crearent. Est enim in omnibus aurea servanda mediocritas. Unde legis instar erat apud Fratres Bohemos, ut [concionum prolixitas Vitaretur ad evitandum in Auditoribus fastidium. Jubebatur enim concio omnis matutina non ultra horam protendi, cantu etiam quandoque annumeratô; Vespertinæ verò conciones dimidiâ horâ finiri debebant. *Ratio Discipl. Fratr. Bohem. cap. 3.*

§ De precibus, quas iidem *Newcomanus* & *Hornius* eadem impudentia in Ecclesiâ Anglicanâ ab Episcopis *abolitas* scribere ausi sunt, vix opus est quicquam annotari. Nam præterquam quod jam eâ de re prolixè disseruimus Cap. IX. ubi quæ sit Ecclesiæ nostræ circa preces Ecclesiasticas sententia & quanta sit hac in parte omnium Ecclesiarum Reformatarum Concordia contra Schismaticos Anglicanos, liquido demonstravimus; cordato Lectori perspicuum est tum ex illo, tum ex hoc ipso capite, nullas alias nisi factiosorum illorum concionatorum preces abolitas. Ut autem scias quam meritò fuerint illæ preces abolitæ; scire operæpretium est eas non fuisse minus seditiosas quàm ipsas eorundem hominum conciones, quas supra descripsimus. Plerarumque materia eadem quæ concionum fuit. Ut istorum pro Rege ad Deum fusæ Orationes, institutæ apud homines, adversus Sacram illius Majestatem accusationes potius dicendæ fuerint. Ne igitur ejusmodi imprecationibus diutius locus esset in Ecclesiâ Anglicana, prudentiores atque Ecclesiasticæ Disciplinæ Observatiores Episcopi, omnes intra suam quisque Diœcesin concionatores ad eam Formulam usurpandam quæ juxta Ecclesiæ Canones & Regis injunctiones concionibus præmitti debet, adstringendos censuerunt. Atque hoc illud est, quod *Newcomano Hornioque* Precum abolitio dicitur. Qui si de Ecclesiâ Tigurina scriberent, pari jure assererent in eâ preces omnino nullas à Pastoribus fundi cùm præscriptas Formulas semper recitent.

Lavatherus de Ritibus Eccles. Tygurinæ. cap. 9.

recitent. *Non enim moris est in illa Ecclesia novas subinde Formulas precum comminisci, & in Sacro cœtu recitare, sed usitatas illas*, inquit Lavatherus, *retinere*. Usitatæ autem preces ante concionem, hortationes sunt ad precandum, potiusquam directæ preces, nostræ Formulæ quæ concionibus præmittitur, prorsus similes; prout antea annotavimus harum Vindiciarum Capite I X.

CAPUT

CAPUT XXXIII.

Utris magis faveat Calvinus, Episcopis Ecclesiæque Anglicanæ, an verò Presbyterianis Schismaticis, & ab utris *Calvini* famæ melius consultum sit?

Apologistæ & cæteri Presbyteriani profitentur se Calvinum *ut Magistrum suspicere; in cujus manes impotenter debacchari Hierarchicos affirmant. Quæ de* Calvino *scripsit* Durellus *in Tractatu Anglico, Latinè hic exhibentur. Ex quibus liquet* Calvinum *non modò Episcoporum Ordini adversarium nunquam fuisse, sed ipsum Episcopatum à Deo profectum, atque Episcopos Orthodoxos summa reverentia atque obedientia observandos statuisse; Refutatur Apologistæ distinctio, quâ ea quæ ex* Calvino *pro Episcopatu producta sunt, eludi posse putat. Respondetur ad ea quæ ex* Calvino *allegat Apologista contra Episcoporum προστασίαν. Antitheses tredecim inter* Calvini *et* Presbyterianorum *mores ac doctrinam.* 1. Calvinus Facilem se semper & flexibilem in Ceremoniis præbuit. 2. A nulla re magis abhorruit, quam a Schismate. 3. Certam statamque Precum publicarum Formulam, Sacramentorumque administrationem in Ecclesia esse voluit, à qua Pastoribus in functione sua discedere non liceat. 4. Clinicos & de vita periclitantes non esse Sacræ Eucharistiæ communicatione privandos omnino censet. 5. Confirmationis ritum probat & ubique vestitutum cupit. 6. Dies Festos probavit

probavit & qui eos prorsus tollendos clamitabant, compescuit. 7. Mœchorum & Excommunicatorum liberos Sacro Baptismate ob parentum vitium haud privandos esse statuit. 8. Nullum Ecclesiæ Anglicanæ ritum usquam damnavit. 9. Eos ritus maximè probat, qui Symbola sunt & incitamenta officii Deo debiti. 10. Neminem non auditum & nisi legitimo judicio damnatum à cœna Dominica repellendum censet. 11. Frequentem Sacræ Eucharistiæ usum passim urget. 12. Sponsores Baptismales retinuit & probavit. 13. Jusjurandum Reo ab Ecclesiasticis Judicibus ex Officio deferendum censuit. *Siquid asperius in* Calvinum *à nostris dictum occurrat, id Presbyterianis imputandum, qui eum totum suum esse impudenter affirmant, & talem fingunt ut odio dignum reddant. Eamdem injuriam faciunt Reformatis Fratrum Transmarinorum Ecclesiis. Idem peccant tum in* Calvinum *tum in Ecclesias Reformatas nonnulli Transmarini Scriptores.* Georgius Hornius *notatur. Quâ in re mirum quantum Pontificiis gratificentur. Sed revera* Calvinum *haud curant Presbyteriani, quippe quem à* Ludovico Molinæo *haud semel impetitum nunquam vindicarunt. Quo loco habitus sit à* Cranmero, Whitgifto *Cantuariensibus Archi-Episcopis,* Bilsono *Wintoniensi,* Hadriano Saraviâ *Cantuariensi Præbendario;* Richardo Hookero *acerrimis doctissimisque Hierarchiæ Anglicanæ adversus Puritanos Assertoribus.*

SUperest ut quid sentiant Ecclesiarum Reformatarum extra Angliam Doctores tum de Episcopis in genere, tum de Episcopis Anglicanis in specie videamus. A CALVINO autem incipere lubet. Et quoniam illum suum esse jactant Presbyteriani, quid in aliis etiam Controversiarum nostrarum capitibus sentiat, & utris magis faveat, nobisne, an verò Presbyterianis Schismaticis, videbimus. "At Calvinus, *inquit Durellus p.* 161, regimen "Hierarchicum approbavit maximè, & credidit illud, prout indubiè "est, institutionis esse Apostolicæ. Hæc Apologista, quibus statim subjungit; "Obstupuisti opinor, Theophile, cùm hæc legeres & vox

" vox faucibus hæsit. Num Calvinus quem ut Magistrum suspiciunt " Presbyteriani, in cujus manes tam impotenter debacchantur Hie- " rarchici, Episcopatum institutionis esse Apostolicæ credidit? Hoc " si probatum det *Durellus*, ad Pollinctorem mittat illico qui Mini- " strorum ἰσοςαθμίας fumus faciat & Disciplinam Genevensem efferat " ac condat. Quæ ego in Tractatu Anglicano de viro magno scripsi, sic se habent Latinè reddita. " Hic item fateor oportet, cum quos- " dam (Puritanos) audirem apud nos de *Calvino* ut suo, perindeque ac " si per omnia idem cum ipsis de Ecclesiæ Regimine sentiret loquentes, " aliquamdiu in eodem cum iis errore versatus sum, qui eum habent " pro ἰσοτιμίας Presbyteralis & omnimodæ inter Christi Ministros " æqualitatis Patrono & propugnatore adversus Hierarchiam, seu " Ministrorum Subordinationem in Ecclesia Dei. At cum illius ope- " rum partem maximam perlegissem, iis præsertim locis, ubi verisi- " mile est, ea de re ipsum disserere, mutavi sententiam. Quippe " qui nihil quicquam contra munus Episcopi ab eo scriptum uspiam in- " venerim. Quin ex iis quæ aut ex illius scriptis ab aliis transcripta, " aut apud eum ipse unquam legi, mihi probè colligere videor, nul- " lum Ecclesiæ Regimen quàm Episcopale magis ei probatum; Et " ab ipso habitum, prout indubiè est, Apostolicæ institutionis. " Quamquam in eâ est sententiâ Ecclesiam Dei pro locorum, tempo- " rum, aliarumque circumstantiarum ratione, aliud Regimen sibi " posse constituere. Id videntur innuere hæc illius verba in ea quam " scripsit ad *Sadoletum* Cardinalem Epistolâ. Disciplinam qualem habuit vetus Ecclesia, nobis deesse neq; nos diffitemur. Sed cujus erit æquitatis, nos eversæ Disciplinæ ab iis accusari qui & eam soli peni- tus sustulerunt, & cum postliminio reducere conaremur, nobis hacte- nus obstiterunt; Neque verò in doctrina ad veterem Ecclesiam provocare dubitamus. " Extat alia ejusdem *Calvini* in Opusculis " Epistola, cujus inscriptio sic habet; Veteri amico nunc Præsuli. " In ea Epistola prolixâ licet, ne verbum quidem durius reperias ad- " versus munus Episcopale, sed solummodò adversus multiplices illius " abusus in Ecclesia Romana. Tantum abest ut ab eo damnetur aut " improbetur, ut potiùs illud non tantum legitimum, sed prout jam " dixi, pro Apostolico adeoque divino instituto habere videatur. Episcopatus ipse, *inquit*, à Deo profectus est. Episcopi munus Dei authoritate constitutum est & legibus definitum. *Et alio loco:* Epis- copus constitus es; instat tibi authoritate suâ Apostolus Paulus, pro- spiciendum esse tibi, &c. " Alio loco, ex eo quod Paulus se iis om- " nibus debitorem agnoscit ad quos missus erat Apostolus, infert " Amicum jam *Præsulem* debere totius Diœceseos, cui præpositus erat, " in se curam suscipere. Tu cur, *inquit*, aliquid minus tuis debeas

Calvin. Opusc. Veteri amico nunc Præsuli.

quibus

quibus Episcopus præfectus es. " Postremò, postquam in quibus situm " sit Episcopi munus ostendit; Omnino sanè, *inquit*, aut tibi quod ab Episcopo requiritur, præstandum est, aut sedes Episcopi deserenda. " Profectò, si *Calvinus* Episcopatum ipsum damnasset, & " illud munus esse in Ecclesiâ Christianâ non ferendum duxisset, verbis multis non opus erat: Hoc unum Christiano homine dignum " consilium Amico Veteri dandum fuit; scilicet, deserendum absque " morâ esse Episcopatum, deserendam ipsam Episcopalem potestatem, " ut quæ cum vera pietate nequeat consistere. In Institutione Christianæ Religionis, in qua, pro ratione scopi, quem in eo opere sibi " proposuit, adversus Episcopatum invehi debuit, si eum pro munere " legitimo non habebat, nihil occurrit, ex quo vel improbasse videatur. An non illud jure mireris, *Calvinum* adversus eas omnes corruptelas quas in Ecclesiam Christi invectas cernebat, ex professo " scribentem, Episcopatum nequidem attigisse, si cum *Smectymnuo* " aliisque Presbyterianis sentiebat, qui profitentur sibi religionem " esse diutius subjici Episcopis, & in licitis & honestis canonicam " obedientiam iis præstare? In Epistola ad Poloniæ Regem scripta universam Veteris Ecclesiæ Hierarchiam, ne Patriarchis quidem exclusis, non obscurè approbat. Quin innuit quoque sibi haud ingratum futurum, si Poloniæ Rex similem Hierarchiam in ditione " sua consistuat. Vetus Ecclesia, *inquit*, Patriarchas instituit, & singulis etiam Provinciis quosdam attribuit Primatus, ut hoc concordiæ vinculo melius inter se devincti manerent Episcopi. Quemadmodum si hodie Illustrissimò Poloniæ Regno unus præesset Archiepiscopus, non qui dominaretur in reliquos, vel jus ab illis ereptum arrogaret; sed qui Ordinis causa in Synodis primum teneret locum, & sanctam inter Collegas suos & Fratres unitatem foveret; Essent deinde vel Urbani Episcopi, &c. " Rogatus quid faciendum Episcopo Pontificio " qui ad Ecclesiam se adjunxerit, non respondet ei, Episcopali Potestate abeundum & in minimorum Curatorum Ordinem cogendum; Sed istiusmodi Episcopi partes erunt, *inquit*, dare operam quantum in se erit, ut omnes Ecclesiæ quæ ad ipsius Episcopatum pertinent, ab omnibus erroribus & Idolorum cultibus repurgentur, dum ipse exemplo præibit omnibus Curatis suæ Diœceseos atq; ipsos inducet ad admittendam reformationem ad quam Dei verbo invitamur, et quæ tum statui, tum usui Primitivæ Ecclesiæ omnino respondeat; " hoc est, debet, etiam post conversionem & adjunctionem ad Ecclesiam, non quidem recentiore Ecclesiæ Romanæ, sed vetere Ecclesiæ Primitivæ more " Episcopare. Aliâ Epistolâ in Colonienses Canonicos invenitur ob seditiosas adversus Episcopum suum Reformantem, molitiones. Omnia tentarunt, *inquit*, Colonienses Canonici cum tota Clericorum fece

Calvin. Epist. ad Poloniæ Regem.

Calvin. Epist. l. p. 466. Si Episcopus vel Curatus ad Ecclesiam se adjunxerit.

Calvin. ibid. p. 517. Ibid. p. 287.

fece ut Archiepiscopum dejicerent suo loco. " Ad *Jacobum Ithavium* " Vladislaviensem Episcopum scribens, quem, Illustrem & Reveren- " dum Dominum, vocat, ei non suadet ut abeat Episcopatu, sed tantùm, " ut cogitet, quem locum occupet & quod onus ipsi sit impositum. " Extat inter *Calvini* Epistolas prolixa illa quam ad Somersetiæ Du- " cem Edvardi Regis, ejus nominis Sexti, ætate pupillari Angliæ " Protectorem hoc est Proregem, scripsit de Ecclesiæ Anglicanæ Re- " formatione. Si *Calvinus* in Episcoporum Ordinem iniquior fuisset; " Si Genevensis Ecclesiæ Politiam apud alias gentes propagare in ani- " mum suum induxisset, aut si eam ad veram pietatem & optimum " Ecclesiæ Ordinem vel magis conducere credidisset, præclaram tum " animi sui sensum promendi propositumque ad effectum perducendi, " atque de Ecclesia Dei bene merendi occasionem habuit. Quid si- " mili oblatâ oportunitate Scoto atque Anglo-Presbyterianus per- " duellium solenni fœdere ad eradicandum ab Ecclesia Anglicana " Episcopatum obstrictus, facturus fuisset, divinare non est difficile. " At nullo istiusmodi scelerato fœdere umquam *Calvinus* sese impli- " cuerat. Nam quamquam ea omnia quæ minùs ipsi probabantur, in " ea Reformatione quæ tum in Anglia obtinebat, liberè, pro sua de " quolibet argumento dicendi libertate, reprehendit, Episcoporum " tamen munus ac dignitatem totâ illâ Epistola ne verbo quidem ar- " rodit. Quin apertè innuit absolutâ Ecclesiæ Anglicanæ Refor- " matione (in qua scilicet multa tum desiderabat, quæ postmodum " ad illius mentem emendata atque constituta ad hunc usque diem in " eâ obtinent) Episcopos perinde ac Parochos in ea retineri debere. Expedit quidem, *inquit*, prospicere desultoriis ingeniis, quæ sibi ni- mium licere volunt, &c. Ratio autem expedita ad eam rem una est, si extet nempe forma quædam doctrinæ ab omnibus recepta quam in- ter prædicandum sequantur omnes; ad quam etiam observandam omnes *Episcopi* & Parochi jurejurando adstringantur, ut nemo ad munus Ecclesiasticum admittatur nisi spondeat sibi illum doctrinæ consensum inviolatum futurum. Quâ verò ratione cum Schismaticis " agendum censuerit, ex his verbis quæ in eadem Epistola legere est, " non est difficile judicium. Audio duo esse (*scilicet in Anglia*) se- ditiosorum genera, quæ adversus Regem & Regni Statum caput ex- tulerunt. Alii enim, cerebrosi quidam videlicet, sub Evangelii no- mine ἀταξίαν passim invectam vellent; Alii verò in Superstitionibus Antichristi ita obduruerunt, ut earum revulsionem ferre non possint. Ac merentur quidem tum hi tum illi gladio ultore coërceri. " Cùm " *Calvinus ad Cranmerum* Archiepiscopum Cantuariensem literas " dabat, eum Reverendi Domini, Clarissimi Præsulis, & sibi Reve- " rendi, similibusque titulis atque compellationibus honorificis orna-

Calvin. Epist. ad Angliæ Protectorem.

Calvin. Epist. l. pag. 134. & 135.

" re; ipsumq; tanquam Ecclesiæ Anglicanæ Gubernatorem primarium " qui ad clavum sederet semper alloqui solebat. Tibi presertim, *inquit*, Ornatissime Præsul, quo altiore in specula sedes, in hanc Curam, ut facis, incumbere necesse est.——Oportet ut præcipuæ sint tuæ partes.—— Vides, quid locus iste postulet, vel magis quid pro muneris quod tibi injunxerit, ratione abs te suo jure exigat Deus. " Summa est in te authoritas. Si hoc non sit Episcopalem προστασίαν " agnoscere, quid sit fateor me nescire. Denique quam non fuerit " Orthodoxorum Episcoporum Ordini infensus, quamque abhorru- " erit ab eorum furoribus qui Ecclesiam Christi ex parte tantum Re- " formatam contendunt, quamdiu ulla in ea obtinuerit Hierarchia & " Episcopalis ὑπεροχὴ; quique ideo etiam in Reformatorum Episco- " porum perniciem conjurare pietatem ducunt, disertè testatus est, " libro *de Necessitate Reformandæ Ecclesiæ*, his verbis; " *Talem nobis Hierarchiam si exhibeant, in qua sic emineant Episcopi, ut " Christo subesse non recusent; ut ab illo tamquam unico capite pendeant, & ad ipsum referantur, in qua sic inter se fraternam societatem colant, ut non alio modo quam ejus veritate sint colligati: tum verò, nullo non Anathemate dignos fatear, siqui erunt qui " non eam revereantur, summâque obedientiâ observent.*

Calvin. Opusc.

§ Ad quæ omnia cum respondere debuisset Apologista, & singula serio examini subjicere, unum aut alterum duntaxat locum, cæteris, quibus maximè nitimur, prorsus præteritis, non refutandum sed corrumpendum atque eludendum delegit, vim omnem, quæ *Calvini* verbis inesse lectoribus videbitur, ad Orthodoxorum Episcoporum causam tuendam adversus Anglo-Presbyterianos, hâc unâ distinctiunculâ omnino enervasse, aut saltem bellè elusisse ratus; videlicet, *Calvino* iis locis, *non Cleri, sed gregis esse Episcopum.* Quasi verò Vetus ille *Calvini* amicus qui Episcopatum in Ecclesiâ Romanâ adeptus erat, unius duntaxat cœtûs, non autem totius tum Cleri tum plebis quam ea Diœcesis complectebatur, factus fuerit Episcopus: Quasi per Episcopos Urbanos & Provinciales & ipsum totius Regni Poloniæ Archiepiscopum de quibus in Epistola ad Poloniæ Regem, Parochos meros unico gregi præpositos intelligat; Et cùm vult illius Episcopi qui ad Ecclesiam se adjunxerit, partes esse dare operam, ut omnes Ecclesiæ quæ ad ipsius Episcopatum pertinent, reformentur, & omnes Curatos suæ Diœcesis ad admittendam Reformationem inducere, de unius cœtus Curato loquatur: Quasi *Jacobum Ithavium* illustrem illum Vladislaviensem Episcopum, & ipsum *Crannerum* Cantuariensem Archi-Præsulem totius Angliæ Primatem, aliosque Episcopos ad quos scribit, non pro Cleri Episcopis habeat; Quasi denique, cùm eos nullo non Anathematum genere feriendos pronunciat,

ciat, qui Hierarchiæ quam describit, subjici renuunt, nihil aliud sibi velit, quam eos nòn ferendos qui nullos verbi & Sacramentorum Ministros paris inter se gradus ac dignitatis ferrè volunt; & illud Ecclesiæ regimen Hierarchiam dicat, in quo nulla sit Sacrorum Ministrorum imparitas ac subordinatio, nulli sint ἱεράρχαι, nullus Superior aut Inferior, sed omnimoda æqualitas, qualis in pauculis illis Ecclesiis Reformatis obtinet, in quibus nulli sunt Antistites. Certè Apologista qui sensum eum *Calvini* verbis, alium contrarium tam clarè exhibentibus audet affingere, aut planè delirus est & præconceptâ opinatione ita obcœcatus, ut nec ea cernat quæ oculis obversantur & cuivis obvia sunt; aut lectores omnes perinde atque *Theophilum* suum, cùm *Calvinum* tam multa sibi non expectata pro Episcopis dicentem audivit, obstupuisse opinatur, & interea quæ affirmat vera esse ipse non credit.

§ "At ait Calvinus, *inquit noster*, non sic honore ac dignitate "superiorem fuisse Episcopum ut Dominum in Collegas haberet, "sed quas partes habet Consul in Senatu, ut referat de negotiis, sen-"tentias roget; consulendo, monendo, hortando aliis præeat, & "quid decretum communi consilio fuerit, exequatur, id muneris "sustinuisse Episcopum in Presbyterorum cœtu. Atque idipsum "pro temporum necessitate fuisse humano consilio inductum, fateri "ipsos Veteres. Respondeo: Ait quidem, idque nobis nihil quicquam officit, qui non Episcopis nostris imperium *Despoticum*, quod *Calvinus Dominium* vocat, sed *Patriam* tantum, aut si vis *Consularem* Potestatem tribuimus, ut ex dictis Cap. XXX. patet. Quæ autem fuerit Consulum potestas & quam similis sit ei quam ad Episcopos nostros pertinere contendimus, Vide apud *Polybium lib. 6.* Nec magis nocet quod Episcopatum ad institutionem humanam hoc loco referre videatur. *Primò*, enim nobis sufficit adversus Presbyterianos, quod undecunque ducat originem, à *Calvino* non improbetur. Sed, *Secundò*, ejusdem Capitis Paragrapho 1. statim initio asserit *Calvinus*, "Ve-"teris Ecclesiæ formam nobis Divinæ Institutionis imaginem quam-"dam oculis repræsentare; Et tametsi multos Canones ediderunt "illorum temporum Episcopi, quibus plus viderentur exprimere "quàm Sacris Literis expressum esset, eâ tamen cautione totam suam "Oeconomiam composuisse ad unicam illam Verbi Dei formam, ut "facile videas nihil ferè hac in parte habuisse à Verbo Dei alienum. Et Paragrapho secundo, unde verba desumpta sunt, quæ nobis objecit Adversarius post celebrem illum *Hieronymi* locum ex Commentario in Epistolam ad *Titum* Cap. 1. statim addit, *Alibi docere Hieronymum quam fuerit antiquum Episcoporum institutum; nempe Alexandriæ, à Marco Evangelista usque ad Heraclam & Dionysium*

Calvin. Inst. l.4.sect.2.

Ad Evagrium.

Presbytero semper unum ex se electum in Ecclesiori gradu collocasse, quem Episcopum nominabant. Sanctum *Marcum* autem annos 5. ante S. S. *Petrum* & *Paulum*; plus verò 30. ante S. *Johannem* in cœlum migrasse testis est Historia Ecclesiastica. Unde sequitur saltem ad Apostolorum tempora à *Calvino* referri Episcoporum institutum. Sed Commentario in *Titum* Capite 1. v. 5. ad illud Sancti Pauli; *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ ut ea quæ desunt corrigas & constituas per Civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi*. Episcopolem προεστασίαν ad ipsos etiam refert Apostolos, his verbis. *Discimus quidem ex hoc loco, non eam fuisse tum æqualitatem inter Ecclesiæ Ministros, quin unus aliquis authoritate & consilio præesset*. Itaque aut sibi non constat *Calvinus*, aut humano consensu inductum ei id dicitur, cujus in Scripturâ non extat expressum Domini præceptum; seu, ut loquitur *Hieronymus*, loco à *Calvino* laudato, *quod non est Dominicæ dispositionis veritate constitutum*; Exemplum enim unius Ministri præ aliis præeminentiæ in *Tito* præbuisse Sanctum Paulum agnoscit, cùm eum totius insulæ Cretensium Ecclesiis præfecit, ut apud eas Presbyteros κατὰ πόλιν ordinaret, & cætera corrigeret, quæ nondum erant ab ipso Apostolo perfectè constituta. Et in Præfatione Commentarii ad Jacobi Epistolam, prout ante à observavimus, agnoscit *Jacobum*, non Apostolum, sed unum è Discipulis Ecclesiæ Hierosolymitanæ ab Apostolis Episcopum fuisse præfectum. Ex quibus apparet quam Presbyteriani sint in *Calvinum* injuriosi, cùm eum affirmant Hierarchiam extra Ecclesias Reformatas eliminandam censere, & Episcopis licet orthodoxis et nullo alio, nisi veritatis vinculo, inter se colligatis, vel eò nomine quod sint Episcopi, perinde atque *Smectymnuum* adversari.

Calvin. Epist. l. p. 213. § Jam videamus quomodo se in cæteris Controversiarum nostrarum Capitibus, *Calvini* Discipulos præbeant & eum Magistrum sequantur. 1. *Calvinus* profitetur, *se semper in Ceremoniis facilem & flexibilem præbuisse*. Et quod verbis professus est, re ipsa præstitit. Nam & panem azymum & orbiculatum in Eucharistiæ celebratione, & alia multa, quæ ipsi non placebant in Ecclesiâ Genevensi vir sapiens sine tumultu & seditione toleravit. Aliis etiam ut eamdem moderationem servarent author fuit. *De Ceremoniis effice*, inquit ad Farellum scribens, *apud fratres ne eadem certent cum vicinis pertinacia. Ita fiet ut omnia nostra sint, nos ab omnibus liberi servi simus pacis & concordiæ*. Knoxum etiam cujus præfervidum ingenium noverat, ad moderationem hortatur, his verbis. *Danda quidem opera est ut Ecclesia sordibus omnibus purgetur, quæ ex errore & superstitione manarunt. Sedulò etiam eniti oportet, ne fœdentur Dei mysteria ludicris vel insipidis mixturis. Hâc exceptione positâ, quædam, etsi minus probentur, toleranda esse non ignoras. Hoppero* Glocestrensi, de quo supra, suasit *ne de pileo &*

Vide Bezam in vita Calvini.

Calvin. Epist. l. p. 11.

Ibidem p. 328.

Calvin. Epist. l. p. 131. *Bullengero: ibidem. p.* 56.

veste

veste lineâ pertinacius pugnaret. *Montpelgardensibus* quoque author erat, *ne metus offendiculi, si novam agendi formam,* quæ non erat in Genevensi aliisque Ecclesiis ad Genevensis normam Reformatis usitata, *jubente Principe recipiant, eos impediat ab iis ritibus admittendis, quos alioqui non liceat penitus improbare.* Quam vero Presbyteriani se *scrupulosos, morosos, superstitiosos, præfractos* hac in parte præbuerint, ante annos complures à Clarissimo *Capello* Salmuriensi Professore observatum est, idque clamoribus assiduis & famosis suis libellis vernaculo Latinoque idiomate editis, quibus Ecclesiam Anglicanam indesinenter proscindunt, toti orbi manifestum fecerunt. *Thes. Salmur. de liturg. part. 3.* 2. A nullâ re magis abhorruit *Calvinus* quam a Schismate, hoc est, Separatione non necessaria ab Exclesiâ Christi maximè in ea parte in qua vivitur. Id ubique & quâvis datâ occasione testatum facit. *Farello* scribens *Bucerum,* qui Lutheranorum Ceremoniis plus æquo favere nonnullis videbatur, sic defendit; *Tantum non patitur ut ob externas illas observatiunculas à Luthero disjungamur. Nec sanè justas esse puto dissidii causas.* *Calvin. Epist. l p. 19.* *Sonerio* cuidam quærenti, an sibi & aliis viris Orthodoxis cœnam Domini cùm ex eorum Ministrorum manibus, qui non ipsis videbantur ex omni parte Orthodoxi, tum etiam cum tantâ hominum colluvie, quanta ipsis videbatur, participare liceret, respondet, *Tantum debere inter Christianos esse odium Schismatis, ut semper quoad licet, refugiant; Tantum Ministerii & Sacramentorum reverentiam esse oportere, ut ubicunque extare hæc cernunt Ecclesiam esse censeant. Quando igitur Domini permissu fit, ut per illos qualescunque tandem sint, Ecclesia administretur, si Ecclesiæ signa illic conspiciunt, satius fore si non se à communione alienent.* *Ibid. p. 10. Farello.* Cum nonnulli eum reprehenderent quod quibusdam piis fratribus conjunctionem suaderet cum Ecclesia quæ minùs pura videbatur; *Hoc unum contendebam,* inquit, *ne schismate scinderent qualemcunque Ecclesiam. Quæ utcunq; esset corruptissima moribus, doctrinis etiam exoticis infecta non tamen desciverat penitus ab ea doctrina, quâ Ecclesiam fundari docet Paulus.* *Ibid. Farello. p. 13.* Cùm Ecclesiâ & Civitate Genevensi ejectus fuisset & unà *Farellus* & *Viretus*; cumque civium pars memorabils Pastores, qui eis suffecti fuerant, audire nollent, injuriam *Calvino* & Collegis factam, atque nonnulla in Disciplinâ Ecclesiastica & ritibus mutata causantes, amicos illos suos ad concordiam cum cæteriis Ecclesiæ & Civitatis membris, & debitum novis illis Pastoribus obsequium præstandum seriò hortari non destitit, usque dum perpulerit. Legatur ea quæ inter illius Epistolas duodecima est Genevensi olim Ecclesiæ tum in partes scissæ inscripta, sed quæ Presbyterianis nostris scripta videtur. *Calvin. Epist. l. p. 22.* "Jam "si disceptatis, *inquit sub finem,* & contenditis cum vestris Pastori-"bus ad rixas usque & convitia uti accidisse audio, satis constat ea

ratione

"ratione ministerium ipsorum, in quo elucere debuit splendor glo-
"riæ Domini nostri Jesu Christi, opprobrio & contumeliis subjici,
"ac tantum non pedibus calcari. Vestrum est igitur attentè illud
"cavere, ne, dum hominibus insultare videmini, Deo ipsi bellum
"reipsa indicatis. Neque porro illud levis momenti vobis videri
"debet, quod fiant & foveantur in Ecclesiæ Schismata & Sectæ,
"quod nullum pectus Christianum sine horrore etiam haurire potest.
"Quin verò ita se res habeat, ubi ejusmodi separatio est & quasi se-
"cessio inter Pastorem & populum, res ipsa loquitur. Quam sint qui se vocant, *Ejectos in Anglia Ministros*, sed quos Ecclesiarum suarum Desertores & deplorandi in Ecclesiâ Anglicanâ Schismatis authores rectiùs dixeris, ab istis Calvini moribus & ingenio alieni nihil opus est dicere. Res ipsa nimis apertè loquitur. Nam quod ait Apologista suo & suorum nomine, *se à separatione æquè ac à superstitione metuere*; *Et Ecclesiam Anglicanam veram Christi Ecclesiam agnoscere, cùm in ea prædicentur omnia capita fundamentalia fidei Christianæ, atque ita fideliter prædicari à nonnullis Conformistis*, quos vocat, *ut non dubitet se istorum cœtibus adjungere*, verba sunt & voces, quibus nec praxis quotidiana, nec alibi hoc ipso libello dicta, consonant. Nam & seorsim à publicis fidelium cœtibus clancularia conventicula passim agitant, & jam plus satis insanienti plebeculæ furorem addunt, eamque adeo distrahunt atque præjudiciis obcœcant, ut quibusdam locis non magis à Pontificiorum, quàm ab illius Ecclesiæ quam veram Christi Ecclesiam coguntur agnoscere, cœtibus abhorreant. Quod quid aliud est quam eam factionibus scindere, & jam annis pluribus à se factum horrendum Schisma, ne umquam solida sit & Christiana, qualis inter fratres debet esse conjunctio, quibuscunque viis ac modis possunt, fovere? At quamquam Verba sunt & voces tantum, ut hic rectè quis dicat, quid verba audio, dum facta video? Ista tamen verba & istæ voces Presbyterianos verè Schismaticos esse planè demonstrant, ut qui ab eâ, quam fatentur veram Christi Ecclesiam, in qua omnia Christianæ fidei fundamenta fideliter prædicantur, sponte secedant. 3. *Calvinus* certam precum & administrationis Sacramentorum Formulam in usum Ecclesiæ Genevensis; cum antea nullam haberet, composuit, & siquando extraordinariæ supplicationes ob aliquam calamitatem publicam decernebantur, precationes quibus cùm ipse tum cæterarum Ditionis Genevensis Ecclesiarum Ministri uterentur, conscribebat; Denique ad Somersetiæ Ducem Angliæ Protectorem scribens, in eâ ipsa Epistola quam jam hoc capite laudavimus; *Quod ad Formam precum & rituum Ecclesiasticorum, valde probo*, inquit, *ut certa illa extet, à qua Pastoribus in functione sua discedere non liceat*: Presbyteriani omnes precum & Sacramentorum admini-

Apol. p. 188. & 189.

Vide Calvini Opuscula. Calvin. Epist. l. p. 585.

administrationis Formulas, quibus hactenus feliciter et cum fructu usa fuerat Ecclesia Anglicana, quamquam Synodicâ Parlamentariâq; atq; adeo Regiâ authoritate comprobatas, cum probro veluti pietatis ac devotionis remoras vel eo nomine quod essent certæ statæque precum Formulæ, abjecerunt & tantum non conspuerunt, iisdem contumeliis *Calvini* ipsius Liturgiam affecturi, si in Ecclesia Anglicana obtinuisset. 4. *Calvinus* eos vel qui diuturno morbo laborant, vel qui de vitâ periclitantur non esse Sacræ Eucharistiæ communicatione privandos omnino censet. *Presbyteriani* hac in parte *Calvinum* Magistrum adeo non audiunt, ut perniciosissimam eam esse Ecclesiæ Anglicanæ & aliarum Reformatarum, in quibus obtinet, consuetudinem esse contendant. 5. *Calvinus* Confirmationis ritum, qualis in Ecclesia Anglicana celebratur, laudat & ubique apud Ecclesias Reformatas restitutum cupit; *Presbyteriani* rerum Domini eum extra Ecclesiam eliminarunt & jam postliminio reductum maledictis insectantur. 6. *Calvinus* Festa adeo non damnavit & extra Ecclesiam eliminanda censuit, ut cum in Ecclesiâ Genevensi Plebiscito abolita fuissent, *testatum esse voluerit, si ipsi delata Optio fuisset, quod tum constitutum fuit, pro sententia dicturum non fuisse*; Quin et, *illos se compescuisse profitetur qui dies Festos prorsus tollendos clamitabant*. Presbyteriani Festa omnia è Calendario unâ liturâ induxerunt & penitus abrogarunt. 7. *Calvinus* Moechorum & Excommunicatorum liberos Sacro Christi Baptismate intingi debere affirmat, & multis probat argumentis. *Presbyteriani* eâ ratione Sacramentum Baptismi prophanari & in contemptum abire pertendunt. 8. *Calvinus* licet superstitiosos Pontificiorum ritus pro merito omni datâ occasione perstringat, eos tamen, quos ab omni superstitione, tam quoad visum quàm quoad opinionem repurgatos, in Ecclesiâ Anglicanâ retineri visum est, prout in eâ nunc etiam obtinent, nullibi damnat aut suggillat. Chrisma, exsufflationem, sputum, lumina quæ Pontificii Baptismo addiderunt, quasi Spiritus Sancti gratiam & à peccatis ablutionem uno aquæ elemento Christus non satis significasset, pro totidem Sacramenti prophanationibus habet: Sed Crucis in fronte recens baptizatorum designationem, ad officii ad quod Baptismò vocamur significationem & admonitionem, nusquam improbat. Panis Eucharistici adorationem puram putam idololatriam esse sentit: Mutilatio Eucharistiæ ei horrendum Sacrilegium est Nec aliis abusibus quibus Sanctum illud Sacramentum in Ecclesiâ Romanâ fœdatur, magis parcit, ubi sese offert de iis disserendi occasio. Sed ingeniculationem eâ intentione quam declarat Ecclesia Anglicana, inter communicandum adhibitam, ne verbulo quidem reprehendit. Et quamquam nigrarum, quàm albarum vestium usum in Sacrorum celebratione

Calvin. Epist. l. p. 453. & 454. Oleviano.

Apol. 120, 121.

Calvin. Epist. l. p. 137. Hallero. ibid Ministro Burensi p. 138.

Ibid. Knoxo p. 442.

tione magis probabat, ut varia sunt hominum de coloribus judicia, suasit tamen *Hoppero* ne eâ de re pertinaciùs pugnaret. Quantas verò tragœdias *Presbyteriani*, qui se mentiuntur *Calvini* Discipulos in Imperio Britannico ob eos ritus excitarint, nemo nescit, cui istorum nomen auditum est. 9. *Calvino* ii ritus maximè probantur qui *Symbola sint reverentiæ & incitamenta officii Deo debiti. Presbyteriani* vel hoc uno nomine eos maximè abominantur. 10. *Calvinus* neminem non auditum, non judicio legitimo prius damnatum à Sacrâ Domini cœnâ repellendum censet: *Presbyterianorum* Ministri Sacramentum Eucharistiæ *Parochianis suis annos integros aut ampliùs, administrare renuerunt, idque piis, licet illius usum exixè petentibus, æque ac ignorantibus, scandalosis ac prophanis*, inquit, *Gulielmus Prinnius* & ipse Presbyterianus. 11. *Calvinus* unâquâque die Dominicâ Sacram Eucharistiam celebrari placuisset; atque uti saltem singulis mensibus semel in Genevensium Ecclesia celebraretur, omni ope annisus est. Cum autem id efficere non valuisset, quid fieri hac in parte oportere sentiebat in acta referri curavit, ut posteritas videret & corrigeret. *Presbyterianorum* Ministri *Phantasmatibus suis & prætensis nescio quibus conscientiæ scrupulis*, uti loquitur eodem loco idem *Prinnius* Sacræ Eucharistiæ omnem celebrationem multis locis tantùm non aboleverunt. 12. *Calvinus* Sponsorum Baptismalium usum in Ecclesia Genevensi usu receptum retinuit & probavit; Presbyteriani eos non nisi in parentum absentia censent admittendos. 13. *Calvino* jusjurandum scandali suspectis à judicibus Ecclesiasticis in Consistoriis ex Officio deferri perplacuit; Presbyterianis juramentum Reo ex Officio Judicis delatum tyrannicum atque intolerabile videtur. En ut *Calvinum Magistrum suspiciunt ac sequuntur.*

Calvin. Epist. l. p. 131. Bullingero.

Vide supra cap. 3. p. 32.

Calvin. Instit. l. 4. c. 18. 43. Idem. Epist. l. p. 452.

Vide cap. 3. toto capite.

Vide Presbyter. Director. de Baptismo.

§ *At in Calvini manes impotenter debacchantur Hierarchici, inquit Apologista pag. 199.* Hoc si faciant, id absque omni *Calvini* merito eos facere vel ex uno hoc Capite manifestò liquet. At si is est *Calvinus*, quem esse fingunt & haberi volunt Presbyteriani, nempe ipsorum Magister quem ut oraculum audiunt & in omnibus viæ ducem sequuntur; cui mirum fuerit ejusmodi Discipulorum Magistrum, si ex istorum doctrinâ ac moribus æstimetur, à nobis haud magni fieri, imò & quo ipsi digni sunt, à bonis omnibus odio pariter haberi? Ut siquid à nonnullis nostrorum in virum præstantissimum asperius dictum occurrat, id unis istis par sit imputari, qui ut se magno nomine tutarentur, cum suum totum esse tam frequenter tamque inverecundè mentiti sunt, hacque suâ imposturâ nostrorum forsan haud paucis nimium credulis exosum reddiderunt. Unâ in re tantummodo instare lubet ad exemplum, idque paucis quoniam de eâ jam supra fusè dictum est. Cùm exorta esset inter Anglos *Marianis* temporibus

Francofurti

Francofurti ad Mœnum Religionis causâ exulantes de precum publicarum formulâ non levis altercatio, aliis Ecclesiæ Anglicanæ Liturgiam, aliis aliam novam potentibus, isti, qualis esset quam respuebant Liturgiam scriptis literis *Calvinum* edocuerunt, rati fore ut illico Vulcano tradendam pronunciaret. Nihil tamen ab eo in illam licet ut jam observatum est, falsis atrisq; depictam coloribus extorquere potuerunt his verbis asperius, *In Liturgiâ Anglicanâ, qualem describitis, multas video fuisse tolerabiles ineptias.* Quoniam verò illud, Qualem describitis, hæc duo manifestò innuebat; primò ipsam Liturgiam *Calvino* haud visam fuisse, sed ex aliorum descriptione de ea judicium tulisse; deinde etiam eos à quibus descripta fuerat, illius apertos hostes extitisse, quorumque adeo fidem suspectam habebat, homines non melioris fidei quam Expurgatores Pontificii, in illa *Calvini* Epistolæ Versione, quam *Francofurtensis Dissidii* Historiæ inseruerunt, eam parenthesin prorsus expunxere, exindeque *Calvini* verba sic mutilata, ad contemptum Liturgiæ apud suos, ipsi autem *Calvino* invidiam apud nostros creandam centies ad nauseam usque abjectarunt. Quâ improba fraude plus longè viri celeberrimi famæ nocuerunt, quam qui in eum, istorum decepti fraudibus ac mendaciis, impotentius debacchati sunt Hierarchici. Eamdem quoque injuriam Reformatis Fratrum Transmarinorum Ecclesiis fecerunt, cùm eorum mores suis similes prædicarunt. Sed quod tacendum non est, nonnulli etiam exterorum Presbyterianos in calumniâ, nostros in errore, scriptis suis confirmarunt. Unus *Georgius Hornius* Belga, sit instar omnium. Ille in compendio Historiæ Ecclesiasticæ adeo prolixus est & effusus in Puritanorum laudibus decantandis, ut, quod jam supra observatum, ab iis pecùnia conductus videatur. Hos ut illis omnibus Ecclesiis apud quas *Calvini* nomen celebre est, impensius commendet, *Calvini* Discipulos & Sectatores in omnibus eos esse confidenter affirmat, licet ut ex hoc Capite manifestum est, *Calvini* Doctrinam atque mores iste homo aut prorsus ignoret, aut egregiè dissimulet. *Erant Puritani in Anglia*, inquit, *qui tum doctrinam tum Gubernationem Ecclesiarum Reformatarum in Helvetia, Germania, maximè Genevensium à Johanne Calvino, viro ipsis Apostolis comparando, &c. approbabant, viri omnino vitâ Sanctissimi, doctrina purissimi, &c.* Artic. 2. sect. 12 Et alio loco, dicit eos *quod Disciplinam Genevensem sequerentur, Calvinianos, & Presbyterianos vocitatos.* Ibid. sect. 25. Sed ut ad nostrates Puritanos revertatur oratio; Famosos etiam quos scripserunt adversus Ecclesiam Anglicanam libellos licet in ipsa Urbe Londinensi impressos, *Genevæ* editos prima pagina indicavit, prout nuper factum à Gallicæ Anglicorum Puritanorum Apologiæ Scriptore, ut Genevensem nominatim Ecclesiam à suis partibus contra Anglicanam suis no-

ſtriſque ſtare perſuaderent. A quâ atroce calumniâ à me plenè vindicatæ ſunt, Tractatu Anglicano, Genevenſis aliæque Reformatorum Eccleſiæ. Id ſcilicet egerunt boni iſti viri ut cæteras Eccleſias Reformatas in Anglicanam, & hanc viciſſim in illas exaſperarent, quo ſocios ſibi aſciſcerent, nobis verò hoſtes crearent in ferali illo bello quod Eccleſiæ Dei apud nos jam à ſæculo indixerunt; non videntes ſe hâc ratione Pontificis Romani, eâ Jeſuitis erepta provinciâ, planè rem agere, cui nempe imperii in orbem Chriſtianum recuperandi ſpes nulla reliqua eſt, niſi ex mutuis Proteſtantium odiis atque concertationibus; aut ſi videant, non curantes, modò animo ſuo obſequantur. Et quoniam *Calvini* nomen apud pleraſque Transmarinorum Reformatorum Eccleſias in pretio eſſe noverant; ſe illius Diſcipulos profeſſi ſunt, non quod quicquam ulla in re illius authoritati deferant (*Calvinum* enim ut hoc capite demonſtratum eſt, ne hili quidem faciunt) ſed ut noſtros eo pacto in illum irritarent, & quæ iſtorum artibus in *Calvinum* irati ſcripſiſſent dixiſſentve, ea ſtatim arriperent, atque ad creandam nobis invidiam, gratiam verò ſibi apud Fratres Transmarinos conciliandam, exaggerarent. Nam ſi tanti foret apud eos *Calvini* fama, quanti præ ſe ferunt; qui fit ut ab Independentibus aliiſque Sectariis eum impunè lacerari patiantur. *Ludovicus* ille *Molinæus* Medicinæ Doctor, cui tantum abs re ſua otii eſt ut de Theologia etiam ſcribat, non uno loco neque unâ in re *Calvinum* (quod jam à nobis obſervatum eſt) carpit ac ſuggillat, modò ob invectam in Eccleſias Reformatas Excommunicationis Diſciplinam, quâ unâ Antichriſti tyrannis ipſi niti videtur; modò ob eam quam tradidit de cœnâ Domini doctrinam. At quamquam *Baxterus* aliique Presbyteriani famam ſuam adverſus *Molinæum* tutati ſunt, *Calvinum* tamen perinde ac *Laudum*, quem etiam æquè immerentem (ut ſupra vidimus) idem Scriptor traduxit, inultum & *Ludovici* telis confoſſum, ſeu potiùs impetitum reliquerunt. Quo manifeſtum eſt eos non *Calvini* gratiâ ſed aliud ſpectantes, nempe ut Eccleſiarum Reformatarum in quibus viri illius nomen jure merito in pretio eſt, iram atque odium in nos accenderent, *Calvini* patrocinium ſuſcipere.

Vide Ludovic. Molin. Paræneſin. cap. 13. p. 321. cap. 14. p. 387. cap. 15. p. 406. & 417.

Idem in Epiſt. ad Renat. Verd.

§ Sed operæ pretium fuerit hic diſpicere an quos Apologiſta vocat Hierarchicos, in *Calvini* manes impotenter adeo, quod ait ipſe, debacchentur. Quanti *Calvinum* fecerit Beatus Chriſti Martyr *Thomas Cranmerus* Cantuarienſis Archiepiſcopus, hoc eſt, Hierarchichorum Ἀρχιδήμος, vel ex illa quam Martii 20. anno 1552. paulo ante Edvardi Regis obitum, ad *Calvinum* ſcripſit Epiſtolâ, quæ in *Calvini* Epiſtolarum libro habetur, videre eſt. Eum Reverendiſſimus Antiſtes peramanter compellat, & cum eo Synodi omnium Eccleſiarum Reformatarum Convocandæ ad majorem fidei conſenſionem & animorum

Calvin. Epiſt. l. p. 596.

morum conjunctionem inter eos conciliandam, quod tum animo versabat, consilium communicat. *Johan. Whitgiftus* (cujus arbitratui, cum eamdem sedem Metropolitanam teneret, res Ecclesiasticas *Elizabetha* Regina, insolidum permisisse ab Apologista dicitur, *adeo ut ei uni suas miserias*, prout iste loquitur, *Puritani* debuerint; hoc est, per eum unum steterit quominus confusionem quam ante aliquot annos vidimus ac horruimus, jam tum in Ecclesiam inque Rempublicam inveherent) eo ipso libro, quem adversus Puritanos scripsit, *Calvinum* modò *celebris*, modò *eruditi viri* ornat elogiis, neque ullibi illius meminit absque præfatione honoris. Quin passim eo authore nititur contra adversarios. Et cùm isti illius authoritate, jam tum abuterentur adversus Ecclesiam Anglicanam, quid de *Calvino* sentiret Archi-Præsul eruditissimus his verbis declaravit. *Si Calvinus adhuc in vivis esset, & Ecclesiæ nostræ controversiarum statum perspectum haberet, ego nullus dubito*, inquit, Puritanos alloquens, *quin vos damnaturus esset.* A *Thoma Bilsono* Wintoniensi Episcopo, qui *Elizabetha* & *Jacobo* regnantibus floruit, eo libro quem *de Perpetua Ecclesiæ Christi Gubernatione scripsit adversus Puritanos Calvinus, vir doctissimus magni judicii, magnæque in Ecclesia Christi existimationis dicitur.* Et alio loco ejusdem libri, *Calvinum*, inquit, *propter singulares ipsius dotes & labores Ecclesiæ impensos sanè veneror & amplector.* Notæ sunt *Hadriani Saraviæ* Cantuariensis Ecclesiæ Præbendarii viri longè præstantissimi pro Hierarchiâ Anglicana lucubrationes doctissimæ. Ille vero nunquam non honorifice de *Calvino* loquitur. *Piæ memoriæ Dominus Calvinus*; *Calvinus erit nobis loco multorum*; *Piæ recordationis Joh. Calvinus*, & similia apud eum passim occurrunt. *Rich. Hookerus* celeberrimus ille atque doctissimus Ecclesiæ Anglicanæ ὑπερασπιστὴς in incomparabili illo opere quod de Politia Ecclesiasticâ adversus Puritanos edidit, regnante *Elizabethâ*, *summam Calvino sapientiam tribuit atque eum ad rerum divinarum cognitionem pervenisse*, ait, *non tam alios audiendo aut legendo quam docendo. Quamquam enim in eo genere*, inquit, *innumeros debendi reos habuit, ipse nemini debitor fuit præterquam uni Deo, anthori scilicet beatissimi illius fontis, libri vitæ, admirabilisque illius ingenii acuminis quo pollebat, atque aliarum scientiarum, quibus ducibus vir tantus evasit.* His alios magno numero possem addere. Sed cùm ii omnes non modò Hierarchici, quos iste vocat, sed Hierarchiæ, hoc est, imparitatis inter Christi Ministros, & cultus externi, rituumque omnium qui in Reformatâ Ecclesiâ Anglicanâ observantur, assertores eximii longeque illustrissimi atque doctissimi suo quisque tempore, extiterint; inde satis liquidum est, nec *Calvinum* Hierarchicis, nec Hierarchicos *Calvino* bellum indixisse; & siqui sunt inter Hierarchicos qui *in Calvini*

Apol. p. 92.

Whitgiftus advers. Cartwright. Tract. 2. p. 113.

Bilson. de perpet. Eccles. Christi Gubern. cap. 7. & cap. 9. p. 136. & cap. 13. p. 227.

Saravia de divers. Ministr. gradibus advers. Bezam. cap. 1. p. 25. & 27. & cap. 2. p. 65.

Hookeri Præfat.

manes debacchentur, eos non Ecclesiæ Anglicanæ, quæ nemini conviciari solet, causâ aut jussu, sed aliunde ad ejusmodi intemperiem impulsos, idque iis solis atque Puritanorum impiæ fraudi & impudentiæ, qui se falsò pro *Calvini* Discipulis venditant, uti abundè à nobis demonstratum est, imputandum. Ex quibus lector cordatus facile judicabit, ab utris *Calvini* famæ meliùs consultum sit, ab Adversariis qui eum suum esse & secum pariter insanire ad ravim usque vociferantur, an à nobis quotquot ejus libros attente legimus, qui eum ab istorum deliriis & furoribus alienissimum fuisse affirmamus.

CAPUT

CAPUT XXXIV.

Quid ſentiant Eccleſiæ Chriſti Reformatæ extra Angliam de Epiſcopatu in genere, & in ſpecie de Eccleſiæ Anglicanæ Epiſcopatu; Et pro quibus ſententiam dicturæ ſint ſi Judices ſedeant in Concilio inter Eccleſiam Anglicanam & Presbyterianos Schiſmaticos.

Quid author ſibi propoſuerit in Tractatu, quem Anglico *ſermone edidit, de cæterarum Eccleſiarum Reformatarum conſenſu cum* Anglicana. *Concilium in eo ex omnium Reformatorum Delegatis cogi fingitur ad Decidendas Controverſias quibus vexatur Eccleſia* Anglicana. *Eæ omnes controverſiæ ad Quatuor Capita revocantur. Secundam dimidiâ parte truncatam exhibuit Apologiſta, & ſtatum Quæſtionis de Epiſcopatu immutavit. Pro Eccleſia* Anglicana *ſententiam dicat, & Presbyterianos Schiſmaticos eſſe pronunciet neceſſe eſt ejuſmodi Concilium, aut à receptâ & uſu quotidiano confirmatâ omnium Eccleſiarum Reformatarum doctrinâ recedat. Verus controverſiæ de Epiſcopatu inter Eccleſiam* Anglicanam *& Presbyterianos Schiſmaticos, ſtatus. Unde* Lutherus, Melancthon *aliique inducti ut Epiſcoporum Poteſtatem, in Presbyteros transferri poſſe aſſererent. Id tamen fieri non debere niſi cogente neceſſitate profeſſi ſunt. Nonnulli eorum jure Divino Epiſcopatum niti nobiſcum, cum deferbuit*

deferbuit disputationis æstus, nobiscum agnoscunt. Ecclesiarum Reformatarum Regimen varium. Paucæ sunt si cum cæteris conferantur, in quibus omnimoda Pastorum æqualitas obtineat, Gallicæ, *scilicet*, Belgicæ *&* Genevensis *& aliæ nonnullæ istorum quasi Appendices. Re & nomine Episcopi Ecclesias Reformatas regunt in Regnis* Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ, Sueciæ, Daniæ, Norvegiæ, Hungariæ, Transylvaniæ. *Eas quoque rexerunt cum Episcopali Potestate Antistites,* Seniores *dicti, in Regno* Bohemiæ, *antequam Reformati inde expellerentur. Ab iisdem Fratrum* Bohemorum *Ecclesiæ gubernatæ in dispertione per* Moraviam *&* Poloniam. *In* Germania, Prussia, Curlandia, Helvetia *Ecclesiæ Reformatæ reguntur à* Superintendentibus, Antistitibus, Præpositis, Decanis. *Sunt etiam apud quasdam earum Ecclesiarum* Superintendentes Generales *&* Generalissimi. *Apologistæ Exceptiones tres contra Argumentum ex earum Ecclesiarum regimine ductum, quæ ab Episcopis & Superintendentibus gubernantur. Episcopus qualis ab Apologista describitur, Chimera est. Episcopi aliarum Ecclesiarum iidem cum Episcopis Anglicanis, in iis in quibus posita est Potestas Episcopalis.* Halbronerus, Heerbrandus, Humnius, Brochmandus, *Theologi Lutherani Episcopatum jure Divino niti docent. Laudatur* Schookius *à quo* Saravia *adversus* Brochmandum *defenditur. Fratrum* Bohemorum *Episcopi ab* Anglicanis *nullà in re quæ sit Episcopatui essentialis, differunt. Qui in iis Ecclesiis Conseniores dicuntur, sunt quasi Episcoporum Suffraganei. Describitur Episcopus Fratrum* Bohemorum, *juxta eorum Disciplinam: Eorum, quemadmodum Episcoporum, & Superintendentium aliarum Ecclesiarum Reformatarum, quam inferiorum Ecclesiæ Ministrorum stipendia majora. Laudatur* Duræus. *A* Waldensium *Episcopis, qui originem suam ad ipsos Apostolos referebant, Ordinati primi Fratrum* Bohemorum *Episcopi. Qui sint Ecclesiarum Hungaricarum* Seniores.

Seniores. *Explicatur locus quem ex* Act. XX. *Adversarii afferre solent pro Pastorum æqualitate. Excutiuntur quæ habet Apologista de Superattendente in Ecclesiis* Polonicis, *ex Xansensis Synodi constitutionibus. De* Germanicarum *Ecclesiarum Superintendentibus. Ex* Zanchio *&* Carpzovio *eorum munus idem esse quod Episcoporum, probatur.* Lutherus, Melancthon, Georgius Anhaltinus *& cæteri Augustanæ Confessionis Socii Concessere ut Episcopi Potestatem suam retinerent, modo Reformationem amplecterentur.* Bucerus *varios ab Apostolis in Ecclesia Ministrorum Ordines constitutos docet.* Oecolampadii, Bullingeri, Zanchii *de variis Ministrorum Ordinibus in Ecclesia, judicium.* Juelli *&* Martyris *de re eadem judicium; Itemque* Amyraldi *&* Capelli. Capellus *retractavit in Thesibus de Liturgiis quæ ex aliorum relatu in Thesibus de vario Ecclesiarum Reformatarum regimine ante triennium scripserat.* Petrus Molinæus *pro R. Ecclesiæ* Anglicanæ *Episcopis adversus Puritanos. Apologistæ audacia in corrumpendis iis quæ à* Molinæo *in eam sententiam scripta sunt. Vindicatur adversus Apologistæ exceptiones* Durelli *Narratio de* Johanne Antonio *Trecensi Episcopo, quæ habetur. in Tractatu* Anglicano. *Landatur* Petrus du Bosc *Cadomensis.* Drelincurtius *Parisiensis,* Langlæus, Dallæus *negant à se & Ecclesiis* Galliæ *Reformatis aut Episcopatum in genere, aut in specie Episcopatum Anglicanum damnari. Neque à Reformati Belgii Ecclesiis damnatur. Refutantur Apologistæ exceptiones. De* Caroli I. *cum in Hispaniâ Princeps adhuc ageret, quæ dicitur ad Romanum Pontificem scriptâ Epistolâ, cujus perperam, meminit Apologista, nullâ oblatâ occasione. Compendio exhibentur quæ* Durellus *de Republica Ecclesiaque* Genevensi *annotavit in Tractatu* Anglico. *Ex quibus liquidò constat Reformatos* Genevenses *neque Perduellionis olim reos extitisse erga* Genevensem *Episcopum; neque Episcoporum Ordini esse iniquiores.* Beza, Sadeel, Danæus,

Danæus, Jacobus Lectius, Diodatus, Spanhemius, *Genevenses Professores, Ecclesiæ* Anglicanæ *Episcopos reverentur.* Schoockii *judicium de Concionatoribus Puritanis non est temerarium. Elogium à* Bacono *Ecclesiæ* Anglicanæ *Theologis datum, Puritanis Schismaticis tribuit Apologista.* Sculteti *sententia de Jure Divino Episcopatus.*

IN Tractatu, quem ante aliquot annos sermone Anglico edidi, de cæterarum Ecclesiarum Reformatarum consensu cum Anglicanâ in iis quæ ad Politiam, Liturgiam ac Ritus spectant, postquam priore duarum sectionum, quibus totum opus constat, ea in quibus planè conveniunt adversus illam Puritanorum familiam, quæ Presbyteriana dici amat, annotata sunt, & posteriore argumentis variis probatum est à nullâ earum omnium Anglicanam damnari, licet in quibusdam à nonnullis diversa abeat, quemadmodum ab invicem in rebus ejusmodi differunt singulæ, possuntque differre salvâ concordiâ & fidei communione; non statim ad Epilogum venio, sed omnium Ecclesiarum Reformatarum quasi Concilium priùs convoco. Ad quod quidem Concilium delegantur tum primæ Reformationis Heroes & eorum proximi Successores *Oecolampadius, Georgius Anhaltinus, Philippus Melancthon. Bucerus, Calvinus, Sadeel, Beza, Gualterus, Paræus, Bullingerus, Martyr, Zanchius, &c. tum recentiores multi Johannes Amos Comenius; Diodatus, Bogermannus, Petrus Molinæus, Andreas Rivetus, Fredericus Spanhemius, Amyraldus, Ludovicus Capellus, uterque Bochartus, &c.* quorum omnium Suffragiis eligitur Synodi Præses *Johannes Calvinus.* Synodo proponuntur Quæstiones quatuor decidendæ: scilicet Prima, "An Episcopatus "sit licitum Regimen in Ecclesiâ Christianâ? *Secunda,* An præ-"scriptæ precationum Formulæ usurpari possint, & an liceat eas im-"ponere? *Tertia,* An sit penes quamlibet particularem Ecclesiam "Nationalem leges ferrè de externis rebus & circumstantiis ad cul-"tum Dei pertinentibus? Et an obligentur Privati ad præstandam "obedientiam talibus legibus? *Quarto,* An debeat esse Uniformitas "in particularibus cœtibus cujuslibet Ecclesiæ Nationalis? Ad quas quidem quæstiones generales, singula omnium controversiarum, quæ inter Ecclesiam Anglicanam & Presbyterianos Schismaticos agitantur, capita posse revocari in Responsione ad Apologistæ præfationem probavimus, simulque ostendimus hominis malam fidem, qui *secundam* dimidiâ parte truncatam exhibuit. Sed paginâ 162. *Apol. p. 162.* omni excusso pudore, hæc habet. "*Durellus* mirè sibi persuadet; si

" Synodus convocaretur ex Reformatis Ecclesiis, eam pro Regimine " Ecclesiastico Anglicano pronunciaturam. Nam quamquam nullus dubito, si ejusmodi Synodus cogeretur, quin pro Anglicano, hoc est, Episcopali Regimine, sententiam dictura esset, cum Ministrorum Subordinatio apud longè plures Ecclesias obtineat, quàm eorum omnimoda æqualitas; in hoc tamen situs non est controversiæ nostræ status, utrum Regimen præstet? Sed an Episcopatus, Regimen sit in Ecclesiâ Christi licitum. Nam si non sit, excusari sanè debet Adversariorum Schisma; imo Schisma non est, cum sit potiùs legitima secessio ab eâ Ecclesiâ cum quâ nemo Christianus, salvâ conscientiâ, communicare potest, qualis est Reformatorum omnium secessio ab Ecclesiâ Romanâ: sin verò licitum sit & cum Religione Christianâ possit consistere, nefarium facinus agressi sunt, cùm Ecclesiam Anglicanam omnium Reformatarum florentissimam concusserunt, & tantùm funditus in omne ævum non everterunt, omniaq; turbis ac cædibus implerunt, ut Regimen non malum (ne nunc dicam optimum) quod à primâ Reformatione Ecclesiasticis Politicisque legibus constitutum absque ullâ interruptione in eâ obtinuerat, abolerent; nec ferendi sunt homines turbulenti ac seditiosi, qui Schisma continuare indiesque, quantùm in ipsis est, augere malunt, quàm ei (quod facerent viri pii vel propter Dominum & propter Ecclesiæ pacem, jubentibus scilicet iisdem legibus) sese subjicere. Quid super tribus posterioribus quæstionibus pronunciaverint, quos finximus ad Concilium delegatos, divinare non est difficile; cùm ne una quidem sit in toto Reformatorum orbe Nationalis Ecclesia (si Scoticam excipias, in quâ nulla adhuc obtinet certa Liturgia) quæ præscriptis & impositis Superiorum authoritate precationum & administrationis Sacramentorum formulis non utatur; nulla quæ de externis Ritibus & aliis circumstantiis ad cultum Dei pertinentibus leges non tulerit, quæque privatos omnes & singulos ad præstandam iis legibus obedientiam non obliget; nulla denique quæ in omnibus fidelium cœtibus uniformitatem quantum fieri potest, non servet, servandamque non censeat. Unde liquet, si omnium Ecclesiarum Reformatarum Synodus cogeretur, quid decretura esset de Presbyterianis, qui 1. precum publicarum & Sacramentorum administrationis Formulas, adeo non usurpant, & sibi imponi à superioribus patiuntur, ut eas Rege & totâ Ecclesiâ nequicquam reclamantibus, quantum in ipsis fuit, aboleverint, earum usum per universam Magnam Britanniam prohibuerint nec ipsi Regiæ Majestati; eum licet enixè flagitanti, liberum permiserint quamdiu rerum potiti sunt; Qui 2. leges de rebus ad externas cultus circumstantias spectantibus, ab Ecclesiâ constitutas & Regiâ authoritate in Regni Comitiis sancitas, impudenti contu-

 maciâ

maciâ violarunt & etiamnum violant & conculcant; Qui 3. denique Ecclesiam scindere & clancularia seorsim conventicula celebrare malunt, quàm uniformem cultus divini rationem cum cæteris Ecclesiæ Anglicanæ Ministris in publicis legitimisque cœtibus observare. Certè aut à receptâ ab initio Reformationis & ubivis invariatè servatâ, constantique praxi ad hunc usque diem, confirmatâ de tribus illis capitibus, doctrinâ recedant oportet, aut istos Schismaticos esse pronuncient. Quid viri inter Transmarinos Reformatos doctissimi, quid ipsæ Ecclesiæ sentiant de particularibus Ritibus, qui à Schismaticis apud nos tanquam superstitiosi respuuntur, in his vindiciis passim, propriis locis, annotavimus. Et quam longè ab istorum moribus & dogmatibus, etiam circa Ecclesiæ Regimen abeat *Calvinus* superiore capite dictum est. Hoc unum igitur reliquum videtur, scilicet, ut quæ sit earumdem Ecclesiarum & Virorum apud eas celeberrimorum circa Episcopatum sententia, inquiramus.

Apol. p. 156, 157, 158, 159, 160.

§ Multus est Apologista ut probet Episcopos, ex *Lutheri*, *Melancthonis*, *Gallorum*, *Belgarum*, *Helvetiorum* atque *Genevensium* Reformatorum sententiâ, non esse jure Divino Presbyteris Superiores. Sed homo versutus statum Quæstionis immutat. Non enim, uti jam diximus, inter Ecclesiam Anglicanam & Puritanos quæritur, quo jure, Divino an Ecclesiastico Presbyteris Episcopi præemineant; sed cum Presbyteri Patriis Ecclesiasticisque ab usque primâ Religionis emendatione in Angliâ Episcopis inferiores sint, an debeant eos Superiores agnoscere ipsisque, in omnibus licitis & honestis, juxta Ecclesiæ Canones & Regni leges, obsequi? Id verò est quod ex omnium Reformatorum sententiâ fieri debere contendimus. Certè multi apud eas Viri celeberrimi non obscurè innuunt Seniorum Laicorum qui in Consistoriis & ipsis Synodis sedent cum jure Suffragii, institutum sibi, non positivi Divini, sed merè Ecclesiastici permissivi juris, videri. Nec tamen eos propterea extra Ecclesiam eliminandos; aut plebi in eos insurgere & ipsum summum Magistratum, ni eos exauthoret, bello adoriri (quod fecerunt Presbyteriani ut R. Episcopos suos loco moverent) fas esse, docent. Cum *Lutherus*, *Melancthon* & alii qui Reformandis Religionis abusibus avorum nostrorum ætate in *Germaniâ*, *Galliâ*, *Helvetiâ* & *Genevæ* incubuerunt, Episcopos Sanctissimo maximeq; necessario operi quod tum moliebantur, in omnibus illis Regionibus infestissimos habuerint; si eorum præeminentiam jure tantum Ecclesiastico niti facile sibi persuaserint nemini mirum esse debet. Nihil magis viris præstantissimis in votis erat, quam ut Ecclesiam à corruptelis, quibus undique fœdata erat repurgarent. Obsistebant opusque retardabant authoritate suâ, earum Regionum Episcopi. Cùm autem incœptum opus, auxiliante Dei gratiâ, multis in locis

Ludovic. Capel. Thes. Salm. de vario Ecclesiæ Regimine. Petrus Molin. Thes. sedan de Concil. Thes.

locis feliciter peregissent, & Episcopos in erroribus odioque Reformatæ Religionis adhuc perseverantes viderent; neque spes esset fore, ut eorum Successores sententiam atque animum mutarent; Ecclesiam à meris Presbyteris gubernatam, (quemadmodum olim populum virorum) rem unius ætatis futuram viri prudentes planè perspexerunt, nisi ordinandi potestas, quâ hactenus Episcopi in Ecclesiâ gavisi fuerant, jure niti, non Divino, sed humano; non perpetuo, sed pro rerum exigentiâ mutabili diceretur, ita ut in ipsos Presbyteros transferri posset, si sic Ecclesiæ necessario expedire videretur, in eam sententiam sibi necessario concedendum putarunt; in eamque ideo faciliùs concesserunt, quod nonnullos è Theologis Pontificiis ab eâ non abhorrere animadverterent.* At rem sibi probari ut antiquissimam atque utilissimam, neque unquam, nisi cogente ineluctabili necessitate, quali tunc premebantur, immutandam, disertè testati sunt, quantumque licuit restituendam curarunt, constitutis passim, loco Episcoporum, Superintendentibus. Imò, quæ vis est veritatis, ii ipsi viri qui Episcopatum post denatos demum Sanctos Apostolos, in Ecclesiâ institutum, iis quas jam dixi rationibus inducti, asseruerant, & cum assererent procul dubio crediderant, (absit enim ut viros præstantes contra quàm sentiebant scripsisse asseverem) eundem ad ipsos Christi Apostolos authores retulerunt. Quod capite Superiore de *Calvino* vidimus, & jam de aliis videbimus. Sed & alios non minùs præstantes, imo integras Nationales Ecclesias Reformatas jus Divinum Episcopatus nobiscum constanter asserentes producemus. Nullam denique Ecclesiam Reformatam, ne ipsam quidem Genevensem, tenere Episcoporum Regimen esse in Ecclesiâ intolerabile & ab Ecclesiâ vi & armis exterminandum, (quod Presbyterianæ factionis in Magnâ Britanniâ peccatum fuit) probabimus.

§ Sed ante omnia operæpretium fuerit Ecclesiarum per Europam Reformatarum statum et Regimen varium observare et Lectori quasi oculis subjicere. Paucæ sunt si cum reliquis omnibus conferantur, in quibus *ἰσοτιμία* inter Pastores omnimoda obtineat. Nempe *Gallicana*, *Belgica*, *Genevensis* tantum, nisi seorsim numerentur Ecclesiæ Principatus *Sedanensis*, *Vallium Pedemontii* & si quæ sunt aliæ ejusmodi in quibusdam civitatibus ac districtibus quarum Ministri nullis subsunt Episcopis aut Superintendentibus, sed quæ potius appendices aliarum Ecclesiarum Nationalium, quam Nationales Ecclesiæ dicendæ sunt. In cæteris alii aliis subordinantur Christi Ministri. *Angliam*, *Scotiam*, *Hiberniam* ab Episcopis gubernari notum est. Præsunt cæteris Christi Ministris itidem nomine & re Episcopi in Regnis *Sueciæ*, *Daniæ*, *Norvegiæ*, *Hungariæ*, *Transylvaniæ*. *Fratrum Bohemorum* Ecclesiæ antequam dissiparentur, imo & in ipsâ per *Moraviam* & *Poloniam*

 dispersione,

dispersione, Rectores habuerunt Episcopos, modò *Seniores*, modò *Vigiles*, modo *Antistites*, modò *Episcopos* in libro *rationis Disciplinæ Fratrum Bohemorum* dictos. Apud cæteras Ecclesias Reformatas in *Poloniâ*, *Lithuaniâ*, *Prussiâ*, *Curlandiâ*, *Saxoniâ*, *Marchiâ*, *Palatinatu*, in Ducum *Lunenburgensium*, *Brunsuicensium*, *Megalopolitanorum*, & *Anhaltinorum* Principum ditionibus, in *Hassiâ*, *Wirtembergiâ*, in Civitatibus Imperialibus, in *Helvetiâ* subsunt Ecclesiarum Ministri *Superintendentibus*, *Inspectoribus*, *Præpositis*, *Antistitibus*, *Decanis*, quorum aliis major, aliis minor potestas in comministros conceditur. In nonnullis etiam sunt Superintendentes & Inspectores *Generales* & *Generalissimi* qui Archiepiscoporum Metropolitanorum & Primatum, majoris ordinis gratiâ vices gerunt.

Apol. p.159. § Ad hæc, Tria reponit Apologista. "*Primum*, quod si *Durellus*
Ibid. p.160. "vel unum Theologum Lutheranum advocare possit qui Episcopum, "qualem descripsit non improbet, herbam, *inquit*, ei porrigam. "*Secundum*, Fratrum Bohemorum Episcopos ab Anglicanis, multùm "distare. Primò, Enim Ministrorum omnium Suffragiis eliguntur, in-"quit. 2. Dignitas eorum præ cæteris Ministris non in honorum "aut redituum sed laborum & præ aliis curarum Prærogativâ funda-"tur. Qui major est inter vos sit tanquam minor & qui præcedit "tanquam Ministrator. Et juxta Apostolorum Canonem Presbyter "& Episcopus unum idemque sunt. 3. Excommunicatio Ministri
Ibid. p.156. "non illi sed toti Synodo competit, 4. Tenetur Conseniorum judi-"cio subesse, admonitionemque, consilium & increpationem admit-"tere. *Tertium*, ex *Amyraldo* Superintendentium ordinem multùm "subsidere infra authoritatem Episcoporum. Quæ omnia si prorsus ita se haberent ut vult iste, quid Puritanorum (qui omnem Episcopatum, omnemque Superintendentiam & Subordinationem extra Ecclesiam Anglicanam, Scoticanam ac Hibernicam) quantum in ipsis fuit, eliminarunt, eliminandamque censent, prout Capite XXVII. ostendimus) causam juvent, aut nostræ (qui Conciliorum Canonibus, & Principum etiam legibus Episcoporum Potestatem, quoad exercitium, circumscribi, proindéque variè in variis locis exerceri posse, non negamus) officiant haud video. Episcopus qualem paginis 154, 155, 156. descripsit Apologista, Chimera est, quæ in Angliâ nusquam, nisi fortè in illius & Sodalium cerebro, existit. Reverendos Ecclesiarum Danicarum & Suecicarum Episcopos non modò in duplici illâ potestate Ordinis scilicet & Jurisdictionis, in quâ Episcopatum positum esse diximus, sed nec in ipsâ quidem Electione, quæ penes est Serenissimos Reges, aut loco & dignitate in Republicâ, maximè in *Sueciâ*, vix quicquam differre ab Anglicanis, tum ex iis quæ circa illos Capite XXXII. annotavimus, tum ex iis quæ jam dicturi

sumus, Lector facilè deprehenderit. Non *unum*, quod negat fieri posse, sed plurimos Lutheranos Theologos, (sic fas sit loqui ad distinctionem) qui Episcoporum Ordinem Presbyteris, idque jure Divino, superiorem esse affirmant, facile laudabimus. In hanc sententiam ab *Hadriano Saraviâ* olim laudati sunt, præter alios 1. *Philippus Halbronerus, in locis communibus in Epistol. ad Titum. ubi hæc habentur.* "Sunt ne & esse debent gradus, & ordines inter Ecclesiæ "Ministros? Maximè. Nam Apostolus 1. Episcoporum mentionem "facit, 2. Diaconorum, 3. Presbyterorum. Quid de singulis his "ordinibus habes, & primo de Episcopis? Episcopis præter docendi "officium, & reliqua quæ cum cæteris Ecclesiæ ministris communia "habebant, commendata fuit publica inspectio & gubernatio: ita "ut ministros idoneos vicinis Ecclesiis præfecerint: delationes item "& querelas adversus Ecclesiarum Pastores audiverint; & deciderint. "Sic enim Paulus scribit Timotheo Ephesiorum Episcopo. Manus "cito ne cui, &c. & adversus Presbyterum accusationem, &c. 2. *Jacobus Heerbrandus* Professor Theologiæ in Academiâ Tubingensi, apud quem in compendio Theologiæ eadem iisdem penè verbis occurrunt. "Suntne & esse debent gradus inter ministros Ecclesiæ? "Omnino; Hos enim Deus ipse fecit & constituit, differentibus donis, Ephes. 4. alios dedit Apostolos, quosdam autem prophetas, "alios vero Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem "corporis Christi. Item Paulus nominat Episcopos, Presbyteros "& Diaconos. Deinde ordinis causâ propter εὐταξίαν & ad conservandum consensum, concordiam, unanimitatem, alii aliis sunt Superiores, ne sit ἀναρχία in Ecclesiâ. 3, *Ægidius Humnius* Theologiæ Professor in Academiâ Marpurgensi, qui in Epistolam ad Titum, de Tito ita scribit, "Hunc etiam dignum censuit, quem præ "cæteris Amplissimæ Nobilissimæque Insulæ Cretæ præficeret Episcopum, &c. Et posteà dignum etiam observatu est, quod Paulus "Titum generalem Superintendentem Creticarum Ecclesiarum Ordinat, qui videat ut certè ac decenter in Ecclesiis passim omnia fiant: "Ordinet Episcopos alios, in quorum doctrinam & vitam diligenter "inquirat. Hinc enim liquet non probari Deo in Ecclesiastico Ministerio ἀναρχίαν quæ omnis ἀταξίας ac perturbationis mater existeret. Sed requirere ut inter ipsos Ministros sit ordo quidem: sint "gradus, ut pro donorum diversitate alii præsint alii subsint. Qui "ordo non recens introductus, sed inde ab Apostolorum temporibus "in Ecclesiâ receptus fuit. Quin Deus ipse differentibus suis donis "discrevit inter Ministros, & gradus constituit. Juxta illud, cum "ascendisset in altum dona dedit hominibus, & dedit alios quidem

Apostolos,

Halbroner. Loci Com. in Epist. ad Tim. & Titum.

Heerbrand. in Compend. Theologiæ.

Humnius in Epist. ad Titum.

" Apostolos, alios Prophetas, alios Evangelistas, alios Pastores, & " Doctores, ad instaurationem Sanctorum, in opus administrationis, " in ædificationem corporis Christi, Ephes. 4. Quibus addam unum Clarissimum *Brochmandum* Theologum *Hafniensem.* Is de hac ipsâ Quæstione sic loquitur. " De discrimine Episcopi & Presbyteri " quando quæritur, rectè formandus est quæstionis status. *Primo,* " non quæritur: An inter Presbyteros servanda sit εὐταξία, ita ut in " cœtu Presbyterorum aliquem dari oporteat, qui consulendo, monen- " do, hortando alios præeat, Suffragia in causis dubiis colligat, auctori- " tate suâ universam actionem moderetur, & id quod decernitur, piè & " prudenter exequatur? Totum enim hoc ultro damus: non ignari, " velle Deum, ut omnia in Ecclesia fiant εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν, " 1 *Cor.* 14. *vers.* 40. Deinde, non venit in controversiam: An Pa- " tres, qui vixerunt post tempora Apostolorum, agnoverint & ad- " miserint distinctionem inter Episcopum & Presbyterum? Et an " idem etiam hodiè servetur, tum apud Pontificios, tum apud Luthe- " ranos, tum etiam in Ecclesiâ Anglicanâ? Nimis enim ignaros re- " rum nos esse oporteret, si hoc negaremus. *Tertiò,* non quæritur: " an Officium Episcopale, isto saltem sensu, quo in nostris obtinet " Ecclesiis, in usu fuerit in Apostolicâ Ecclesiâ? Id enim qui negare " volet, solidè refutabitur exemplo Timothei 1 *Tim.* 5. *vers.* 19. " *seq.* & *Tit.* 2. *vers.* 5. *seq.* His enim hæc tria imprimis munia, " Episcopis nostris peculiaria, concredita fuerunt: videlicet, Pasto- " res Constituere, & Ordinare: in vitam Pastorum Inquirere: ac- " cusationes Pastorum audire, & officii eos commonere. En non unum sed quatuor Theologos Lutheranos qui statuunt Episcopos jure Divino, prout à nobis positum est, Presbyteris Superiores, & duplici in eos potestate, *Ordinandi* scilicet & *Judicandi* præditos, hoc est Episcopos non quales describit Apologista, sed quales revera sunt Reverendi Ecclesiæ Anglicanæ Episcopi quoad munia Episcopatui essentialia. Hæc autem quæ addit eodem loco Clarissimus *Brochmandus*; " Verùm hîc Rhodus hîc Saltus; An Episcopatus & Pres- " byterium sint jure Divino distincti Ordines, ita ut non modò plu- " rima obire possit Episcopus, quæ Presbytero administrare non sit " concessum; set etiam prætoria sit Episcopi authoritas, ut circa Sa- " cra pro arbitrio constituere possit excluso Presbyterio? Aientem " sententiam defendit cum reliquâ Scholâ Pontificiâ Bellarminus " Libr. de Clericis Cap. 14. & *Hadrianus Saravia,* Tractatu de di- " versis Ministrorum gradibus Cap. 20. Nobis verò Scripturas se- " quentibus probatur assertio contraria; Hæc, inquam, nihil ad Episcopos Anglicanos, quibus nihil licet circa Sacra pro arbitrio constituere, sed ea tantum executioni mandare, quæ decreta sunt in *Convo-*

Brochmandus loc. com. de minist. Ecclesiast. cap. 2. qu. 9.

cationibus quas vocamus, hoc est Synodis, quibus intersunt uti jam sæpius observatum est, non modò Reverendi Episcopi, sed Presbyteri multo plures, scilicet Decani, Archidiaconi, Canonici, & Parochi duo ex quâlibet Diœcesi, cæterorum Parochorum Suffragiis delecti, unde dicuntur, *Procuratores Cleri*: Quare rectè censet Clarissimus *Schookius* Saraviam nostrum, qui Ecclesiæ Anglicanæ Episcopatum defendit, eodem loco cum *Bellarmino*, reliquisque Pontificiis Doctoribus habendum non esse, quoad præsentem controversiam. *Schookius Exercit. 13. de Regimine Presbyteriali.*

§ Sed *Fratrum Bohemorum Episcopos ab Anglicanis multùm distare, ait Apologista.* Distant sanè in nonnullis, sed quæ ad Episcopalis muneris essentiam nihil attinent. Primò, dicit eos Ministrorum omnium Suffragiis electos; Et id rectè quidem, cum sub Heterodoxis Magistratibus viverent; Magistratui pio alioqui eas partes in Episcoporum Electionibus permissuras Fratrum Ecclesias, quibus gaudet ubique Reformatarum Regionum in quibus Episcopatus obtinet, non obscurè innuit Reverendus *Commenius* in Annotatis ad *Rationem Disciplinæ Fratrum*, ad Cap. 2. Nota T. Secundò, *Dignitas eorum*, inquit, *præ cæteris Ministris non in honorum, aut redituum, sed laborum & præ aliis curarum prærogativâ fundatur.* Quæ quidem habentur in libro Rationis Disciplinæ Fratrum; ut & hæc quæ immediatè ex eodem libro subjungit Apologista, *qui major est inter vos sit tanquam minor, & qui præcedit, tanquam Ministrator. Et juxta Apostolorum Canones Presbyter & Episcopus unum idemque sunt.* Sed quibus libri illius author non significat Fraternitatis Episcopis nullam fuisse seu honoris, seu potestatis, seu stipendiorum præ meris Ministris prærogativam. Nam eodem Paragrapho ex iis hæc tantum infert, quæ malâ fide subticuit Apologista; *Ideoque Episcopi unitatis inter se quoque pari honore sunt; excepto quod unus eorum ordinis causâ præsideat.* Unde liquet illa verba, *Presbyter & Episcopus juxta Apostolorum Canones unum idemque sunt*, non intelligenda esse de Episcopatus & Presbyteratus, prout in hac Disputatione opponuntur; sed de vocum Episcopi & Presbyteri identitate. Episcopus enim apud eos vulgò *Senior* dicitur, quæ vox Latinè idem sonat quod Grecè πρεσβύτερος. Hoc igitur iis verbis innuit author ille, Fratrum Antistites non esse, quemadmodum plerosque Ecclesiæ Romanæ Episcopos, Dynastas seculares qui sepositâ omni Ecclesiarum suarum curâ honoribus reditibusque gaudentes amplissimis, otio & genio indulgere solent; sed esse verè Episcopos, hoc est cæterorum Christi Ministrorum & totius Ecclesiæ Inspectores & Superintendentes. Unde immediatè post ea verba *Presbyter & Episcopus unum idemque sunt*, addit *nisi quod Episcopus Inspectorem, sive Superintendentem significat*; quæ etiam omisit Apologista. Tertiam differentiam inter Ecclesiæ

Anglicanæ

Anglicanæ & Fratrum Bohemorum Episcopos in eo ponit, quod non his sed toti Synodo *Excommunicatio Ministrorum competat.* Sed in eo leve momentum est; Nam *primò* Episcoporum potestas quoad exercitium tantùm, eâ ratione limitatur; quod Ecclesiasticis Synodorum constitutionibus, ut & Politicis Principum legibus fieri posse non negamus; imò apud nos fieri supra ostendimus. Deinde ea fuit Fraternitatis Episcoporum in Synodis authoritas ut omnia in iis penè soli agerent. Unde *tertiò* Ministrorum Excommunicationes in Synodis factæ fuisse videntur ad majorem rei solennitatem, potiùs quàm ut eâ ratione quicquam Episcoporum authoritati derogaretur. Quartum discrimen quod majoris momenti esse videtur, revera nullum est. Tenentur, inquit Apologista, *Conseniorum judicio subesse, admonitionemque, consilium & increpationem admittere.* Apud Fratres Bohemos præter Acoluthos & Diaconos tria fuerunt Christi Ministrorum genera, quibus Ecclesiarum cura committebatur. Scilicet 1. *Ministri* seu cœtuum particularium Rectores quos *Sacerdotes* vocabant. Ab eâ enim appellatione non abhorruerunt Fratres, quatenus ea vox Sacris dicatam personam denotat, non Sacrificum. 2. *Conseniores* qui Episcoporum quasi coadjutores erant. Unde in libro Rationis Fratrum dicuntur, *iidem fuisse quos antiquitas Chorepiscopos vocabat.* Singulis Episcopis bini aut terni addebantur auxilii loco Conseniores è Ministrorum numero ad illud munus novâ manuum Episcopalium consecratione Ordinati. Horum officia erant una cùm Episcopis Senatum Ecclesiasticum seu Consistorium (in quod nulli admittebantur inferiores Ministri) constituere. Disciplinam in Ministros unà cum Antistite suo exercere. Ecclesias visitare; Convocatos ad Ordinandum Acoluthos, Diaconos Ministros examinare, examinatosque certo cum testimonio Senioribus sistere: In Pastores inspectioni suæ peculiariter commendatos attendere; eorum delicta leviora corrigere, de gravioribus verò Episcopum ipsum edocere. Iis obsequium quemadmodum Episcopis pollicebantur Ministri cum ordinabantur. Unde eos rectè dixeris Episcoporum quasi Suffraganeos & Co-episcopos, quod & vox *Conseniorum* indicat, cum ipsi Episcopi *Seniores* apud Fratres vulgò dicti sint. De quo mox plura. Nihil mirum igitur si horum judicio ipsos Episcopos subesse jusserit earum Ecclesiarum Disciplina. Idem enim est quod apud nos fieri solet, quando ipsi Archiepiscopi subsunt Co-episcoporum judicio, siquid commiserint censurâ dignum. Sed notandum est, Episcopos non à solis Consenioribus judicari, Quod Apologista innuit, sed ab aliis Episcopis quibus assident in Consistorio Conseniores. Sic enim liber Rationis Disciplinæ Fratrum; *Et quia absolutum agendi arbitrium periculosè uni aut paucis permittitur, tenetur quisque Episcoporum, non solùm*

Vide Ration. Discipl. Fratr. Bohem. c. 1. de Synodis.

Ratio Discipl. Fratr. Bohem. cap. 1.

collegarum

collegarum sed & Conseniorum judicio subesse, &c. Sed hoc de collegarum, hoc est aliorum Episcoporum, judicio, datâ operâ omisit Apologista, ut incautis lectoribus persuaderet Fratrum Bohemorum Episcopos ab inferioribus Ecclesiæ Ministris judicari; cùm quodnam fuerit Conseniorum munus apud illos, ne verbulo quidem indicaverit. Sed quam minimùm distent ab Anglicanis Fratrum Bohemorum Episcopi in iis quæ Episcoporum præeminentiam & potestatem propriè constituunt, ex his quæ habentur in Ratione Disciplinæ Fratrum manifestum fiet. "Antistes seu Episcopus nobis est persona ætate ac "donis Dei conspicua ad Ordinis in totâ Unitate custodiam, omnium "Ministrorum Suffragiis electa, solenni ordinationis ritu confirma-"ta, & sic authoritate publicâ munita; ut omnes reliqui suo quisque "loco, officium faciant, opusque Dei sine scandalis & confusione "ubique procedat, attendens. Act. 20.28. 1 Petr. 5. Concil. Carth. 4. "Tales Episcopi quatuor, quinque, sex, prout necessitas postulaverit, "constitui; Et unicuique sua Diœcesis, sive certus Ecclesiarum nu-"merus, assignari solet (2 Cor. 10. 13. usque ad 16. Gal. 2. 9.) "Omnes hi electi & constituti semel, per vitæ dies in officio (nisi "quis minus dignè se gerat) relinquuntur. Inter communia eorum "officia hæc habentur; Sinceritati Doctrinæ, Disciplinæque vigori "attendere per totam Unitatem, idque mandato Christi, qui servis "suis potestatem dedit, & cuique opus suum; Janitori verò præce-"pit ut vigilet (Marci 13. 14.) Acoluthos, Diaconos, Ministros & "Conseniores ad gradus suos ordinare. Tit. 1. 5. Decernere Ecclesiis "Pastores idoneos, eosque pro necessitatis ratione (non tamen insciis "Coëpiscopis) mutare. Ecclesias suæ Diœceseos singulis annis vi-"sitare. Ministros & Pastores officium prætergredientes corripere. "In Synodis Ministri toto die congregati manent in Templo in ma-"teriâ à Senioribus seu Episcopis oblatâ occupati; sed Seniores in "consessu peculiari de Ministrorum, Ecclesiarumve aut Patronorum "postulatis, aut quicquid in propositis est, deliberant & decernunt; "in grandioribus negotiis tamen non absque Ministrorum consensu. Certe si distent Fratrum Episcopi ab Anglicanis, differentia in eo est quod in multis longè major sit illorum quam istorum potestas. De eorum stipendiis seu reditibus nihil habet liber *Rationis Disciplinæ* præter verbum ab Apologistâ allegatum. Sed ex eo quod habetur Capite IV. scilicet bonæ spei adolescentes, quibus res est angusta domi, ad *Scholas exteras Antistitum sumptu emitti*, rectè inferas eorum reditus non modò Ministrorum sed Conseniorum etiam stipendia superare; & non suæ familiarumque sustentationi tantum, sed ad usus pios etiam sufficere. Alioqui, cur non Ministrorum & Conseniorum æque atque Antistitum sumptibus Studiosi ad Scholas ex-

Ibid. de Antistitibus seu Senioribus.

Duræus de vario Ecclesiar. Reformat. regimine, apud Lichfield. Oxon. an. 1641.

teras emitterentur. Fatetur ipse *Johannes Duræus* non modo Reverendorum Episcoporum Sueciæ & Daniæ, sed Superintendentium, Antistitum & cujuscunque nominis Præpositorum Honoraria, ampliora esse quam cæterorum Christi Ministrorum stipendia apud omnes Ecclesias Reformatas. Nec sinit æquitas ut rem aliter sese habere credamus.

§ Sed antequam à Fratrum Bohemorum Ecclesiâ ad alias transeo, unum superest observandum, quod habetur in brevi illâ Ecclesiæ Slavonicæ Historiâ, quam Reverendus *Comenius* postremæ Editioni Rationis Disciplinæ Fratrum addidit, quodque unum satis est ad demonstrandum Ecclesiam Anglicanam non solam esse inter Reformatas quæ teneat Episcopos, si modo haberi possint, necessarios esse in Ecclesiâ Christi. "Maxima illis (*Fratribus Bohemis*) *inquit*, anxietu-

Comenii Eccl. Slavonica Hist. sect. 56.

"do fuit de Pastoribus animarum, unde hos essent habituri, postquam "quos in præsens habebant, decessissent. Expectare, dum Romanæ "Ordinationis aliqui veritatis amore, ad se transirent, res erat incer- "tæ spei. Et meminerant *Rokyzanum* toties protestatum, à funda- "mentis redintegranda esse omnia. Domi ergo erigendam esse Or- "dinationem, potestate eâ quam Christus Ecclesiæ dedisset: ut "quamdiu Ordinatos adhuc inter se haberent, illi ipsi ordinent alios, "& hi rursum alios, sibi successuros. Inclinabant sanè istuc ut desi- "deria, sic & sententiæ: *Sed quassabat animos metus, an satis legi- "tima foret ordinatio, si Presbyter Presbyterum crearet & non "Episcopus? Et quomodo talem ordinationem, si lis moveatur, defen- "suri essent, sive apud alios, sive apud suos?* Tandem post anxias "annorum aliquot deliberationes, conveniunt (anno 1467.) à totâ "Bohemiâ & Moraviâ primarii quique viri, circiter Septuaginta, "multisque ad Deum fusis lacrymis & precibus (ut num propositum "placeret, & num jam tempus esset, ostendere dignaretur) volun- "tatem Dei sorte experiri constituunt. Eligunt itaque è medio sui, "per Suffragia, viros novem, quos ministerio suscipiendo præ cæte- "ris judicabant idoneos: datisque in manum pueri (in cœtum accer- "siti, & quid fiat ignorantis) schedulis occlusis duodecim, distribui "inter novem istos jusserunt. Erant autem illarum novem vacuæ: tribus duntaxat inscriptum fuit, EST: scilicet voluntas Dei, quam "sibi revelari petebant. Fieri ergo potuit, ut omnes nacti fuissent "schedulas vacuas: quod indicium negativæ Dei voluntatis futurum "erat. Sed factum est, ut scriptæ illæ tres venerint in manus trium "inter eos. *Matthiæ Kunwaldii*, viri piissimi; *Thomæ Prelaucii*, "viri docti, & *Eliæ Renovii*, singulari quâdam solertiâ conspicui. "Hos illi cum gaudio tanquam divinitus sibi datos amplexati, de con- "firmatione illorum seu Ordinatione novâ, consilia ceperunt. Cumq;

in

" in confiniis Moraviæ & Austriæ Waldensium quosdam esse scirent,
" ut omninò scrupulis conscientiæ, suæ & alienæ (in præsens & in futurum) consulerent, ad illos *Michaelem Zambergium* cum aliis
" duobus miserunt: qui quid actum esset, explicarent, judiciumque
" de eo peterent. Juveniunt illi Episcopum eorum *Stephanum*: qui
" accito Episcopo altero, & aliquot è Ministris, Originem suam,
" Doctrinæque suæ articulos, & quid hactenus horrendi per Italiam
" & Galliam passi essent, explicant: rursumque nostrorum de secessione à Papâ & Calixtinis, relationem audiunt, approbant, congratulantur; quin imò tribus illis Ministros creandi potestate collatâ, manuum impositione Episcopos creant, & ad suos remittunt. An Fratrum Bohemorum Ecclesiæ pro Ecclesiæ Anglicanæ Politiâ sententiam dicturæ sint, an pro Presbyterianis Schismaticis judicet æquus lector.

§ Ecclesias Christi Reformatas Regnorum Hungariæ ac Transylvaniæ Regnorum ab Episcopis & his adjunctis Senioribus gubernari omnes norunt, qui earum Ecclesiarum statum non ignorant. *Seniores* autem apud illas Ecclesias iidem sunt, qui apud Fratres Bohemos *Conseniores*, & Episcoporum quasi *Suffraganei*; Eos esse Seniores apud illas, quos dico non autem Laicos illos Ministrorum in Consistoriis quarumdam Ecclesiarum Reformatarum Adsessores, patet ex Nationalis Ecclesiarum Hungaricarum Synodi Comiathinæ, an. 1623. celebratæ Canone secundo Classis Tertiæ. " Cum Apostolus Paulus certos numeret
" gradus eorum qui regere & gubernare tenentur Ecclesias, *& ipse*,
" inquiens, *Ephes*.4.11. dedit alios quidem Apostolos, alios Prophetas, alios autem Evangelistas, alios autem Pastores, alios Doctores, ad instaurationem sanctorum, in opus administrationis, in
" ædificationem Corporis Christi, &c. Ac idem Apostolus alibi,
" 1 *Tim*. 3. *Tit*. 1. Episcoporum & Pressbyterorum meminerit;
" nos quoque in Ecclesiis nostris hos ordines vel gradus ita agnoscimus ut certos habeamus Episcopos, Presbyteros item eminenter
" sic dictos, seu Seniores, qui cæteros Dei Ministros & Ecclesiarum
" Pastores Scripturæ phrasi sic vocatos, certis legibus regere debeant. Ecquid adhuc videntur Episcopi Anglicani Hierarchiam ad Apostolos authores soli referre, Juris Divini Episcopatus soli Assertores esse, & à reliquis omnibus Reformatis seorsim soli abire? Videt lector integras Ecclesias, ex earum etiam numero apud quas *Calvini* nomen in pretio est, jus Divinum Episcopatus tueri, æquè atque Ecclesiam Anglicanam. Videt etiam tum ex hoc Ecclesiarum Hungaricarum, Canone, tum ex usu vocis *Senior* apud Ecclesias Bohemicas non unius Cl. *Hammondi* nostri inventum esse, Presbyteros quorum frequens mentio in Novo Testamento, Episcopali potestate præditos, iisque

quos nunc Presbyteros seu Parochos cœtuum, sc. particularium Pastores dicimus, Superiores fuisse; Et primis Ecclesiæ Christianæ temporibus, quos nunc dicimus Episcopos, modo Presbyteros modo Episcopos vocatos. Quod si verum est, non magis sequitur ex eo quod, iidem qui Actorum 20. Presbyteri vocantur, postea dicantur Episcopi, eos non fuisse revera Episcopos Presbyteris quos nunc vocamus, Superiores: quàm siquis qui Fratrum Bohemorum *Seniores* ad se evocasse diceretur, eos postea inter colloquendum assereret super totam Fraternitatem constitutos Episcopos, inde sequeretur nullam fuisse inter Ecclesiarum Bohemicarum Pastores subordinationem & graduum in Ecclesiæ ministerio differentiam.

Apol. p. 156.

§ Jam ad Reverendos aliarum Ecclesiarum Reformatarum Superintendentes & Inspectores venio. Horum ordinem ait ex *Amyraldo* Apologista *multum subsidere infra authoritatem Episcoporum. Et in Synodo Cracoviensi Anno 1573. convenisse Ministros & Superintendentes Confessionum Augustanæ, Fratrum Bohemorum & Helveticæ, ibique lectas ex* Xansensi *Synodo constitutiones de Superintendente, ut certo in loco fungatur officio Ministri, & ut manus ejus à Synodo ad Synodum duret, & juxta sententiam Synodi aut is retineatur & approbetur, aut alius eligatur & constituatur.* Quæ duo notanda indicat Apologista. Sed & hic etiam à lectore, ut ab hoc incipiam, notari velim 1. quamvis convenerint Superintendentes & Ministri trium Confessionum, Xansensis Synodi constitutiones de Superattendente in Cracoviensi lectas, à solis Helveticæ Confessionis sociis fuisse receptas. Disertè enim testantur Cracovienses, *relictam Fratribus Bohemicæ & Augustinæ confessionis libertatem; ut possint suos ritus & consuetudines, quæ in hoc genere ab eis observantur, retinere; præsertim de Superattendente & ejus officiis.* Sed hoc minus diligentes lectores fugere voluit, ne quod ab ipso laudatur, ab integris Ecclesiis eodem tempore improbari viderent. 2. Illas *Xansensis* Synodi de Superattendente in ipsis Helveticæ Confessionis Ecclesiis constitutiones rem novam fuisse; Et, si plurimis earum Ecclesiarum membris, viris ut mihi quidem videntur, probis, fides adhibenda, jam diu obsolevisse quoad tempus quo durare debuit Superattendentis munus. (Certè nullam differentiam statuit Johannes Duræus inter Polonorum, Transylvanorum & Bohemorum Seniores.) 3. Utut sit, omnes Ecclesiarum ipsius districtus Ministros tam per oppida quam in pagis ab eo electos, ordinatos & constitutos fuisse; omnes illius inspectioni & judicio subjectos constat; Penes eum fuit Synodos indicere & dirigere; nulliq; Patrono fas erat Ministrum recipere, aut ulli Ministro in Ecclesiâ docere, nisi qui esset à Superintendentibus & Senioribus legitimè ordinatus, ac missus. Quoad certum locum in quo Ministri officio fungi

Synod. Cracov. an. 1573. art. 3. in syntagmate confessionum.

Johan. Dur. de vario Eccl. Reform. Transmar. Regimine apud Johan. Lichfield. Oxon.

Ibid. de Superattendente constit. 2, 3, 6, 7.

Ibid. Synod. Petr. Cov. concl. 6.

fungi debuit, id à neminè improbari potest, siquidem earum Ecclesiarum status, in quibus plurimi sunt Superintendentes ac Seniores, tantum iis otii concedat ut non modò toti Diœcesi, sed uni prætereà particulari cœtui, singuli invigilent; aut si Concionatorum penuria id requirat. Sed observandum etiam est ejusdem Xansensis Synodi constitutionibus, Administrum qui Catechista dicitur, Superintendenti concedi, cujus operâ in Ministerio verbi per absentiam aut occupationes utatur.

§ De aliarum Ecclesiarum Superintendentibus à Scriptoribus qui apud eas vixerunt ac floruerunt rectius sanè quam ex ipso Amyraldo, quæ sit eorum authoritas edocebimur. Jam diu doctissimus Zanchius, scriptum reliquit, *in Ecclesiis Protestantium non deesse reipsa Episcopos & Archiepiscopos, quos mutatis bonis Græcis nominibus in mala Latina, vocant Superintendentes, & Generales Superintendentes.* Diu autem vixit & floruit *Zanchius* in *Germaniâ*. Sed unus *Carpzovius* in Jurisprudentiâ Ecclesiasticâ rem totam aperit & paucis expedit. "In Evangelicis Ecclesiis (Germaniæ scilicet) loco Episcoporum, *inquit*, constituuntur Superintendentes, quorum officium versatur tum circa ea quæ sunt Ordinis, tum etiam circa pleraque quæ sunt legis Diœcesanæ. Nam Superintendentes inspectionem habent super alios Pastores & populum, suæ Diœcesi subjectum. Visitationes Ecclesiarum expediunt loco Episcoporum in eorum Territoriis & Diœcesibus. Cumque Ordinis præcipua pars sit Clericorum Ordinatio, utique loco Episcopi Superintendens Clericos Ministerio peragendo, præviâ morum & doctrinæ donorumque inquisitione, per manuum impositionem confert.

Zanchius in Append. ad observat. in confessionem fidei ad cap. 25.

Carpzov. Jurisp Eccl. l. 1, 2. Def. 19.

§ Sed commode hoc loco ea nunc afferri possunt ex quibus manifestum fiat *Luthero, Melancthoni*, aliisque, Augustanæ confessionis Sociis, a quibus loco Episcoporum Superintendentes suffecti sunt, in votis fuisse, ut Episcopi si Reformationem amplecti voluissent, authoritatem suam retinerent, & eos non nisi invitos & necessitate coactos ab Episcopis suis defecisse. Primò in ipsâ confessione ab iis omnibus receptâ, "Non petunt Ecclesiæ, *inquiunt*, ut Episcopi Honoris sui jacturâ sarciant concordiam: Facile possent Episcopi legitimam obedientiam retinere, si non urgerent servare traditiones, quæ bonâ conscientiâ servari non possunt. Nam imperant cœlibatum, nullos recipiunt nisi jurent se puram Evangelii doctrinam nolle docere. Ipse autem Melancthon circa hoc argumentum de se & *Luthero* sic testatur in Historiâ Confessionis, "Hoc male habet scilicet quosdam immoderatiores reddi jurisdictionem, restitui πολιτείαν Ecclesiasticam: hoc interpretantur restitutionem dominationis Pontificæ. Neque ignoro cur tantum abhorreant ab hoc consilio.

Confes. Augu. cap. de potest. Eccles.

Chytræus Hist. confes. Augu. p. 305.

Ægre

"Ægre patiuntur civitates reduci in urbes illam Episcoporum domi-"nationem. Et sapiunt: Sed quo ore eripiemus eis, si nobis permi-"serint doctrinam? Quid? quod omnia, quæ largiti sumus, habent "ejusmodi exceptiones, ut hoc metuam ne Episcopi existiment offerri "ῥήματα ἀπὸ ἀλφίτων. Sed quid potuimus aliud? Quamquam, ut "ego, quod sentio, dicam, Utinam, utinam possim, non quidem do-"minationem confirmare, sed administrationem restituere Episcopo-"rum: Video enim, qualem simus habituri Ecclesiam dissolutâ "πολιτείᾳ Ecclesiasticâ. Video postea multo intolerabiliorem fu-"turam tyrannidem quam antea unquam fuit. Adhæc nihil adhuc "concessimus adversariis, præter ea quæ Lutherus censuit esse red-"denda, re bene & diligenter deliberatâ, ante conventum. Neque "ego non additurus eram aliquid quasi auctarium, publicæ pacis "causâ. Cujus fortasse aliqui nunc rationem non habent, qui siquis "exorietur motus, utinam non abjicerent non modo has nostrorum "disputationes, sed universam religionem. Heri dictæ sunt senten-"tiæ à nostris, de restituendâ potestate Ecclesiasticâ. Et convenit "inter Saxonem, Marchionem & Luneburgensem. Quo jure enim "licebit nobis dissolvere πολιτείαν Ecclesiasticam, si Episcopi nobis "concedant illa quæ æquum est concedere? Et ut liceat, certe non "expedit; semper ita sensit ipse Lutherus, quem nullâ de causâ qui-"dam ut video amant, nisi quia beneficio ejus sentiunt se Episcopos "excussisse, & adeptos libertatem minimè utilem ad posteritatem: "qualis quæso futurus est status apud posteros in Ecclesiis, si omnes "veteres mores sint aboliti, si nulli certi sint Præsides. Ex quibus liquet quodnam foret tum *Melancthonis* tum ipsius *Lutheri* de Presbyterianorum molitionibus adversus R. Ecclesiæ Anglicanæ Episcopos, judicium, si judices inter nos in Synodo considerent. De *Lu*thero itidem deque seipso sic loquitur Reverendissimus atque celsissimus *Anhaltinus* Mersburgensis Episcopus. "Ac utinam sicut ge-"runt nomina & titulos, ita reipsâ præstarent Episcopos Ecclesiæ. "Utinam sicut & ipsorum Ordinatione Evangeliorum liber traditus, "& humeris impositus est, ita huic docerent consona, ipsoque fideli-"ter Ecclesias regerent: quam libenter quantâque cordis Lætitiâ, "pro Episcopis ipsos habere, revereri, morem gerere, debitam juris-"dictionem & ordinationem eis savere, eâque sine ullâ recusatione "frui vellemus. Id quod nos semper & D. Lutherus etiam piæ me-"moriæ, sæpissime tam ore quam scriptis, imò & in concione publicâ "in Cathedrali Templo Mersburgensi contestati promisimus. Testatur idem Reverendissimus Antistes quantopere expetiverit ab Orthodoxo Episcopo Ordinari; & non nisi durâ necessitate coactum ad alios se contulisse. "Ego certè pium Episcopum Brandeburgensem

Georg. Princ. Anhalt. opera in Præfat. de ordinatione p.6.

Ibid. p. 62.

" Reverendum Dominum *Matthiam de Jagau*, qui puram tum doctri-" nam, Dei beneficio, norat & profitebatur, & verum Sacramento-" rum usum jam receperat & manifestos in ordinatione abusus abol-" verat, per Sacellanum meum D. *Jacobum Styrium*, ad ordinandum " me rogavi; ac præstitisset is mihi officium, sicut summâ cum volun-" tate jam ante promiserat, nisi misericors Deus ante tempus eum ex " hac evocasset vitâ. Nec enim erat tum in his terris, qui hoc præsta-" ret Episcopus alius.

§ *Martinus Bucerus*, cujus eruditio, pietas, Zelus & in emendanda variis in locis Religione Sancti labores, à nemine doctorum ignorantur quid sentiret de diversis Ministrorum gradibus & eorum origine in Ecclesiâ, his verbis declaravit. " Hi ordines Ministrorum in Eccle-" siis perpetui & à Spiritu Sancto statim initio constituti sunt, Epis-" coporum, Presbyterorum, Diaconorum quibus subinde adjunxit " excellentes docendi munere, qui vocabantur Doctores, vel Evange-" lizandi, qui dicebantur Evangelistæ. Ubi verò multiplicatæ Ecclesiæ " essent, nec singulæ possent habere Episcopos omni scientiâ sacrorum " atque piæ gubernationis prudentiâ plenius instructos, Zelóque rite " procurandi Ecclesias summè ardentes Ecclesiæ ordinarunt, singulis " Provinciis suos Metropolitanos, quorum quisque curam aliquam " gereret singularem Episcoporum suæ Provinciæ. Idem alio loco, eam quæ vulgò dicitur *Hieronymi Sententia* improbat, & Episcopatus institutionem ad ipsos Apostolos Authores refert, idque probat tum ex antiquis Patribus, tum ex ipsis Scripturis sacris. " Iterum autem & " hoc scribit *Hieronymus* : in Ecclesiæ principio, Presbyteros illos " Ecclesiam curasse rexisseque communi-Concilio : ac tum demum " unum de Presbyteris præpositum esse reliquis & peculiariter Epis-" copum dictum, quum Sectæ & Hæreses in Ecclesiâ existere in-" ciperent, & unusquisque suam sibi Sectam studeret adjungere. Hoc " autem credibile non est, diu etiam in cunctis Ecclesiis ita observatum " esse. Nam & apud Patres *Hieronymi* vetustiores, clara habemus " testimonia, in præcipuis Ecclesiis omnibus, à temporibus Aposto-" lorum ita observatum esse, ut Presbyteris omnibus quidem officium " Episcopale fuerit impositum : interim tamen, semper etiam Apo-" stolorum temporibus, unus è Presbpteris electus atque ordinatus " est, in officii hujus Ducem & quasi Antistitem : qui cæteris omni-" bus præivit, & curam animarum ministeriumque Episcopale præ-" cipuè & summo in gradu gessit atque administravit. Ad eundem " modum nobis ordinatio quoque Primitivæ Ecclesiæ Hierosolymi-" tanæ ostenditur. Etenim *Lucas*, *Jacobum* describit ut antistitem " totius Ecclesiæ omniumque, Presbyterorum, *Act*, 15. Talis ordina-" tio in aliis quoque Ecclesiis perpetuò observata est, quam tum ex " omnibus

Bucerus de vi & usu Ministerii.

Idem de animarum curâ & officio Pastorali.

" omnibus Historiis Ecclesiasticis cognoscere possumus, etiam apud " Patres antiquissimos, ut *Tertullianum, Cyprianum, Irenæum, Eusebium*, & alios.

§ In tractatu Anglicano, de cæterarum Ecclesiarum Reformatarum consensu cum Anglicanâ, adversus Presbyterianos Schismaticos, non solum circa Ecclesiæ Regimen, sed etiam circa Precum publicarum formulas & Ritus externos ex *Oecolampadio, Bullingero, Zanchio, Martyre, Ludovico Capello, Amyraldo*, aliisque multa annotavi; sed ea nunc tantum quæ apud viros doctissimos de variis Christi Ministrorum ordinibus legantur, cæteris omissis, hic excribam. Sic paucis rem expedit *Oecolampadius*, " sint qui Præsint & qui Ministrent; " sint Visitatores qui alias Episcopi: sint Ecclesiastæ qui alias Prædi" catores & verbi Ministri. *Sic pari penè brevitate Bullingerus*, se" culis jam multis, & mox à fundato Christi Regno in Terris dixerunt " Apostoli, Evangelistæ & Prophetæ. Subierunt autem in locum " eorum Episcopi, Pastores, Doctores atque Presbyteri, quorum " ordo in Ecclesiâ constanter perduravit: Ut jam nihil dubitare possi" mus plenum Ecclesiæ ordinem, & absolutam fore gubernationem, " si hodiè quoque maneant in Ecclesiâ Dei Episcopi sive Pastores; " Doctores item sive Presbyteri. *Sic quoque* Zanchius *non multo prolixiùs*, Novimus Deum nostrum Deum esse ordinis, non confusio" nis; Et Ecclesiam servari ordine, perdi autem ἀταξίᾳ. Quâ de causâ " multos etiam & diversos non solum in *Israële*, verum etiam post in " Ecclesiâ ex *Judæis* & Gentibus collectâ, Ministrorum ordines insti" tuit; Et eandem etiam ob causam liberum reliquit Ecclesiis, ut " plures adderent vel non adderent, modo id ad ædificationem fieret. Et alio loco in defensione eorum quæ de hac materia scripserat, ut ostenderet Episcopale Regimen a se haud quaquam improbari; " Fides " mea, (inquit,) nititur cum primis & simpliciter verbo Dei: Deinde " nonnihil etiam communi totius veteris Catholicæ Ecclesiæ consensu, " Si ille cum sacris literis non pugnet. Credo enim quæ à piis Patri" bus, in nomine Domini congregatis, communi omnium consensu, " citra ullam sacrarum literarum contradictionem definita & recepta " fuerunt; ea etiam (quamquam haud ejusdem cum sacris literis " authoritatis) a Spiritu Sancto esse. Hinc fit ut quæ sunt ejusmodi, ea " ego improbare nec velim nec audeam bonâ conscientiâ. Quid autem " certius ex Historiis, ex Conciliis & ex omnium Patrum scriptis quam " illos Ministrorum ordines de quibus diximus, communi totius Rei" publicæ Christianæ consensu, in Ecclesiâ constitutos receptósque " fuisse? Quis autem ego sim, qui quod tota Ecclesia approbavit " improbem? An hi pro eliminando extra Ecclesiam Episcopatu sententiam in concilio dicturi sint, judicet lector.

Oecolamp. *Dilectis in ch. Fratribus n. n. inter Epistolas viror. Doct. de re Eucharist. & Anabaptist. p. 2.*

Bullingerus decad. 5. Serm. 3.

Zanch. de Relig. Christ. Fide. c. 25. Aphor. 11.

Zanch. in observ. ad suam ipsius Confess. in cap. 25. ad Aphor. 10, & 11.

At

§ At *Durellus*, inquit, Apologista, " quia *Petrus Martyr* summè laudat Apologiam pro Ecclesiâ Anglicanâ ab incomparabili " *Juello* conscriptam, infert eum Hierarchiam Anglicanam approbasse, " ut & omnes Ritus & Ceremonias in ea usitatas. At si Apologiam " illam perlegisset ejusque defensionem, non ignorasset ab *Juello* purgari " Aërium ab hæresi, & discrimen inter Episcopum & Presbyterum ab " humanâ institutione derivari. *Hac Apologista quibus addit*, Ca- " pellus verò & Amyraldus in Thesibus Salmuriensibus de diversis " Ministrorum gradibus & Excommunicatione datâ operâ probant, " neque potestatem ordinis neque jurisdictionis solis Episcopis com- " petere. Legantur istæ Theses ut de immani *Durelli* audaciâ constet. De celeberrimo *Juello* jam supra dictum est Cap. 27. Quid de Ritibus Ecclesiæ Anglicanæ scripserit seu in Apologiâ, seu in Apologiæ defensione nihil nunc attinet dicere; Certum est eos tum subscriptâ manu propriâ tum quotidianâ praxi ab illo approbatos. De Hierarchiâ Anglicanâ sic loquitur in Apologiâ; *Credimus varios in Ecclesiâ esse Ordines Ministrorum, alios esse Diaconos, alios Presbyteros, alios Episcopos, quibus institutio populi & Religionis cura & procuratio commissa est.* Qui summis effert laudibus sic loquentem, ab eo varii in Ecclesiâ Ministrorum ordines non videntur improbari. Sed tribus præterea argumentis à me probatum est Episcopatum Martyri visum esse in Ecclesiâ Christi Regimen legitimum. 1. Quia Reformatorum Trecensium Ecclesiam laudavit quod Antonium Trecensem Episcopum (de quo mox plura) qui abjectis Ecclesiæ Romanæ erroribus, Reformationem amplexus fuerat, *unanimi consensu ut verum Episcopum agnovissent & recipissent*. 2. Ex Honorificis Titulis quibus Ecclesiæ Anglicanæ Episcopos in Epistolis suis insignire solebat, eos scilicet *Dei gratiâ Ecclesiarum suarum Episcopos, & Patres ac Dominos in Christo Reverendos plurimumque observandos compellans*. 3. Ex illius obsequio & subjectione Episcoporum Regimini, quamdiu vixit in Ecclesiâ Anglicanâ, in quâ fuit Canonicus. Quid de iisdem *Amyraldo & Capello* visum sit, ibidem etiam strictim pro data occasione, sed fusius in Tractatu Anglicano annotavimus. Adeo non ferret *Amyraldus* non Conformistas & Schismaticos Anglicanos, ut " si quis ex unâ Ecclesiâ " in aliam vel peregrinandi vel negotiandi vel etiam commorandi causâ " migraverit, eum velit nullam Religionem incessere, quin sese con- " suetis in eâ Ritibus accommodet, nè pacem Ecclesiæ turbet aut in- " firmis præbeat materiam offendiculi. Atque in eâ re *inquit*, *Paulum* " Apostolum & Præceptorem & exemplum habemus. *Et expressè decla-* " *rat* Ecclesiæ Anglicanæ Liturgiam, quam profitetur se legisse atten- " tissimè, suo judicio talem esse, ut in multis Zelum verè Christianum " incendere & fidem efficacissimè fovere apta nata sit; in aliis omni

Accessimus quantum potuimus ad Ecclesiam Apostolorum &c. nec tantùm Doctrinam nostram sed etiam Sacramenta Precumque publicarum Formam ad illorum Ritus & Instituta direximus. Juel. Apolog. Londin. 1591. pag. 170.

Amyrald. de secess. ab Eccles. Rom. p. 234.

Idem in Epist. commentar. in Psal. Præfixâ.

"veneno vacet; universè illibatâ Religione, & non modo sine con-"scientiæ ullo vulnere, sed etiam cum admodum memorabili pietatis "fructu celebrari & usurpari possit. De Episcopali autem Regimine quod apud Ecclesias Reformatas obtinet, sic sentire profitetur. "Sunt "Ecclesiæ nonnullæ, inquit, in quibus Pastores non solum diversam "Potestatem obtinent, sed etiam ordine ipso differunt, ut quæ Epis-"copis utuntur: Illi enim certe jam à multis retroseculis hoc sibi ven-"dicarunt, ut non aliquâ authoritate duntaxat, verum etiam ordine "antecellerent, & secundum ordinem singulari quâdam dignitate de-"corarentur. Quando igitur Christus quidem & Apostoli hoc "disertè constituerunt, debere particulares Ecclesias omnes gubernari "à Pastoribus, & aliquâ Regiminis formâ temperari, quod ipsa rei "necessitas flagitat; quæ verè regiminis ista forma potissimum esse "debeat, utrum alii aliis authoritate præcellant, nec ne; neque rei "natura definivit, neque à Christo aut Apostolis æquè diserte consti-"tutum est; id primo in pacificatione statuendum esse videtur, ut "quo jure hactenus Ecclesiarum Evangelicarum Pastores eodem porro "esse pergant, neque aliæ aliarum statum convellere nitantur. Vel ex hoc uno *Amyraldi* loco inferri posse putavi; absque immani illâ audacia quam mihi impingit Apologista, Episcopale regimen ab eo non improbari, & pro Presbyterianis Schismaticis qui Ecclesiæ Anglicanæ, cujus membra erant, statum evertere conati sunt ut illud abolerent, suffragium haud laturum. Sed de *Capello* fortassis aliquid inverecundius à me affirmatum est. Nam et alio loco ait Apologista. *Durelli merè somnium esse, retractasse Capellum in Thesibus de Liturgiis, suam sententiam de identitate Presbyteri & Episcopi.* Sed neque id à me aut affirmatum aut somniatum unquam reperietur locis ab illo citatis. Hæc quæ apud *Capellum* habentur in Thesibus de Liturgiis, à me laudata sunt; scilicet, *Præscriptis liturgiarum Formulis hactenus Reformati quique in suâ gente & districtu feliciter & cum fructu usi sunt; Donec tandem exorti sunt in* Angliâ *Morosi, Scrupulosi & delicatuli nimiùm (ne superstitiosos planè dicam) homines quibus Ecclesiæ suæ hactenus usurpata liturgia visa est multis, sed levissimis nulliusque pene momenti, de causis non improbanda solum, verum etiam planè abroganda, & penitus unà cum toto Episcoporum Hierarchico Regimine abolenda & obliteranda*; quibus immediatè subjicio, planum esse causas abolendæ tum liturgiæ tum Hierarchiæ Anglicanæ, *Capello* judice, fuisse levissimas nulliusque pene momenti, quod notandum; Cùm eorum retractatio sit quæ vir optimus & nimis credulus, Adversariorum nostrorum artibus & calumniis deceptus, de Episcopis nostris ante triennium scripserat. Ubi de identitate Presbyteri & Episcopi nè verbum quidem. Nam quæ de Episcopis nostris scripserat habentur non in Thesibus

Idem de secess. ab Eccl. Rom. p. 29.

Apol. p. 38.

Lud. Capell. Thes. Salm. Thes. de Liturg. part. 3. Thes. 6. & 7.

Thesibus *de Episcopi & Presbyteri discrimine*, sed Thesibus; *de vario Ecclesiæ Christianæ Regimine.* Thesi. 24. ubi manifestum est eum audivisse, *Ecclesiam Anglicanam ab Episcopis non modo misere oppressam, sed & Religionis ipsius, quam agnoscit olim in Angliâ bene per Reformationem constitutam, immutationem atque eversionem tentatam; unde inferebat Anglos videri non imprudenter fecisse, quum Episcoporum ἐξοχὴν à suis cervicibus depulerunt.* Quæ an verbis ex Thesibus de Liturgiis à me laudatis retractentur, sit penes lectorem, judicium: Et an vero si mile sit Capellum si viveret, ab eorum partibus staturum quos morosos, scrupulosos nimisq; delicatulos & tan non superstitiosos esse pronunciat, adversus Ecclesiam, quam agnoscit benè Reformatam.

§ *Petrum Molinæum* etiam, celeberrimum illum in Scholâ Sedanensi S. Theologiæ Professorem ad testimonium dicendum inter eos qui Reverendorum Ecclesiæ Anglicanæ Episcoporum authoritatem legitimam, atque adeo non abolendam censent, advocaveram. Verba ejus perspicua sunt in Thesibus quas in Scholâ publicè propugnavit: *Episcopos Angliæ*, inquit, *post conversionem ad fidem & ejuratum Papismum, asserimus fuisse fideles Dei servos, nec debuisse deserere munus vel titulum Episcopi.* Sed vide lector quid reponat Apologista, ut de immani illius audaciâ tibi constet. *Recte quidem Molinæus*, inquit, *Non debebant munus & titulum Episcopi deserere, id est, non debebant omnia ad se rapere, sed assiduò concionari, & potestatem tum Ordinis tum Jurisdictionis cum Presbyteris communicare; Hoc si facerent de titulo Episcopi nullam iis litem moveremus.* Quasi *Molinæus* titulum & munus Episcopi, prout in Ecclesiâ Anglicanâ obtinent, iis verbis non approbraret, & utriusque jus non tueretur, sed tum munus tum personas munere gaudentes damnaret & carperet. Sed multis aliis locis vir doctissimus & de Ecclesiâ Dei Optimè meritus non minus expresse declaravit quid sentiret tum de Episcopatu in genere, tum de Episcopis Anglicanis nominatim *Statim post tempora Apostolorum, aut etiam eorum tempore*, inquit, *ut testatur Historia Ecclesiastica, constitutum est, ut in una urbe unus inter cæteros Presbyteros Episcopus vocaretur, qui in suos collegas haberet præeminentiam ad vitandam confusionem, quæ sæpe ex æqualitate nascitur. Et hanc quidem Ecclesiæ formam omnes ubique Ecclesiæ receperunt.* Et in Thesibus jam supra laudatis, *Episcopos Romanos quamdiu fuerunt Orthodoxi facile patimur*, inquit, *dici successores Petri in Episcopatu urbis Romæ, at non in Apostolatu & potestate in universalem Ecclesiam. Eodem modo, quo Episcopi Hierosolymitani fuerunt successores Jacobi in Episcopatu istius urbis; Et Episcopi Ephesini successores Johannis & Pauli. At non successores Apostolatus.* Idem repetit in Thesibus de capite visibili universalis Ecclesiæ. *Fuit Simeon*, inquit, *successor*

Thes. Sedanens. de notis veræ Ecclesiæ parte 2. Thes. 33.

Apol. p. 168.

Petr. Molin. de munere Pastorali.

Idem de notis veræ Ecclesiæ Thes. 24.

Thes. 21.

successor Jacobi Apostoli in Episcopatu Hierosolymitano, at non in Apostolatu. Titus successit Paulo in gubernationem Ecclesiæ Cretensis, at non in Apostolatum Pauli. Et in Epistolâ tertiâ ad Wintoniensem Episcopum, de eo quod quæri solet an Timotheus & Titus & Marcus Ephesiorum, Cretensium, Alexandrinorum Ecclesiis præfuerint qua Episcopi an qua Evangelistæ; *Quomodo cunque*, inquit, *tu appellaveris Titum & Timotheum & Marcum, seu Episcopos seu Evangelistas, constat eos habuisse successores Episcopos, hæredes illius præeminentiæ.* Quæ quid aliud sunt quam Episcopatum ab Apostolis institutum agnoscere? Et cum diceretur minus honorificè loquutus esse tum de Episcopis Anglicanis, tum de Episcopis in genere, hisce verbis eam criminationem amolitur. *Egone male vellem Ordini vestro de quo nunquam loquutus sum sine honore, ut pote qui scio instaurationem Ecclesiæ Anglicanæ & eversionem Papismi, post Deum & Reges, deberi præcipue Episcoporum doctrinæ & industriæ; quorum etiam nonnulli martyrio coronati, sanguine suo subscripserunt Evangelio? Quorum hominum scripta meminimus & gesta ac zelum, nullâ ex parte inferiorem zelo præstantissimorum Dei servorum, quos Gallia vel Germania tulit? Hoc qui negat, oportet, vel sit improbè vecors vel Dei gloriæ invidus, vel cerebrosa stoliditate stupens, caligat in clarâ luce. Hanc igitur suspicionem à me amotam volo: maximè cum videam Calvinum ipsum & Bezam, quos solent quidam suæ protervia obtendere, multas scripsisse Epistolas ad Præsules Angliæ, eosque affari ut fideles Dei servos, & bene meritos de Ecclesiâ. Nec sum usque adeo oris duri, ut velim adversus illa veteris Ecclesiæ lumina, Ignatium, Polycarpum, Cyprianum, Augustinum, Chrysostomum, Basilium, Gregorium Nyssenum & Nazianzenum Episcopos, ferre sententiam, ut adversus homines vitio creatos vel usurpatores muneris illiciti. Semper plus apud me poterit veneranda illa primorum sæculorum antiquitas, quam novella cujusquam institutio.*

Petr. Molin. Epist. 3. ad Wintoniensem Episcopum.

Ibid.

§ Ut probarem Gallorum Ecclesias Reformatas, etiamsi à Ministris ejusdem omnino gradus & ordinis gubernentur, Episcopatum tamen haud damnare, nec ab hâc Politiæ Ecclesiasticæ formâ abhorrere; quasi cum illâ Ecclesiæ salus aut ædificatio minimè posset consistere, exemplum adduxi *Johannis Antonii* Trecensis Episcopi, qui cùm Reformationem amplexus esset, ab omnibus Reformatis Trecensibus unanimiter ut verus Episcopus agnitus est & receptus; quique in Episcopatu, Reformatus permansit donec Regis jussu dignitate motus fuerit. Rem totam sequenti narratione complexus sum. "Johannes Antonius Episcopus Trecensis ex Illustri Caraciolorum familiâ oriundus, famigeratissimi Principis *Melfensis* Filius, vir eruditus, perspectâ Reformatæ Religionis veritate, cum cuperet con-

versione

"versione suâ non sibi soli, sed etiam universæ plebi suæ Diœceseos "prodesse, quod vix quidem fieri posse putavit, nisi qui jam Reformatam Religionem profitebantur, sese ipsius regimini subjicerent, "eumque Episcopum & Pastorem suum agnoscerent, hos eum in finem, convenit; qui quidem eum agnoverunt ejusque regimini libentissimè sese permiserunt. Hanc eorum submissionem cæteri "Reformati unanimi consensu comprobarunt, ut & *Petrus Martyr* "qui cum à colloquio Possiaceno Trecas pertransiret Helvetiam repetens, rem totam sibi communicatam calculo suo firmavit, sperans "ejusmodi exemplum Reformationi magnopere commodaturum, "prout testatur in Epistolâ ad Theodorum *Bezam* data, in quâ eum "de Episcopi conversione, & de Ecclesiæ Reformatæ Pastorali illius "Curæ atque authoritati submissione certiorem facit. Nec dubium "est quin Reformationi in eo Regno promovendæ multum profuisset; "nisi quod Episcopi Pontificii non ferentes ut vir ejusdem secum Ordinis ac Dignitatis munus suum in Ecclesiis Reformatis Galliæ retineret, illoque, cum earum bonâ veniâ, fungeretur. Quare exemplum veriti propter consequentias, apud Regiam Majestatem contra Trecensem ita egerunt ut jubente Rege, loco moveretur. * Hæc "apud Thuanum videre est; sed nonnihil in eo errat, quod dicit eum "à Reformatis Trecensibus ordinatum, cum tantum *agnitus sit & receptus ut verus Episcopus*, prout habetur in Martyris Epistolâ. "Jam quosnam Reformati Episcopi adversarios habeant in Galliâ, ex "his facile est judicium; non certe ipsos Reformatos, qui iis sese subjiciunt, eosque pro veris Episcopis agnoscunt, cum iis tanta contingit felicitas ut eorum aliquem videant ad Ecclesias suas sese adjicientem: Sed Pontificios, quibus fixum ratumque st eos apud Ecclesias Reformatas nequaquam ferre, exemplum veriti, *inquit*, "Thuanus, scilicet, nequid Ecclesia & Religio Pontificia eâ ratione "detrimenti capiant. Ne autem ego hanc conclusionem ex eo exemplo deducere solus videar, audiatur hîc vir apud eas Ecclesias eminens, quem videas idem planè hac in parte mecum sentientem. Is est "*Petrus du Bosc* eloquentissimus ille atque eruditissimus, cœtus Reformatorum Cadomensium Ecclesiastes, in Epistolâ ad Reverendum "*Brevintium* sexto Idus Jan. 1660. datâ. "Hujus ordinis, *inquit*, "nempe Episcoporum, in multis præcellentiam agnoscimus; neque "ego puto fratrum meorum quemquam contra iturum, si affirma- "vero Episcopatum legitimis circumscriptum limitibus, multas easque "maximi momenti utilitates habere, quibus destituitur Disciplina Presbyterialis. Quam si Ecclesiæ nostræ amplexæ sunt, id non fecerunt odio Episcopatus, aut quod nobis videatur Episcopatus cum "Evangelii naturâ pugnare, aut ad Ecclesiæ bonum minus conducere, minusve

Ab omnibus unanimiter ut verus Episcopus agnitus est & receptus. Quare ipsius authoritas multum Ecclesiæ Dei commodat? Deus laudetur qui ad hunc modum filii sui regnum gubernat & dirigit.

Petr. Martyr. Ep. ad Theod. Bezam.

* *In concionibus quibus eorum (Reformatorum) doctrinam sequebatur, habendis assiduus, donec Præsules exemplum veriti, apud Regem pervicerunt ut dignitate moveretur.* Thuanus Tom. 2. *ad an.* 1561.

" minusve statui verorum gregum Domini convenire; sed cogente " necessitate. Cùm enim Religionis Reformatio in hoc Regno à " plebe & inferiore Clero inchoata fuerit, Episcopales sedes penes " Pontificios remanserunt. Unde coacti fuimus verbi Ministrorum " & Seniorum Curæ Ecclesias nostras committere, ne opponeretur " in eâdem civitate Episcopus Episcopo. Hinc enim ingentes tumul- " tus exorti, hinc bella implacabilia sequuta fuissent; adeoque me- " morabilis doctrinæ Evangelicæ progressui injecta mora. Si Episco- " pi Reformationem amplexi fuissent, quin eorum ordo in Politiâ " Ecclesiasticâ retentus fuisset, nullus dubito. Hujus rei demonstrati- " vum argumentum occurrit in quâdam Martyris Epistolâ, nempe " quinquagesimâ septimâ, ad Theodorum Bezam. Scribit de Epis- " copo *Trecarum* in Campaniâ, ubi Deus pulchram & numerosam " Ecclesiam collegerat. Narrat illius civitatis Præsulem, agnitâ ve- " ritate, eam pro concione promulgasse; Et cum vir esset præstan- " tissimus regnum Christi illius operâ magna incrementa cepisse; ve- " rum cum illapsus fuisset illius animo ingens scrupulus super vocati- " one suâ; convocatis Ecclesiæ Reformatæ Senioribus, ab iis quæ- " sivit an vellent eum Episcopum suum agnoscere, rogans ut eâ de re " maturè inter se deliberarent. Quod cum fecissent eâ prudentiâ " quæ ad rem tantam adhiberi debuit, unanimiter ab iis omnibus ut " verus ac legitimus Episcopus agnitus est. Jam cui dubium est, si " reliqui hujusce Regni Præsules, ejus exemplum sequuti essent, & " cum eo gloriam Deo tribuissent, quin locum suum & dignitatem re- " tinuissent. Nam Martyri in eâ Epistola tum Episcopi actio, tum " Seniorum resolutio probantur, &c.

§ Ex quâ narratione & narrationis probatione Apologista, ne mentione quidem Epistolæ à præstantissimo *Petro du Bosc* de re eâdem & in eandem prorsus sententiam scriptæ factâ, probare satagit " quàm vel " oscitanter vel sublestè hâc in causâ egerit *Durellus*; quod ut omnibus " constet, *inquit*, verba ejus Anglica ut & Gallica Authoris Historia- " rum in Regno Galliæ, utraque latinitate donata & juxta posita " lectori pensitanda exhibebo. Verba Authoris anonymi ab eo laudata hæc sunt. " Sub finem Septembris D. Antonius Caraciolus, " Episcopus Trecensis, reversus è Colloquio Possiaceno (ubi utcunq; " profecerat) sollicitatus à quibusdam Principissis aliisque Dominis " Aulicis, comparuit coram Synedrio Ecclesiæ Trecensis, errores " solenniter agnoscens, ac rogans ut ad Ministerium admitteretur. " Qua de re cum contrariæ essent sententiæ, aliis existimantibus " magni usus futurum eum in Pontificiis ad suas partes attrahendis, " aliis verò nec sine causa, suspectam habentibus levitatem & vitam " impudicam hujusce Episcopi huc usque nimis notam, conclusum est,

exquirenda

" exquirenda esse suffragia Ministrorum qui adhuc congregati essent " Possiaci; Quibus utcunque perplexis propter varias circumstan- " tias quæ publicabantur, consilium petitum est ab Ecclesiâ Gene- " vensi, cujus opinio scriptis consignata reperitur in Latinis respon- " sionibus *Johannis Calvini*. Interea Trecis transivit magnus ille vir " Petrus Martyr, rediens Possiaco ad suam Ecclesiam Tigurinam, " cujus consilio Episcopus factâ abjuratione & subsignatâ confessione " fidei, postquam promisisset N. B. se Episcopatum suum deserturum " admissus est ad ministerium, non tamen sine contradictione. Nam " ei se opposuit *Petrus le Roy*. Nihilominus deserto Episcopatu, ac- " ceptis quibusdam pensionibus, quas ipsi Regina concedi jussit, con- " cionatus est, sed verbis abundabat magis quam ullâ aliâ re. Verum " pessimè posteà se gessit, ut dicetur suo loco. Sed quicquid fuerit " Ecclesia Trecensis erevit. Quibus addit Apologista; " At obstre- " pit infelix *Durelli* ingenium ex Thuano, Præsules Pontificios ex- " emplum veritos apud Regem pervicisse ut hic Antonius dignitate " moveretur. Bene habet, erat quod exemplum vererentur. Si enim " obtineat nullos Episcopos ritè vocari, nisi qui Seniorum & Plebis " Suffragiis fuerint electi, actum plane est de Papâ Romano; actum " de Episcopis Papanis, actum etiam de Episcopis Anglicanis, in " quorum electione & vocatione quam nullæ sint partes Seniorum & " Plebis, nimium notum est. Verebantur etiam Præsules ne assidui- " tate Antonii in prædicando Evangelio, illorum vel suggillaretur " negotium vel damnaretur otium. Atque utinam non esset cur & " nostri Præsules hac ex parte pertimescerent. Deinde digreditur ad ea quæ de neglecto à R. Episcopis nostris concionandi munere, Capite XXXII partim inter ridiculas Presbyterianorum Fabulas retulimus, partim examini subjecta refutavimus; ratus scilicet eâ digressione, quæ tota comparata est ad risum excitandum, lectorem ita oblectatum iri, ut de Trecensis Episcopi negotio nihil amplius cogitaret. Sed parum attentus sit oportet qui non videat uter nostrum oscitanter aut subdolè hac in causâ egerit; Ego, qui narrationem meam deprompsi partim ex *Thuano* Nobilissimo illo Historiographo, partim ex *Petro Martyre*, qui præsens adfuit, quique Trecis adhuc agens rem totam ad *Theodorum Bezam* perscripsit; an verò Apologista, qui *Historiarum in Regno Galliæ authorem*, quem vocat, nescio quem (licet suspicer) Anonymum laudat, & his opponit. Nam quamquam *Petri Martyris* etiam mentionem facit; ejus verbis planè abutitur in fraudem lectoris; nec vult *Martyre*, sed Anonymo illo judice, litem nostram dirimi. Eaque est Apologistæ oscitantia ut *Trecensem* vocet *virum bonum*, quem Anonymus *impudica vita hominem fuisse dicit*. Sed illi vir bonus est etiam vitæ impudicæ manifestò reus, si modò

Apol. p. 165.

Apol. p. 163.

modò scrupulus circa munus Episcopale illius animo hæreat. Ejusmodi enim viri boni, pii & Reverendi apud Ecclesiæ Anglicanæ adversarios non sunt inauditi, apud quos scilicet *Puritanismus*, sicut *Corona* per leges hujusce Regni, tollit omnem defectum. Affirmo ego *Antonium Trecensem* Episcopum, postquam ad Reformatos accessisset, Episcopum egisse. Affirmo eum Reformatæ Trecensium Ecclesiæ Seniores convenisse, non ut ex Episcopo Trecensis Diœceseos, unius Reformatorum cœtus Minister fieret; sed ut sciret an vellent eum pro Episcopo habere; ab iis ut verum Episcopum unanimiter agnitum & receptum; Et postquam ab iis Episcopus agnitus esset & receptus, non unius Reformatorum illius civitatis cœtus Ministrum sed Totius Ecclesiæ Trecensis Diœceseos Episcopum Reformatum fuisse; idque affirmant pariter mecum *Petrus Martyr*, *Thuanus* & *Petrus du Bosc*. Nam dignitate quâ Trecensem Reformatum à Rege, rogantibus Pontificiis Præsulibus, motum esse ait *Thuanus*, Episcopatum, non simplex Ministerium significari planum est; neque ulla seu apud *Martyrem* seu apud *Thuanum* de abdicatione Episcopatus, mentio occurrit. Apologista verò cum suo *Historiarum in Regno Galliæ Authore Anonymo*, ad Ministerium tantum, idque non priusquam promisisset se Episcopatum suum deserturum, neque id etiam sine contradictione, eum admissum esse contendit. Utri credendum judicet æquus lector.

§ Nimis excresceret hujus libri moles si eorum omnium virorum celebrium qui in Ecclesiis Reformatis Galliæ olim floruerunt testimonia hic exhiberem, quibus profitentur Episcopatum nec sibi nec Ecclesiis suis improbari. Trium igitur virorum celeberrimorum qui in iisdem Ecclesiis adhuc vivunt ac florent, suffragiis lectorem contentum esse oportebit. *Primum* erit Clarissimi *Drelincurtii* Parisiensium Reformatorum Ecclesiæ Pastoris vigilantissimi. Is in Epistolâ ad Reverendum Brevintium Canonicum Dunelmensem, hæc habet à me latinitate donata. *Quandoquidem* Germania *&* Helvetia *suos habent* Inspectores *&* Superintendentes, Dania *vero ac* Suecia *suos Episcopos, non video cur quis offendi debeat quod* Angliæ *sui etiam sint Episcopi. Quod si eadem Regiminis forma apud hujus Regni Ecclesias non obtineat, id ideo fit quia non convenit cum rerum nostrarum statu, cui nihil aptius excogitari potest quam Pastorum æqualitas. Verum si Deus, apud quem omnia possibilia, & in cujus manu sunt corda Regum ac populorum, Monarchæ nostro & omnibus illius subditis, aut saltem maximæ eorum parti, eam gratiam indulgeret, ut Reformationem Evangelicam amplecterentur, meo quidem judicio, impossibile esset inter tantum Pastorum numerum æqualitatem retinere, compelleretque necessitas ad constituendos quosdam qui aliquâ præeminentiâ gauderent*

Lettres de M. Drelincourt sur le Restablissement du Roy de la grande Bretagne. A Geneve, 1660.

gauderent præ cæteris, quique eorum moribus invigilarent; tum his tum illis Synodorum Provincialium Authoritati subjectis. . *In hoc Regno & in aliis regionibus, in quibus nullus est Episcopus qui non pendeat à Romano Pontifice, quique errores Pontificios acriter non propugnet, vel ipsum nomen Episcopi Reformatis exosum est. At non ita habere debet in Angliâ ubi floruerunt Episcopi pietatis eximiæ & doctrinæ Orthodoxæ assertores egregii, qui Ecclesiæ Reformandæ operam utilissimam navaverunt; Quorum etiam nonnulli tanto Zelo arserunt ut puram Evangelii veritatem sanguine suo consignare non dubitaverint, Angelicâ Divinâque flammâ quâ in Cœlum evecti sunt, in mediis ignibus coruscantes.* Alterum erit Reverendi Johannis Maximiliani *Langlai*, Rothomagensium Reformatorum Pastoris merito suo spectatissimi mihique æternum colendissimi, qui multarum Synodorum Provincialium, ut & ultimæ Nationalis una cum Cl. Dallæo Præses fuit, qui non unâ ad Regem legatione functus est, quiq; à Synodo Nationali ob eruditionem S.Th. Professor designatus est. Is in Epistolâ ad eundem R. *Brevintium* 1660. quæ penes me est; "Præ lætitiâ, *inquit*, eructavit cor meum, quando relatum est vestram Liturgiam & antiquam Disciplinam quasi postliminio restitutum iri, jamque quasi auroram ortum solis è tenebris erumpentis, id est, Regis vestri fausta auspicia indicantem apparere. Nequeo non benè ominari illi Disciplinæ cujus praxi tot benedictionibus cumulata fuit per tot annos Ecclesia Anglicana. Nec dicere suppetit quid sibi velint osores pacis Ecclesiæ, qui passim obmurmurant, Ecclesias Gallicanas Episcoporum Ordini esse infensissimas, quasi Christi Regno obversis cornibus repugnare eum existimaremus & esse prædicaremus Antichristianismi fœdas reliquias. Apage à nobis tam lævam tamque temerariam sententiam, quam neque Dallæi, neque Amyraldi, neque Bocharti, neque collegarum Rothomagensium quisquam, neque ego denique, qui fratrum minimus sum, unquam approbavimus. Denique celeberrimum *Dallæum* hic vocabimus ad Suffragium quod pro nobis fert his verbis, quibus respondet *Adami Jesuitæ* & *Cottibii* Apostatæ calumniis, qui eum Episcoporum Ordini iniquiorem esse affirmaverant. "Adeo Episcopos non despicio aut contumeliâ afficio, quod mihi imponis, *inquit*, ut contra vehementer commovear quoties mente reputo quam eis Papa fecit injuriam, cum eos adeò deturbavit infra locum quem tenuerunt in Antiquâ Ecclesiâ. Atque utinam eundem locum etiamnum in vestrâ tenerent. Deumque precor ut illis tantum addat animorum ut jus illud suum denuo sibi vendicent atque arrogent. Melius longè se haberent res Christianorum. Quin constat *Calvinum* ipsum eos Episcopos coluisse qui excusso Romani Pontificis jugo,

Dallæus contra Adamum Jesuitam part. 3. c. 20. p. 261. Gallicè.

"puram & simplicem Apostolorum doctrinam à fermento vestrarum "traditionum repurgatam docebant, quales erant Præsules Anglicani, "*Cranmerus* Archiepiscopus Cantuariensis, & *Hopperus* Vigorni-"ensis Episcopus. Eandem Christianam communionem cum eorum "Successoribus coluimus & etiamnum colimus in fide & charitate, "licet Ecclesiasticum regimen apud eos obtineat diversum ab eo quo "gubernantur Ecclesiæ nostræ. Ab ipso Papa vobisque Monachis "præcipuè profecti sunt plerique abusus & errores, qui in Ecclesiâ "vestra obtinent. Et quamvis optandum foret ut Ministerio suo ita "fungerentur Episcopi ut magis cederet in Ecclesiæ commodum; ut "quam habent in greges ac Presbyteros suos potestatem, ad normam "verbi Divini & antiquioris Ecclesiæ morem exigeretur, atque ut "eorum status ad modestiam ac frugalitatem Christianam propius "accederet. Fatemur tamèn eorum munus (quod ad rem ipsam at-"tinet) bonum esse & legitimum, ab ipsis Apostolis juxta præceptum "Domini in Ecclesiis quas fundarunt, constitutum. Papam vero & "Monachos neque à Christo Domino; neque à Christi Apostolis "unquam institutos credimus; neque nobis ullum eorum vestigium "seu in verbo Divino, seu in primævi Christianismi monumentis "occurrit.

§ In Tractatu Anglico, ut ostenderem Ecclesiæ Anglicanæ Politiam à Belgis Reformatis non damnari, licet quæ apud illos obtinet iis fortè magis arrideat, hisce quatuor argumentis duntaxat usus sum, additis virorum doctissimorum *Ludovici de Dieu* & *Andrai Riveti* Suffragiis. 1. Serenissimum Jacobum Regem supplices rogaverunt ut aliquos ex Reverendis Ecclesiæ nostræ Antistitibus mittere dignaretur, qui Synodo Nationali *Dordrachti* celebrandæ una cum reliquis aliarum Ecclesiarum Reformatarum Delegatis interessent. 2. Reverendo *Landavensi* Episcopo à Regiâ Majestate ad Synodum Delegato id honoris detulerunt ut primum locum in Synodo semper occuparet, ut primus de rebus in Synodo agitatis sententiam rogaretur, ut *Reverendi Præsulis*, & *Reverendi Domini Episcopi* titulis a *Bogermanno* Synodi Præside, quoties eum compellabat, ornaretur; quod ab eo nunquam factum fuisset, si Ecclesiæ quarum membrum, & eo tempore eâq; occasione, quasi oraculum fuit & quodammodo Primas, damnassent munus & dignitatem Episcopi; maximè cum omnes Belgarum Ecclesiæ eo loco & tempore per Delagatos suos præsentes adessent. 3. Responsum quod idem *Bogermannus* Synodi Præses dedit *Landavensi*, Episcopalis Regiminis utilitates ad cavenda tollendaque Schismata & Hæreses ab Ecclesiâ, prædicanti, scilicet, *Domine non sumus adeo felices*, ut Ecclesiis nostris præsint Episcopi. Clarissimus *Josephus Hallus*, tunc Wigorniensis Decanus, qui Synodo unà cum *Landavensi*

Josephi Halli jus Divinum Episcopatus.

Landavensi interfuit, testatur eam *Bogermanni* vocem, totâ audiente Synodo, ad aures suas pervenisse. 4. *Festus Hommius* Synodi Scriba, Potentissimorum Fœderati Belgii Ordinum & Ecclesiarum nomine, non modò Regi & Principi Walliæ, sed ipsi quoque *Cantuariensi Archiepiscopo* singulis Decretorum Synodicorum exemplar obtulit. *Ludovicus de Dieu* Epistolam Annotatis ad Acta Apostolorum præfixam inscribit Clarissimo, &c. *D. Jacobo Usserio Archiepiscopo Armachano, Hiberniæ Primati, Patri in Christo Reverendo ac Domino venerando.* *Rivetus* verò adeo Reverendos Ecclesiæ Anglicanæ Episcopos non damnat, ut in iis glorietur. *Cæterum*, inquit, *socii ejus* (id est Jesuitæ) *ex Angliâ redeuntes, ipsi narrare potuerunt, quod Episcopos nullo juramento Papæ adstrictos, ibi viderint.* Sed ista Apologistæ acri scilicet solidoque Disputatori ejusmodi videntur, ut sputando non disputando refutanda pronunciet; Perindeque esse ac *siquis inferat* Calvinum *Pontificiæ Religioni addictiorem fuisse, quia regem Galliæ, regis Christianissimi titulo insignivit; aut Ecclesiam Anglicanam approbare Papatum, quia Rex* Carolus I. *cum Princeps esset, in Epistolâ quam ad Papam perscripsit, eum sanctissimum Patrem compellavit.* Sed quis non videt inde sequi *Calvino* non displicuisse ut *Franciscus* 1. ad quem ultro scribit, non modò Rex esset, sed etiam Christianissimus, prout se profitebatur; Et idem colligi posse de Ecclesiâ Genevensi, si *Calvinus* Ecclesiarum totius ditionis Genevensis Synodi Præses, totâ audiente approbanteque Synodo, *Franciscum* iisdem elogiis ornasset. Solent enim Synodorum, maximè Nationalium, Præsides cautè, nec nisi ex mente Ecclesiarum quarum Synodis præsunt, in Synodis loqui; nec impunè quemquam muneris ratione elogiis ornarent, cujus munus à Synodo improbaretur. Quod habet de Scriptâ à Carolo I. tunc Cambriæ Principe, cum in Hispaniâ ageret, ad Pontificem Romanum Epistolâ est omnino ἀπροσδιόνυσον. Quid enim Ecclesiæ Anglicanæ cum Epistolâ à Principe juvene, Regiam eximiæ formæ virginem deperiente, ad eum Scriptâ, sine cujus licentiâ eâque per literas, cum eo titulo quo solet vulgò compellari, impetratâ, fieri non poterat ut eam uxorem duceret. At si Ecclesiæ Anglicanæ rogatu Cardinalium aliquem mitteret Romanus Pontifex ut Synodo Nationali ad componenda Religionis dissidia congregatæ interesset; Archiepiscopus autem Cantuariensis Synodi Præses, totâ Synodo audiente & non improbante, eum, Cardinalem Eminentissimum & Eminentissimum Ecclesiæ Principem compellaret ac diceret Ecclesiam Anglicanam non esse adeo felicem ut à Cardinalium Collegio regatur, an non statim idque jure merito, Apologista cum Presbyterianis suis inferret, Cardinalium Ordinem ab Ecclesiâ Anglicanâ non damnari?

Andr. Rivet. Cathol. Orthodox. Tract. 2. Quæst. 22.

§ Superest ut quid Ecclesia Genevensis de Episcopatu in genere, & in

Apol. p. 168. in specie de Episcopatu Anglicano sentiat, videamus. *Probare satagit Durellus,* inquit Apologista, *Ecclesiam Genevensem quæ Presbyterianismi vulgò parens creditur, Hierarchiam Anglicanam non damnare* pag. 150, 151, &c. *eo quod Senatus populusque Genevensis responderit* Duci Sabaudico, Episcopo reditum liberum fore, modò sui nominis memor secundum Dei verbum Episcopum agere velit. *Quis quæso Presbyterianus tantumdem non diceret? ne tamen nimium tribuisse videretur Durellus Ecclesiæ Genevensi, addit* pag. 160. Se vix posse condonare ei quod in locum Episcopi ejecti alium non Surrogaret, nisi moveret eum authoritas Hookeri, qui pronunciat ἀδύνατον fuisse, ut in isto rerum statu crearetur novus Episcopus. *Magnas sane Durello debent gratias Genevenses, quod non credat eos obligari ad impossibile. Verum cum Hookeri ἀδυναμία sit merum figmentum ex manifestâ ἀνισογνωσίᾳ natum, non magis rediit in gratiam Ecclesia Genevensis cum Pastore Sabaudiensi, quam cum Duce Sabaudiensi, sed nec opinor redibit.* Compendio narrabo quæ de Republicâ deque Ecclesiâ Genevensi à me annotata sunt in Tractatu Anglico, ut Genevenses Reformatos purgarem à duobus criminibus quæ illis apud nos vulgò objiciebantur; scilicet 1. Perduellionis adversus Genevensem Episcopum, eorum scilicet legitimum Principem, imperio mero in illos gaudentem, 2. Odii Vatiniani, quale est Schismaticorum nostrorum, erga omnem Episcoporum, licet Orthodoxorum, ordinem. Eaque mea erit ad Apologistæ Cavillationem Responsio. *Geneva Civitas miram vetustatem habet.* Ut enim taceam quæ de *Lemano*

Munsterus l. 2. Cosmograph. Cæsar in comment. l. 1. Rege illius fundatore vulgò feruntur, quo tempore *Julius Cæsar,* cum Romano exercitu Galliam tenebat, *Genevam* haud incelebrem jam tum fuisse constat; adeo ut Romanus Imperator eo se reciperet adversus Helvetios illac iter parantes in Santonum provinciam. Ex eo autem usque ad hunc diem *Geneva* libera civitas fuit suos habens Magistratus liberis Civium Suffragiis Electos, sub clientelâ Romani Imperii, à quo privilegia & immunitates varias variis temporibus consequuta est. Quùm incendio ferè absumpta fuisset, ab *Aureliano* Imperatore an.

Vide apud Gruterum Lipsium & alios & in inscriptionibus. 264. instaurata est, novis additis immunitatibus, et ab illius nomine *Aurelia Allobrogum dicta.* Ab eo tempore, modò *Civitas,* modò *Colonia Equestris* dicta est. Civitatem Equestrem dictam putant nonnulli, quod non modò Civitate Romanâ donata sit, sed quod cives Genevenses in Equestrem ordinem etiam cooptati fuerint. Alii verò *Coloniam Equestrem* ex eo dictam volunt, quod ibi ingentem equitatum haberent Romani. *Colonia Allobrogum* etiam dicebatur à Coloniâ Romanâ. Cùm Sabaudiæ Ducis ac Genevensium legati, ut de controversiis suis agerent arbitro Gallorum Rege Christianissimo, an. 1600. Genevenses contra Sabaudum, qui Principatum Civitatis sibi vendicabat,

cabat, pluribus demonstrarunt Genenevam jam à multis sæculis *neminem in terris superiorem agnovisse præter unum* Romanorum *Imperatorem; Unde semper libera, Equestris atque Imperialis civitas dici solita est.* Liberam ac Imperialem civitatem esse demonstrant, 1. Imperii Romani insignia variis Civitatis locis insculpta, ut etiamnum videre est super Divi Petri atrio. 2. Extraordinariæ supplicationes quas pro salute Imperii Imperatorisque Romani per triduum habere tenetur Civitas Genevensis, quandocunque ipse Romanorum Imperator Genevam ingreditur. Quod tributi genus, si sic possit appellari, à Genevatibus pensum legitur an. 1319. *Henrico* Imperatori designato; an. 1415. *Sigismundo*, & an. 1424. *Frederico* ejus nominis 3. Romanis Imperatoribus. Denique *Tituli* quibus ipsi Romanorum Imperatores semper in Diplomatibus aliisque instrumentis publicis atque literis privatis cives Genevenses atque ipsam Civitatem compellarunt. Exemplo sint literæ à *Carolo* V. ad Magistratus Genevenses scriptæ an 1527. Maii 20. quibus eos non secus atque alios Imperialium civitatum Magistratus, de Philippi filii sui nativitate certiores facit. Sic se habet inscriptio, *Honorabilibus nostris & Sacri Imperii fidelibus, dilectis nobilibus Syndicis & Consiliariis Civitatis nostræ Imperialis Genevensis.* Quamquam itaque Genevensis Ecclesiæ Episcopus, Genevensis quoque Princeps dicebatur, & jura plurima, partim à *Cæsaribus*, partim ab ipsis civibus concessa possideret, non ideò tamen civitatis illius Princeps ac Supremus Dominus fuisse putandus est. Sacri Romani Imperii Princeps audiebat & erat, & à Geneva, Episcopatus sui sede, *Genevensis Episcopus* dicebatur, ut sunt & audiunt plerique, aut etiam fortè omnes Germaniæ Episcopi, qui ab Episcopatuum suorum sedibus variis variè denominantur, quamvis civitatum, à quibus titulos suos mutuantur, libertas eâ nomenclatione nihil imminuatur. Id vulgò notum de *Argentinensi, Bremensi, Basileensi* aliisque S. R. Imperii liberis Civitatibus, quæ Episcopos ab illis denominatos, Principes ac Dominos supremos neutiquam agnoscunt. Quæ nemini rerum Germanicarum non imperito, mira videbuntur. Fuit tamen Episcopo Gebennensi supremum Dominium, non in ipsam Genevensem Civitatem, sed in Comitatum Gebennensem, seu Gennebesium, Gallicè, *Le Comté de Genevois*, cujus Comites, Genevensi Episcopo eo nomine fidem adstringere tenebantur. Quod & factum ab ipsis Sabaudiæ Ducibus, cùm Gennebesium possederunt. Magnis tamen gaudebat privilegiis & authoritate magnâ pollebat in ipsâ Civitate; unde factum conjicio, ut non Canonicorum solummodo sed & Civium Suffragiis eligeretur Episcopus; utque priusquam Civitatem ingrederetur, solenni jurejurando coram Consulibus, polliceretur, se Civitatis jura atque immunitates, sartas tectas servaturum; Quin & aliquando

Vide Thuanum Histor. tom. 5. b. 125. ad an. 1600.

In Archivis Genev.

Exemplar asservatur Genevæ in Archivis.

Vide apud Thuan. tom. 5. ubi supra.

aliquando ad majorem cautelam, conficiebatur à Notariis Imperialibus instrumentum publicum Episcopi & Syndicorum, seu Consulum propriis manibus subscriptum ac Sigillis munitum. Ejusmodi autem semper fuere Civium Genevensium privilegia atque immunitates, ut meris subditis competere nequeant. Non modò enim, Magistratus Suffragiis suis eligebant, sed iis omnimodam plenariamq; potestatem concedebant. Urbis custodia jus erat Consulare non Episcopale. Ab occasu usque ad ortum solis, penitus occidebat omnis Episcopi jurisdictio, ita ut vel teste ipso *Ademaro* Genevensi Episcopo, an. 1357. *omnimoda jurisdictio merum mixtumque imperium ad solos Cives pertineret.* Fœdera cum aliis Civitatibus ac Principibus, inconsulto Episcopo, inire quovis tempore consueverunt. Ejusmodi fœdera cùm antiqua tum recentiora multa memorantur. Percussum à Genevensibus cum *Amedeo* Sabaudiæ Comite fœdus solenne est an. 1285. Anno verò 1526 cum *Bernensium* ac *Friburgensium* Pagis societatem, quâ alii aliorum Civitate invicem donabantur, inierunt. Bis etiam cum ipso Sabaudo Bernensium ac Friburgensium Sociorum suorum interventu, pepigerunt annis 1530, & 1531. Genevam denique liberam suique jûris, atque Episcopo saltem, minimè subjectam vel hoc uno argumento demonstratur; Quod scilicet ipsi Episcopi, siquando in Civium numerum cooptarentur, jus Civitatis primùm supplices petere solebant a Consulibus, Senatu populoque Genevensi; Deinde & fidem solenni jurejurando Civitati promittere tenebantur. Quod à *Petro de la Baulme* ultimo Ecclesiæ Genevensis Episcopo an. 1527. Julii 15. in Genevæ Civitatis Archivis factum fuisse commemoratur. Huc referri possunt & ea quæ de hoc argumento obiter delibavit Illustrissimus Parisiensium Archiepiscopus in limatissimâ illâ Historiâ quam de vitâ Magni illius Henrici Gallorum Regis, Gallico idiomate scriptam typis mandavit. Variæ tamen variis temporibus fuere modò Episcoporum Genevensium modo Sabaudiæ Ducum, imò & aliquando Gennebesii Comitum adversus Civitatem molitiones, ut eam sibi subjicerent; quibus omnibus Genevates semper strenuè, viri scilicet strenui, obluctarunt; *libertatem*, inquit *Spanhemius*, *Reipublicæ suæ peculium imò animam reputantes.* Jam memoratus *Petrus de la Baulme* ultimus Ecclesiæ Genevensis Episcopus homo inquietus, relictâ civitate an. 1528. eam armis & clandestinis cum Sabaudo transactionibus adortus est; anno 1533. demum reversus unà cum consulibus aliisque è Senatu *Helvetio-Friburgensium*, quorum interventu liberum in civitatem regressum pepigerat. Sed brevi post tempore, Julii scilicet 15. ejusdem anni, *ultro & ultimùm urbe excedit; plebis coitionem in speciem veritus, sed reverâ molitionum contra Rempublicam initarum conscientiâ pressus.* Genevensibus

Vide La copie des coustumes, ordonnances, franchises & libertes de la noble & insigne cite de Geneve, A Geneve 1507.
Vide Genev. Restitut.

Le Traité de Combourgeoisie. A S. Julien & à Payerne.

Geneva Restitut. p. 10.

Vide Genev Restitut. p. 62. Item modeste declaration pour les Egl. Reform. p. 235.

vensibus enim innotuerat Petrum jura sua quæcunque aut haberet aut habere sibi fingeret, Sabaudiæ Duci pactis conditionibus concessisse; Cujus Pactionis adversus Civitatem factæ cum conscius esset qui erat Episcopi à secretis, capite mulctatus est. Sed hæc omnia (quod maximè velim à lectoribus observari) Episcopum inter & Genevensem Civitatem contigerunt, cùm Consules, Senatus, Populusque Genevensis Pontificiam profiterentur Religionem. Adeo ut cùm metus esset ne Reformati ex vicinis provinciis adventantes dogmata sua spargerent inter cives, Senatus consultum conditum sit, statim à fugâ Episcopi, quo veteri Religioni cautum, & Doctrinæ Lutheranæ, (sic vocabant doctrinam Evangelicam) professione omnibus interdictum. Quin & solenni Vicarii Episcopalis edicto Kalendis Januariis anni sequentis 1534. promulgato prohibitum, ne ullæ fierent Evangelicorum coitiones, Biblia etiam Sacra sive vernaculâ linguâ, sive Germanicâ flammis & internecioni devota. Repressi etiam tum Senatus authoritate qui Evangelicam doctrinam imbiberant; *Camo* concionatore Evangelico, urbe ejecto, & *Frumentio*, qui Religionis emendationem promovebat, vix periculo & ignominiæ subducto. Sicque ferè biennium effluxerat ab exitu, seu fugâ Episcopi priusquam Senatus de Reformandâ Religione cogitaret. Itaque dato, non concesso, quod Genevenses adversus legitimum Principem ac Dominum rebellaverint, perduellionis illius crimen in Pontificios solos, non in Reformatos (quibus nihil negotii hucusque cum Episcopo fuerat) totum cadit; Neque ii qui nuper apud nos horrendâ illâ rebellione sese polluerunt, patrocinium seu excusationem in Reformatæ Genevensis Civitatis exemplo (cum nullum ejusmodi præbuerit) ullam habuisse dicendi sunt. At patet cùm ex superioribus argumentis tùm maximè ex *Caroli* Imperatoris literis Hagæ Comitis an. 1540 (quinquennio post Reformatam Genevæ Religionem) ad Genevates datis, eos seu ante seu post Reformationem absque omni ratione rebellionis accusari. Cùm enim eo tempore sollicitarentur ut Imperii Clientelæ se subducerent, hortatus est eos Imperator, nullâ seu Episcopi seu aliùs cujuscunque Principis aut Domini, cui jure subesse tenerentur, mentione factâ, *uti pristinam jurisdictionem & libertates a Predecessoribus suis Geneva, tanquàm Civitati Imperiali, concessas tuerentur; persuasus haud eos eo delapsuros ut in prajudicium suum & Sacri Romani Imperii, alteri fidelitatem prastare velint.* Post quæ statim subjungit Imperator, *vos serio requirentes & sub pœnâ gravissima indignationis nostra mandantes, ut à prastando dicto juramento fidelitatis omnino abstineatis, neque in diversam sententiam ullo modo eatis, aut vos adduci sinatis, quin potius in nostrâ & Sacri Imperii fide & obedientiâ debitâ perseveretis.*

Genev. Restitut. p. 37.
Ibid. p. 64.
Vide apud Thuan. tom. 5. l. 125 p. 9. Edit. Genev.
Harum literarum exemplar Genev. asservatur in Archivis.

§ Neque

§ Neque minorem Reformatis Genevensibus injuriam faciunt qui eos audent affirmare Episcopum non Principem ac Dominum, sed Pastorem legitimum repudiasse, eumque Episcopali sede coitionibus seditiosis pepulisse. Nam præterquam quod, uti supra observatum est, Genevenses ab an. 1528. quô Episcopus litem seu potius bellum ipsis intentavit usque ad an. 1533. quô se clanculum ex urbe proripuit, Pontificiam Religionem profitebantur, nec nisi post circiter biennium an. scil. 1535. Ecclesiæ Romanæ nuncium remiserunt; Cum Sabaudiæ Dux legatos ad Genevenses jam Reformatos misisset, ut cum iis agerent de abjiciendâ novâ Religione, recipiendo Episcopo, & restituendis imaginibus; *Responsum, Senatui populoque Genevensi ratum esse, Deo potius obediendum quam hominibus; Episcopo reditum liberum fore, modò sui nominis memor Episcopum secundum Dei verbum agere velit. Superstitionis verò instrumenta, nec restitui posse nec debere, quamdiu Geneva se liberam & Deo soli Sacram meminerit.* Hæc an. 1537. contigere. Quæ cum ita se habeant, confidenter dicam, Genevenses cum Religionem emendarunt, Episcopalis Regiminis ab Ecclesia eliminationem, Reformationis partem necessariam haud duxisse; Contra verò, si Deus illorum Episcopi misertus, eum ad purioris Christianismi professionem vocasset, ita ut sepositis belli consiliis, quibus assiduè per annos complures Civitatem fatigaverat, uni curæ animarum sibi creditarum, uti verum decebat Episcopum, operam dedisset, quin Ecclesia Genevensis ejusmodi Episcopo debitum obsequium ex animo præstitisset, & alios Orthodoxos Episcopos ad hanc usque diem ipsi continuâ successione, suffecisset, quemadmodum factum est in Angliâ & aliis Regnis purum Evangelium amplexis, minimè dubium est. Adeo ut, quod hodiè desideratur in Ecclesiâ Genevensi Reformatus Episcopus, id ipsi, temporis illius Episcopo Pontificio, minimè vero Reformatis Genevensibus debet acceptum ferri. Attamen non diffiteor, nisi me *Hookeri* nostri moveret authoritas qui Pontificio, Reformatum Episcopum substituere, eo rerum statu, omnino impossibile fuisse pronunciat, Genevenses ægrè in gratiam mecum redituros, quod in officio tam necessario sibi ipsis defuerint.

Genev. Restitut. p. 86.

§ Ne autem regeratur *Genevenses* ex quo *Jo. Calvinus* & *Theo. Beza Genevam* advenerunt (eo enim ne pedem quidem intulerant dum hæc gererentur) aliter ab iis edoctos fuisse; age ipsos tam pro se quàm pro Ecclesiâ Genevensi dicentes audiamus. Prolixè de Episcopatu deq; Episcopis Anglicanis capite superiore edisseruit *Calvinus*. Sic autem Clariss. *Beza* in eo ipso Tractatu quem adversus Saraviam nostrum, de diversis Ministrorum Gradibus scripsit, *siqui sunt, quod sane, non mihi facile persuaserim, qui omnem Episcoporum Ordinem rejiciant, absit ut quisquam sanæ mentis furoribus illorum assentiatur.* Nondum scilicet

conjuraverant

conjuraverant adversus Episcopos suos novi Scotiæ atq; Angliæ Presbyteriani; Necdum reperti erant, qui nefandæ illius conjurationis verba solennia, quibus vovebatur Episcopalis ordinis extirpatio, tabulis inscripta, (quod factum vidimus) in Templis Christianorum publicè exponerent, & veluti Anathema appenderent. Extat in eodem Tractatu luculentum pro Episcopis Anglicanis nominatim testimonium. "Quod si nunc Anglicana Ecclesia instaurata suo- *Beza adversus*
"rum Episcoporum & Archiepiscoporum auctoritate suffulta per- *Saraviam cap.*
"stat: quemadmodum hoc illi nostrâ memoriâ contigit, ut ejus *18.*
"ordinis homines non tantum insignes Dei Martyres, sed etiam "præstantissimos Pastores ac Doctores habuerit, fruatur sanè ista "singulari Dei beneficentiâ, quæ utinam sit illi perpetua. *Ibid. cap. 18. p. 167.* Citatur etiam a *Georgio Paulo* equite aurato, in vitâ *Whitgifti* Cantuariensis Archiepiscopi, *Th. Beza* ad eundem data Epistola, *Maii 8. an.* 1591. in quâ disertè profitetur "ea quæ "scripsit adversus Hierarchiam Ecclesiæ Romanæ nihil attinere ad "Ecclesiæ Anglicanæ Politiam, quam impugnare aut etiam tange- "re nunquam sibi proposuit; nedum exigere ut ad modulum Ec- "clesiæ Genevensis Disciplinæ efformaretur. Quamdiu enim, "*inquit*, substantia Doctrinæ una eademque est in Ecclesiâ Christi, "in aliis variare licet, pro temporis, loci, personarumque ratione. Quibus addit, "se ideo vovere ut Sanctum Episcoporum An- "glicanorum collegium in æternum permaneat, atque illo jure suo "utatur in gubernandâ Ecclesiâ, cum omni æquitate ac Christianâ "moderatione. Ex quibus Clarissimi *Beza* verbis obiter notandum, cautè legendos Controversiarum libros à Transmarinis Reformatis adversus Ecclesiam Romanam editos, ne junioribus aliisq; imperitis fallaciâ a dicto secundum quid ad dictum simpliciter, imponatur, atque ea, quæ in plerorumque Episcoporum Pontificiorum ignorantiam, ignaviam, typhum secularem, quæ in festorum in Jejuniorum, in vestium Ecclesiasticarum & rerum similium abusus in Ecclesia Pontificiâ, jure meritò scripserunt, adversus Episcopos, Festa, aliaque in Ecclesiâ Anglicanâ ad usum legitimum revocata, dici videantur.

§ Sed pergamus in audiendis fratribus Genevensibus, " Asseri- *Iacobus Lecti-*
"mus, *inquit* Jacobus Lectius L. L. Doctor atque in Academiâ *us adversus*
Genevensi Professor doctissimus, " pro veris legitimisque Episco- *codicem Fabri-*
"pis habendos illos demum quos Paulus in Epistolis ad Tim. & *anum nota 2.*
Tit. depingit. Cujusmodi olim in Magno illo Regno Britannia- "arum extitisse atque etiamnum superesse subindeque eligi Episco-

Ibid. l. 2. affirm. 11. p. 214. "pos non diffitemur. Nequis autem reponat *Jacobum Lectium* "non fuisse Theologum, audiatur iterum; Nec vero, *inquit*, ne-"gavit Theologorum nostrorum quisquam, puto, antiquissimum "istum & à temporibus usque Apostolicis in Ecclesiâ fuisse morem (nempe ut esset unus aliquis qui præcipuè Ecclesiæ curâ fungeretur, & quasi clavum teneat Sacræ navis) "& de finibus προεστασίας regen-"dis ex divini verbi normâ sic egerunt, ut Orthodoxorum Episco-"porum Ordinem aspernari ἀπονοίας instar esse professi sint pub-"licis scriptis: quos etiam honore omni & studio coluere; in his "*Calvinus*, *Bucerus*, *Beza*, *Sadeel*, aliique. Huc etiam retuli quæ ex *Beza*, *Sadeelis*, *Danæi* & omnium totius Ecclesiæ Genevensis Pastorum Epistolis ad Archiepiscopum Cantuariensem datis Capite Superiore laudavimus.

§ Sic olim sentiebant de Episcoporum Ordine Fratres Genevenses: At operæ pretium fuerit videre, num ab eâ sententiâ recesserint ejusdem Ecclesiæ recentiores Theologi. Duo erunt instar omnium *Johannes Diodatus* ac *Fridericus Spanhemius* οἱ μακαρῖται, ambo Sacræ Theologiæ Professores Doctissimi, Ecclesiæ Pastores vigilantissimi, atque scriptis suis longè celeberrimi. Neque quis hic mihi objiciat Reverendum *Diodatum* Ecclesiæ Anglicanæ Reformationem admirari solitum. Nam plus est in eâ objectione, quàm mihi incumbit probandum; cum sufficiat si ostendero, Episcoporum nostrorum Sacro Ordini haud malè velle Ecclesiæ Genevensis Pastores. Quid de Ecclesiâ Anglicanâ, quid de filiis ejus immorigeris, quid de turbis & turbatoribus nostris sentiret vir ille præstantissimus egregiâ illâ Epistolâ quam Superiorum jussu scripsit ad Schismaticum Westmonasteriensium Theologorum Conventum, abundè testatus est.

Johan. Diodat. in Epist. ad Theol. Westmonast. "Hoc unum nempe, *inquit*, ad cumu-"lum tantarum calamitatum deerat, ut florentissima Anglia, ocel-"lus ille Ecclesiarum, peculium Christi singulare, perfugium af-"flictorum, imbellium armamentarium, inopum promptuarium, "spei melioris vexillum, tam inopinato casu, nullo hoste, vel ab "exteris impressione, suis ipsius manibus conficeretur, & pedibus "protereretur; Et illæ splendidæ Domini caulæ non à feris disces-"perentur, neque à prædonibus diriperentur, sed ipsis ovibus in-"vicem asperatis & efferatis devastarentur, exemplo planè diro & "inter Ecclesias Reformatas inaudito, nempè Dei timore, & fide "compari mansuefactæ, & hostium communium metu constrictæ, "charitatem mutuam sanctè & coluerant, & exercuerant, & inter "se quietæ & concordes à luporum rabie sese morum simplicitate, "vitæ innocentiâ, Religionis sanctimoniâ, & Fidei robore tue-

bantur.

" bantur. Horrore toti concutimur ad versam hanc pulcherrimam " Ecclesiæ inter vos faciem dum concursus bellicos & ferales populi " cum Rege suo, fratrum cum fratribus, Parentum cum filiis, ovi- " um cum aliis avibus, imò & cum Pastoribus audimus referri. En " virum magnum Theologiam Genevæ profitentem attonitum ad " versam pulcherrimam inter nos Ecclesiæ faciem, cujus pulchri- " tudinis pars sanè magna fuit ordo Episcoporum & aliorum Ec- " clesiæ Ministrorum subordinatio; immo horrore Genevam to- " tam concussam asserit, ubi audivit referri non modo concursus " bellicos & ferales populi cum Rege suo, sed & ovium cum Pa- " storibus suis, hoc est, Reverendis Episcopis. Adversus eos enim tum fuisse in hâc Ecclesiâ horrendam Rebellionem, vulgò notum est. Ad Clarissimum *Spanhemium* quod spectat, quo affectu, quâque reverentia Ecclesiarum Britannicarum Episcopos prosequutus sit, non uno modo testatum fecit. *Spanhem. Dubior. Evangelic. pars 3. in Ep. dedicat.*

1. Dubiorum Evangelicorum partem Tertiam *Usserio* nostro τῷ πάνυ dicavit, eique *Reverendissimi, Amplissimique Præsulis, Archiepiscopi Armachani, totiusque Hiberniæ Primatis, titulos in inscriptione Epistolæ attribuit.*

2. De Episcopali ὑπεροχῇ verba faciens, *Sacrum,* inquit, *sane munus illud ad quod te Divina bonitas evexit.*

3. Denique suo & *Genevensis* Ecclesiæ nomine, *Omnium,* inquit, *Ecclesiarum Britannicarum Præsules Amplissimos suspicimus & amplexamur, & pro Regnorum vestrorum & omnium qui in iis sive in Ecclesiâ sive in Republicâ ad clavum sedent, incolumitate, prosperitateque divinam bonitatem precibus assiduis fatigamus, &c. Cui Deo sua semper apud vos constet gloria; Serenissimo Regi vestro suum jus; Ecclesiarum vestrarum Præsulibus sua authoritas.* Quæ omnia se, *bonâ superiorum veniâ,* scribere asserit. Judicet lector æquus, an ad ea omnia quæ ex Genevensibus Reformatis pro Reverendis Episcopis nostris, & ipso Episcoporum Orthodoxorum Ordine produximus, responderit Apologista. Judicet, an levia atque ἀπροσδιόνυσα adeo sint quæ ex *Diodato* & *Spanhemio* laudavimus, ut responsionem, prout ait iste, non mereantur. Judicet denique, an *Diodatus* cùm ait *horrore se & Fratres totos concussos dum concursus bellicos & ferales populi cum Rege suo, Fratrum cum Fratribus, Parentum cum Filiis, ovium cum aliis ovibus, imo & cum Pastoribus audierunt referri*; nihil de *horribili rebellione, nihil omnino* (quod noster audet affirmare) *de rebellione* dixerit; Judicet denique, quid hæc sibi velint quæ habet Apologista, ut probet nihil à Diodato de Rebellione dictum; *Nec*

Ibidem.

Apol. p. 173.

Ibid. p. 174.

potest esse rebellio apud Anglos nisi contra Supremam Potestatem; quasi *concursus bellici & ferales populi cum Rege suo*, non fuerint rebellio contra Supremam Potestatem. Scio *Baxterum* & alios Presbyterianorum Politico-Theologos, eam doctrinam flagrante bello, in libris & concionibus suis passim docuisse; sed putabam eos, aut ab eâ sententiâ recessisse, aut saltem, restitutâ jam Regiæ Majestatis authoritate, illam prudenter silentio premere debuisse. *Diodato* etiam concursus bellici & ferales, ovium cum Pastoribus; imò omnis contemptus authoritatis Pastorum cum contumaciâ conjunctus, rebellio est, & rebellio dicitur in formulâ Genevensi pro administratione cœnæ Domini. Neque ullum loquendi genus apud Ecclesias Reformatas frequentius occurrit, quam *rebellio* & *rebellare*, & *rebellem esse contra Ecclesiæ Disciplinam*.

Apol. p. 185. § Apologista Posteriori libelli sui Editioni Paragraphum inseruit adversus doctissimum *Schoockium*, quem ego quoque hoc loco inseram, licet ad hujus capitis materiam minimè pertineat. Eo enim superbum atque præceps sectæ suæ ingenium planè prodit. Eos reprehenderat vir æquissimus, qui apud Belgas, ut *Voetius* & sequaces, *non contenti propugnare Presbyteriale regimen & æqualitatem Ministrorum, simul etiam speciatim stilum suum dirigunt adversus Fratres, arguendo quasi Episcopatum Anglicanum, aut Regimen Ecclesiæ Palatinæ.* Id noster ferre non potuit, unde passim Cl. *Schoockium* ad partes vocat. Sed ferociùs in eum insurgit sub finem Apologiæ, quod ausus sit profiteri se non esse concionatorum Puritanorum admiratorem, nec quenquam esse velit eorum imitatorem. "Si nolit Schoockius, *inquit*, cum gementibus congemiscere, saltem "desinat in Concionatorum Anglorum nomina temerè involare. "Neque enim (quod in prefatione suggerit ille iniquissime) rectà "viam ad Enthusiasmum sternunt, aut ex quibuslibet locis Scriptu"ræ ad modum textuum arreptis, quidlibet colligere instituunt: "sed post singulorum verborum sensum diligenter excussum, do"ctrinam aliquam è textu eliciunt, quam postea exponunt, scripturis "rationibusque confirmant, & demum auditorum usui per variam "applicationem attemperant. Suæ certe famæ pessimè consulit "quisquis concionatores Anglicanos, aut eorum imitatores vilipen"dit. Nulli Cœlestem spartam prædicandi Evangelium felicius "ornarunt. Adeo ut Baconus Nostras non dubitaverit dicere ex "scriptis Theologorum Anglicanorum compilari posse Systema "Theologiæ practicum, superaturum omnia quæ adhuc extant. "Quod idem tantum non clamant crebræ librorum nostrorum in

"omnes penè linguas translationes. Ego celeberrimo professori "nihil derogo, sed nec tantum tribuo, ut non credam sexcentos "esse, vel è plebe nostrâ Christianâ à quibus perfectiùs edoceri pos- "sit quæ sit via Christi. Dicam verbo, Puritanus Anglus neminem "habet inimicum præter Carnalem aut Animalem. Eo convitio omnes ab insaniâ sua alienos afficere solent *Trementes*, quos vocant. Iis cæteri mortales *Carnales* sunt & *Animales*. Nempe se solos putant Spirituales. Sed jam Spiritualitatis æmulos nacti sunt quoque Puritanos Anglos. "Destinaram, *inquit Schoockius*, non ex "recentioribus quidem Authoribus, (ex iis amplius quam quadra- "ginta vidi, eadem omnes chorda oberrantes) sed, ex Patribus at- "que primis Reformatoribus; rationem legitimè concionandi de- "lineare, atque ostendere, Theologos Anglos, cum suis admira- "toribus & imitatoribus, dum ex quibuslibet locis Scripturæ ad "modum Textuum arreptis, quidlibet colligere instituunt, rectà "viam sternere ad Enthusiasmum, qui, pro dolor! in insulâ (heu "quondam beatâ!) videtur meditari Thronum erigere. Quisquis sanè illos concionatores Anglos, de quibus *Schoockius*, id est Presbyterianos, ut rectè interpretatur Apologista, vel semel audiverit aut legerit, idem de eximiâ illâ, quam somniat eorum Apologista, concionandi methodo, cum Cl. *Schoockio* sentiat necesse est, modò intelligat quid sit concionari. Videas ingentia volumina ab iis edita, quibus aiunt, concionum, nescio quot, in unicum Scripturæ Textum, substantiam contineri. Exemplo sit liber ille *Baxteri*, qui inscribitur, *Sanctorum Æterna Quies*; qui circiter 900. paginas in quarto complectitur. Judicet judicio pollens lector, an non quidlibet ex quolibet deducat necesse sit, quisquis tot habet conciones in eundem textum? Cæterum *Pyrgolinicem* ad finem usque Scriptionis suæ agit Apologista, cùm gloriatur tot concionum libros à Puritanis Prædicatoribus editos, *in omnes penè linguas versos*. Ne de uno quidem adhuc audivi in linguam Gallicam verso. Strenuè etiam agit *Militem Gloriosum*, aliorum egregia facinora sibi tribuentem, cum quæ de scriptis Anglicanorum Theologorum verissimè dixit Illustrissimus *Baconus*, ea de Puritanorum concionibus dicta interpretatur, quasi Magnus Angliæ Cancellarius per Theologo Anglicanos intellexerit Schismaticos, quos Theologis Anglicanis ne annumerare quidem debuit aut jure potuit. Adde quod de uno aut altero Puritano Theologo alicujus nominis (qui ministerium deserere maluerit, quàm Sacra ritu Anglicano celebrare) vix auditum fuerat, cum floruit *Baconus*.

Schoock. Exercit. in Præfat. primæ Editionis.

§ Sed ut ad rem, quam ago hoc capite, revertar, finemque scribendi

bendi tandem faciam, unum doctissimum celeberrimumque Theologum *Abrahamum Scultetum* qui & ipse Synodo Dordracenæ interfuit, nostræ de jure Divino Episcopatus Sententiæ adstipulantem, eamque solidis rationibus adstruentem laudabimus.

Scultet. Observationes in S. Pauls Epistolas ad singulares, in Ep. ad Titum cap. 2. ad cap. 3

§ Ansam nobis dant, *inquit*, (scilicet Epistolarum ad Timotheum Posterioris & ad Titum subscriptiones, in quibus dicuntur, ille Ephesiorum, iste Cretensium Primus Episcopus) Quæstionem hanc excutiendi, *An Episcopatus sit Divinus*, hoc est, An Apostoli hoc Ecclesiæ Regimen instituerint, ut unus aliquis non solum populo sed etiam Presbyteris & Diaconis præficiatur, penes quem sit & manuum impositio sive ordinatio, & consiliorum Ecclesiasticorum directio. Negarunt hoc olim Aërius apud Epiphanium Hær. 75. & Johannes Hierosolymitanus apud Hieronymum ad Pammachium. Sunt & hodie multi eruditi iidemque pii viri, qui etsi Aërium in eo peccasse scribunt, quod receptum ab orbe universo gubernationis Ecclesiasticæ modum improbarit, cum eodem tamen sentiunt Regimen Episcopale non esse Divinum. A quorum opinione cur meum in hac quidem causa judicium sejungam, moveor & rationibus efficacibus & exemplis illustribus & authoritatibus præclaris. Sic autem sentio, Primum in Apostolicis literis nomen *Episcopus* nunquam diversum quid à Presbyteri officio designare. Nam *Episcopus*, *Presbyter*, *Apostolus* nomina erant communia, ut videre est ex Act. 20. Phil. 1. 1 Tit. 1. 1 Pet. 5. 1, 2. Act. 1. 20. Deinde in primâ Ecclesiâ Apostolicâ communi Presbyterorum operâ Ecclesiam fuisse gubernatam, idque aliquot prædicationis Apostolicæ annis. Prius enim coetus erant colligendi, quàm de eorum perpetuâ gubernatione aliquid definiendum. Tum, Apostolos, quamdiu ipsi Ecclesiis vel præsentes vel propinqui essent, non solitos fuisse Episcopum propriè dictum præficere, sed Presbyteros tantum, sibi verò solis Episcopalem authoritatem reservare. Postremò, postquam Evangelium longè lateque propagatum, & ex illâ Presbyterorum æqualitate, Diaboli instinctu Schismata in Religione facta sunt, tum Apostolos ipsis Pastoribus sive Presbyteris, in locis præsertim remotioribus, aliquos præfecisse, qui ab Apostolorum statim Discipulis, Ignatio, & aliis, soli *Episcopi* appellati, & hâc voce à Presbyteris ac Diaconis fuerint discreti. Rationes promo. Scribit Hieronymus in Cap. 1. Epistolæ ad Titum, *Presbyter idem est qui Episcopus, & antequam Diaboli instinctu studia in Religione fierent, & diceretur in populis*, Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem

autem Cephæ, *communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur. Postea in toto orbe decretum est ut unus de Presbyteris electus superponeretur cæteris, &c.* Unde sic colligo, *quando dici cœptum in populis*, Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, *tum unus de Presbyteris electus præpositus est cæteris. At viventibus Apostolis ita dici cœptum in populis*: De quo præter alias Pauli Epistolas, prior ad Corinthios nos dubitare non sinit. *Igitur viventibus Apostolis unus de Presbyteris electus & cæteris præpositus est.* Deinde nullum aliud tempus dari potest quo primum creati sint Episcopi, quam Apostolicum; siquidem omnes Apostolorum primarii Successores fuerunt Episcopi, ut testantur Episcoporum successiones in nobilissimis Ecclesiis, Hierosolymitana, Alexandrinâ, Antiochenâ, Romanâ, apud Eusebium. Aut igitur proximi Apostolorum Successores acceptam ab Apostolis gubernationis Ecclesiasticæ formam suopte arbitratu immutarunt, (quod vero non est simile) aut Episcopale Ecclesiæ Regimen ab Apostolis ipsis est profectum. Præterea jam tum Apostolorum tempore in quâlibet majori Civitate Presbyteri multi, Episcopus unus tantum esse poterat: Jam tum Apostolorum tempore ὁ προεστὼς *præpositus*, qui postea *Episcopus* dictus manus imponebat sive ordinabat Ministros verbi; quod Presbyteri facere non audebant: Jam tum igitur Episcoporum vocatio à Presbyterorum munere erat diversa. Exempla Episcoporum Apostolicorum quis desiderat? Pleni sunt libri veterum de Timothei & Titi Episcopatu, quorum uterque, utut primùm Evangelistam egerit, Evangelista tamen esse desiit, postquam Timotheus Ephesinæ, Titus Cretensi Ecclesiæ fuit præfectus. "Nam Evangelistæ in peregrinis locis tantùm fundamenta fidei jecerunt, "postea Pastoribus certis curam reliquam commendarunt, ipsi ad alias regiones ac gentes accesserunt, ut scribit Eusebius, "Hist. Eccles. Lib. 3. Cap. 37. At Paulus & Ephesi & in Creta aliquamdiu docuerat; ideo Timotheum Ephesi, Titum in Creta jubet manere, non utique ut Evangelistas, sed Ecclesiæ Gubernatores. Id quod etiam Epistolæ ad utrumque scriptæ evincunt. In his enim non Ecclesiæ colligendæ, quod erat Evangelistarum, sed collectæ gubernandæ, quod est Episcocoporum, rationem illis præscribit. Suntque præcepta omnia ita conformata ut non speciatim ad Timotheum & Titum, sed generatim ad omnes Episcopos referantur, adeóque ad temporariam Evangelistarum potestatem minimè quadrent? Quid?

quod

quod de Timothei & Titi Episcopatu non solum Eusebius, Chrysostomus, Theodoretus, Ambrosius, Hieronymus, Epiphanius, Occumenius, Primasius, Theophylactus, sed etiam vetustissimi omnium in Novo Testamento Historiographi, quorum monumenta interciderunt, testati sunt. Eusebius certè ad illos provocans, Histor. Eccles. Lib. 3. Cap. 4. " Timotheus, *inquit*, *ἱστορεῖται*, in Historiis scribitur, primus fuisse qui Ephesinæ parœciæ, sicut & Titus Cretensium Ecclesiarum, Episcopatum sortitus est. Quod si Apocalypsis Johannem Apostolum, & non Seniorem quendam Apostolorum Discipulum, agnoscit Authorem, septem illa nobis nova Episcoporum Apostolicorum exempla suggerit. *Angelos* enim *septem Ecclesiarum* doctissimi quique interpretes interpretantur septem Ecclesiarum Episcopos: neque vero aliter possunt nisi textui vim facere velint. Nam quid ego de Jacobo dicam, non illo quidem Apostolo, sed servatoris nostri Fratre, Matris Domini privigno? quem ab Apostolis Hierosolymorum Episcopum fuisse Ordinatum Eusebius Lib. 2. Cap. 1. Hist. ex Clementis 6. Hypotyposeων, Hieronymus De scriptoribus Eccles. ex 5. Commentariorum Egesippi, referunt; Ambrosio in Cap. 1. ad Galatas, Chrysostomo Hom. 33. in Act. 15. Augustino contra Cresc. Lib. 2. Cap. 37. Epiphanio Hæresi 65. Synodo 6. in Trullo Can. 32. adstipulantibus. Enimvero hic est ille Jacobus qui fixum Hierosolymis habuit domicilium, velut Ordinarius Episcopus; quem Paulus primo & ultimo suo Hierosolymam adventu invenit in urbe, Apostolis ferè omnibus foris Evangelizantibus, Gal. 1. Act. 21. qui in Concilio Apostolorum decernenda conclusit, (*Erat enim*, inquit Chrysostomus, *Episcopus Hierosolymitanæ Ecclesiæ*) à quo denique cum quidam venissent, Petrus cum gentibus edere noluit, Gal. 2. Ab exemplis ad authoritates transeo, quas authoritate sua mox occupat Ignatius, cujus hæc sunt axiomata, " Episcopus est, qui omni principatu & potestate superior est. Presbyterium est sacer cœtus, Consiliarii & Assessores Episcopi. Diaconi sunt Imitatores Angelicarum virtutum, quæ purum & inculpatum Ministerium illi exhibent. Qui his non obedit sine Deo est & impurus est & Christum contemnit καὶ τὴν αὐτοῦ Διάταξιν & constitutionem ejus imminuit, Epist. ad Trallianos. Idem, hortor ut studeatis concorditer omnia agere; Episcopo Præsidente Dei loco; Presbyteris loco Senatus Apostolici; Diaconis ut iis quibus commissum est Jesu Chri-

sti

"sti Ministerium, *Epist. ad Magnesianos.* Et rursum, Presbyteri "subjecti estote Episcopo, Diaconi Presbyteris, populus Presbyte- "ris & Diaconis, ad *Tarsenses* Atqui Apostolorum discipulus fuit Ignatius. Unde igitur illi ista Hierarchia Ecclesiastica nisi ab Apostolis ipsis? Audiamus nunc Epiphanium Hær. 75. "Non omnia "statim potuerunt Apostoli constituere, Presbyteris enim opus "erat & Diaconis: per hos enim duos Ecclesiastica officia compleri "possunt. Ubi vero non inventus est quis dignus Episcopatu, per- "mansit locus sine Episcopo: ubi autem opus fuit, & erant digni "Episcodatu, constituti sunt Episcopi. Singulæ res non ab initio "omnia habuerunt, sed progressu temporis, quæ ad necessariorum "perfectionem requiruntur, parabantur, Ecclesiâ hoc modo com- "plementa dispensationis accipiente. Sed Eusebius ad rem propius accedet, & nervosius causam eget. Is enim *Lib.3.Hist.Eccl.Cap.22.* itemque in Chronico, auctor est, Euodium primum Antiochiæ Episcopum Ordinatum fuisse, anno Christi XLV. Claudii Imp. III. Atqui tum Apostolorum plerique in vivis fuere. Jam Hieronymus ad Euagrium scribit, "Alexandriæ à Marco Evangelistâ usque ad "Heraclam & Dionysium Episcopos Presbyteri semper unum ex se "electum in excelsiori gradu collocatum Episcopum nominabant. At Marcus obiit, ut est apud Eusebium & Bulcholcerum, anno Christi LXIV. vivis adhuc Petro, Paulo, Johanne Apostolis. Ex ipso Hieronymo igitur clarum est, Episcopatum tempore Apostolorum fuisse institutum. Passusque est bonus Hieronymus humani quid quando scripsit, "Episcopos magis ex Ecclesiæ consuetudine "quam dispositionis Dominicæ veritate Presbyteris majores esse. "Nisi forte consuetudinem Ecclesiæ pro consuetudine Apostolicâ & "Dominicæ dispositionis veritatem, pro instituto Christi capiat. Quamquam ne sic quidem veritati Historicæ satisfecerit: Siquidem ex Apocalypsi, Cap.1,2,3. patet, gubernandæ per Angelos sive Episcopos Ecclesiæ formam non solùm Apostolorum temporibus ratam & solennem fuisse sed ab ipso Dei filio confirmatam. Et *Ignatius* illam ipsam formam διάταξιν Christi vocavit. Cùmque scribat Hieronymus, *in toto orbe decretum esse ut unus de Presbyteris electus superponeretur cæteris*, et verò demonstraverim, viventibus adhuc Apostolis Episcopos, tanquam Presbyteris ordinatione superiores, singulis Ecclesiis singulos præfectos fuisse, non immeritò quærimus, ubi, quando, à quibus id *decretum* sit. Origine igitur Divinâ gaudet Episcopatus.

FINIS.

ERRATA.

IN Reſponſione ad Apologiſtæ Præfationem, Pag. 17. Lin. 19. lege *decoro*; pag. 24. lin. 24. lege *Ordinis*, p. 25. lin. 27. lege *ponerentur*. Pag. 241. lin. 15. poſt *Honorii* adde *Decretum*, lin. 21. dele *Decretum*. pag. 338. lin. 4. lege *an*. pag. 345. lin. 9. lege *eam*, pag. 347. lin. 25. lege *nam*, pag. eâd. l. 36. lege *tam*, p. 413. lin. 20. poſt *Collegiatæ*, adde *& ab ipſo Magiſtratu*, pag. 423. lin. 11. lege *Syndicis*, pag. 436. l. 9. lege *ſequente*, pag. 440. lin. 3. lege *elucandis*, pag. 451. lin. 34. pro *te*, lege *et*, pag. 462. lege, *alios Dignitarios*, pag. 465. lin. 1. lege *modeſtiores*, pag. eâd. lin. 37. poſt *cuſtos*, adde *ſeu*, pag. 471. lin. 2. pro *tum*, lege *tempore*, pag. 488. lin. 3. lege *Calvino*. pag. 489. lin 3. lege *petentibus*, ibid. lin. 17. lege *objectarent*, p. 491. lin. 17. lege *perpetuò*, pag. 515. leg. *tantùm*. Cætera quæ per Authoris abſentiam irrepſerunt, condonet & corrigat Lector æquus.